
SPECIMEN
IVRIS MILITVM NATVRALIS
METHODO SCIENTIFICA

CONSCRIPTVM,

AVCTORE

REGNERO ENGELHARDO,

SERENISSIMI HASSIARVM LANDGRAVII IN COLLEGIO, CVI GENERALIS RERVM BELLICARVM CVRA COMMISSA EST, ADSESSORE.





FRANCOFVRTI ET *LIPSIAE,*

IN OFFICINA WEIDMANNIANA.

MDCCLIV.



SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

DOMINO

WILHELMO,

HASSIARVM LANDGRAVIO,

PRINCIPI HERSFELDIAE,

COMITI CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIEGENHAINAE,

NIDDAE, SCHAVMBVRGI ET HANOVIAE,

RELIQVA,

PRINCIPI AC DOMINO

MEO LONGE CLEMENTISIMO

PERPETVAM FELICITATEM.

PRINCEPS SERENISSIME,

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME!



Non unica adſtrictum me ſentio ratione, haſce, quas de jure militari duxi lineas, ad pedes TUOS, PRINCEPS SERENISSIME, humillime devolvere. Cum enim non modo ſors mihi contigerit feliciſſima, in iis terris agnoſcere patriam, quæ leniſſimo TUO imperio ſubjacent; Sed ſummis etiam TUIS alar beneficiis: Quid eſſe in me poterit, aut a me provenire, quod non ſummo jure TUUM ſit. Singulari vero non minus TUAE clementiæ acceptum fero, quod munus mihi demandare

dignatus fueris, quo, quantum in me eſt, reipublicæ præſertim militari debitas præſtem operas. Clementer itaque feras, PRINCEPS SERENISSIME, oſtendiſſe, quod & horulas, quæ a ſuetis laboribus otio meo relinquuntur, in id impendam, ut in intimiore cognitione eorum, quæ ad officii mei partes faciunt, memet ipſum perficere, & eandem cum aliis etiam ſtudeam communicare. Absque hac vero etiam, quam clementia TUA mihi præbuit, occaſione, forſan non licuiſſet, rei militaris ſacra penitius inſpicere, & in doctrinam ejusdem curatius inquirere. Omni itaque etiam jure, SERENISSIME PRINCEPS, TIBI debeo eos, quos forſan in hoc negotio feci progreſſus, & fructus eorum, tanquam primitias, manibus TUIS benigniſſimis ſubmiſſus offero. Si vero hæc omnia mihi deeſſent commoda, quæ conaminibus meis veniam aliquam poſſent conciliare: In ipſa certe re invenirem, cur Sereniſſimo TUO nomini opuſculum hoc dicarem. Inſtituti enim mei rationem in eo poſui, ut perſcrutarer, quid ipſo rectæ rationis dictamine docente circa milites jurium & obligationum daretur. Cum jus naturæ, uti DEUM auctorem, ita in ipſa rerum eſſentia & natura rationem ſuam agnoſcat; Adeoque neceſſarium & immutabile ſit:

Nega-

Negari non poterit, omnia jura positiva examini ejusdem subesse, si de æquitate eorundem quæstio moveatur. Per ea itaque, quæ stabilire tentavi principia, æquitas naturalis legum, quæ de rebus militaribus extant, ad examen revocatur. Temerarii sane conatus in republica, quæ æquissimis legibus non suffulciretur! Cum vero, SERENISSIME PRINCEPS, hæc sit TUA, & omnium, qui ex hac stirpe serenissima oriuntur, principum indoles, ut justitiam & æquitatem in legibus suis velint radiare: Cur hæsitarem in apricum ponere ea, quæ circa milites ipsa naturalis ratio dictitat, quæ jubet æquitas. Iisdem enim ea, quæ de militibus sapientissimis legibus fuere constituta, maxime deprehenduntur consentientia. Et quis est principum, qui majori indulgentia utatur jure in subditos, lege tam divina, quam naturali, rectoribus populorum concesso? Cum iis enim, qui & inviti legi possent milites, non tamen pro TUA, qua, PRINCEPS SERENISSIME, polles, potestate agis, sed ut & consentiant, & obligationis suæ sensu ferantur, clementissime concedis. Quis hinc majori severitate abhorret omnem in conducendis militibus violentiam? Quis majori studio jura militum tuetur? Et cui magis curæ cordique est, ut ipsis ea, quæ debentur,

bentur,


bentur, præſtentur, & ut cuique tribuatur, quod ſuum eſt? Hoc TUO, PRINCEPS CLEMENTISSIME, fretus ſummo juſtitiæ naturalis fervore, nullus dubitavi, quin a ſereniſſimo TUO nomine conamini meo præſidium comparare humillime quæram. Quo ſi voto potiar: Laborum præmium, quod ſperare poſſum, habebo maximum, & indefeſſus id agam, ut qua fruor clementia, non videar indignus, qui pro Principis optimi ſalute & ſerenisſimæ Domus felicitate perenni ſumma devotione preces fundit continuas

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME,

SERENITATIS TUAE

humillimus ac ſubjectiſſimus
REGNERUS ENGELHARD.



PRAEFATIO.



Neglectum juris militaris omnes fere conqueruntur, qui vel ad caput quoddam ejusdem perlustrandum animum adpulerunt. Non quidem scriptores ejusdem desunt; Sed ad tantum potius numerum excurrunt, ut integræ juris militaris bibliothecæ tradantur apud LüNIGIUM in *Corpore juris militaris*; LIPPENIUM in *Bibliotheca juridica*; STRUVIUM in *Bibliotheca juris*; BEYERUM in *Juris militaris prudentia lib. 1. tit. 2*; KNORRIUM in præfatione *der Anleitung zum Kriegsprocesse*, & alios. Statim vero apparebit, omnes illos, qui recensentur, auctores vel materias plane particulares tractasse, vel observationes modo collegisse, vel adnotationes in articulos militares hujus vel illius populi conflasse, vel processum solum militarem enucleasse. Pauciores sane deprehenduntur, qui totum juris militaris ambitum complecti sint aggressi, & systema quoddam ejusdem exstruere, aut in formam, quam artis vocant, illud redigere. Primum forsan eorum appellare licebit ADR. BEYERUM, qui præstare hoc suscepit in eo, quod modo nominavimus, opere. Licet vero admodum de hoc molimine sibi persuasisse ex præfatione videatur: Ex ipsa tamen tractatione elucet, eundem huic labori usque eo fuisse imparem, ut ne quidem juris militaris, nedum genuinæ methodi, qua illud debeat peragi, notionem habuerit. Melius

lius quidem res successit Dno. FRID. ANDR. GOTL. GNÜGEN, qui nuperrime conscripsit *Introductionem*, quam vocat, *solidam ad Jus militare*, omnibus, quæ hactenus de jure militari extitere, palmam facile disputantem. Ipsemet vero tantum sibi non habet persuasum, ut opus omne absolverit. Præter enim, quod plura immixta videantur, quæ juris militaris publici, sive juris belli, quod dicitur, potius sunt, quam juris militaris privati, quod hoc potissimum nemine venit: Quod tradidit jus militare, nec populo cuidam soli, neque omnibus, vel Germanorum saltem, convenit: Cum quædam ex unius, alia ex alterius gentis constitutionibus militaribus desumta fuerint, quarum tamen inter se nullus invenitur nexus. Et cum leges militares positivæ sint, quæ ab arbitrio superioris in quaque civitate dependent: Non ubique militum eadem esse jura, vel easdem obligationes, intelligitur. Quamvis itaque hasce diversas obligationes, juraque diversa recensere quidem liceat: Eo tamen systema juris militaris nondum constituitur. Et cum articuli, qui dicuntur, militares, qui maximam utplurimum juris militaris civitatis cujusque partem conficiunt, plerumque adeo sint succisi, ut non nisi delicta graviora militibus interdicant, & pœnas illorum comminentur, neutiquam vero proprie obligationes & jura eorum explicent: Nec ex iisdem systema componere datur, si vel maxime constitutiones speciales, quæ passim extant, in subsidium vocentur. In dijudicandis itaque militum causis recurri plerumque solet ad observantiam & æquitatem naturalem. Cum vero observantia principium admodum vagum & incertum sit; Aequitas autem naturalis a quolibet pro arbitrio fere fingatur: Principia sufficientia non adesse patet, quæ militum causis decidendis inservirent, & quibus adeo systema quoddam juris militaris posset superstrui. Licet etiam jus civile commune nonnulla contineat, quæ jura præsertim militum peculiaria eorumque privilegia spectant; Adeoque eadem juri militari merito inserantur: Totam tamen ejusdem doctrinam eo non absolvi, facile poterit perspici. Ad leges militares aliarum gentium in casu propriarum deficientium recurrendum quidem esse, putant juris militaris doctores. Cum vero leges peregrinæ non nisi ex recepto obligent: Eædem etiam pro norma decidendi sumi non poterunt, nisi quatenus forsan æquitati naturali consentaneæ deprehenduntur. Et cum præterea non apud omnes eadem de rebus militaribus sint institu-

ta

ta: In caſu hujus diverſitatis dubia ſemper manebit electio. Omnia itaque, quæ in ſubſidium cauſarum militum decidendi, adeoque ſyſtematis contexendi vocari poſſent, ſufficere minime videntur.

Hæc non ultima ſine dubio fuit ratio, cur jus militare in formam artis redigere tantæ fuerit difficultatis, quanta vix ſuperanda viſa. Et eſt ſane, ſi omnia, quæ circa milites juris ſunt, legibus poſitivis ſive civilibus circumſcribere velis. Quemadmodum enim nec jure civili omnia determinantur, ſed plura adhuc relinquantur, prouti ſunt juris naturæ; Et hinc ab ipſo *Imperatore* pronuncietur, *omnes populos & in ſpecie* etiam *romanum*, *partim ſuo proprio*, hoc eſt, civili, *partim communi omnium*, hoc eſt, naturali, *jure uti* (*§. 1. Inſt. de Jur. nat. gent. & civ.*)*:* Ita nec jure militari poſitivo omnia determinari ſolent, nec forſan poterunt, quæ circa milites juris ſunt. Cum itaque indubitatum ſit principium, ut ea, quæ jure poſitivo determinata non ſunt, jure naturæ determinari debeant; Et ipſo profitente ULPIANO *jus civile efficiatur*, *dum juri communi*, hoc eſt, naturali, *quid additur vel detrahitur*, *& hinc illud a naturali vel gentium jure in totum non recedat* (*l. 6. ff. de J. & J.*)*:* De jure militari, tanquam poſitivo & illius ſpecie, idem apparet. Quemadmodum itaque ſolida juris civilis absque juris naturæ cognitione non datur ſcientia: Ita nec absque hac ad ſolidam juris militaris prudentiam pervenire licebit. Noſſe hinc intereſt, imo neceſſarium, quid ipſo jure naturæ circa milites obtineat. Dari enim jura & obligationes, quæ militibus ipſo jure naturæ competunt vel incumbunt, ſive quæ ex ſola militum notione principiis juris naturæ in ſubſidium adhibitis, erui poſſunt, tam in genere demonſtrabitur, quam ex ipſo, quod ſuſcepi opere, ſpecialius patebit. Hæc vero tam jura, quam obligationes militum naturalia, prorſus fere neglecta fuerunt ab iis, qui jus naturæ & gentium alias non infelici ſucceſſu pertractarunt, ita ut nec a ſummo illo GROTIO eorundem ſaltem fiat mentio. Perilluſtris demum L. B. de WOLF in opere laudes meas longe ſuperante de jure gentium nonnulla tradidit ad jus militare ſpectantia. Ipſe tamen fatetur, quod inſtituti ſui non ſit, in tantas ambages deſcendere, ut ejusdem theoriam naturalem condat (*ſchol. ad §. 770.*).

Veſtigiis itaque tam præclaris inſiſtens operæ pretium duxi, hoc munitus ariadneo filo in juris militaris labyrinthum me conferre, & in

 jura

jura militum obligationesque, quæ ipso jure naturæ occurrunt, curatius inquirere. Notione itaque militum prius eruta, & quæ circa constitutionem eorum juris sunt, demonstratis, simulque realitate juris militum naturalis stabilita: Ex fine, cui milites destinantur, obligationes & jura eorum deduxi. Et cum ex actione, obligationi contraria, delictum oriatur; Ex hoc vero iterum nascatur ad pœnam obligatio; Ad istam vero causa cognita demum perveniatur: De delictis etiam, de pœnis & processu militum agendum fuit.

Principiis ad hoc opus habui, uti præsertim ex Jure naturæ & gentium, ita ex tota fere Philosophia. Quæ cum a perillustri L. B. de WOLF in tot operibus egregiis sint stabilita: Mihi aliud non fuit agendum, quam iisdem inniti. Et eo lubentius id feci, ut publice testarer, quantum antecessori tam celebri, & præceptori quondam nunquam non venerando debeam.

Etsi vero jam solum theoriam juris militaris tradiderim, principiis fere non nisi philosophicis usus: Non prorsus tamen me fugiunt, quæ praxin ejusdem spectant. Cum enim per plurimos annos in rebus militaribus tam domi, quam militiæ versari mihi contigerit: Eorum, quæ & usu solent obtinere, cognitionem aliqualem nanciscendi occasio mihi non defuit. Et hæc ipsa præbuit ansam in plura inquirendi, quam absque ejus ope fieri forsan potuerit. Consensum principiorum cum praxi subinde quoque indicavi, & vel illa ad ipsas leges civiles interdum applicavi, ut appareat, quod iis, quæ juris naturalis sunt, præmissis, leges militares positivas ad examen revocare, &, quæ in iisdem deficiunt, supplere liceat.

Non omnia quidem exhausisse mihi videor, quæ ad juris militaris theoriam naturalem faciunt. Ambitum ejus majorem esse, quam forte videretur, apparet ex iis, quæ tradidi. Cum enim viam nondum tritam ingressus fuerim: Facile fieri potuit, ut ad omnes recessus non penetraverim, vel sicco saltem pede tetigerim, quæ fortius fuissent calcanda. Quoniam vero hæc est rerum humanarum conditio, ut non statim ab initio in iisdem ad perfectionem deveniatur: Mihi sufficiet, viam commonstrasse, qua aliis firmiori passu incedere, & ea, quæ præterii, perscrutari, non invidebo.

Metho-

Methodo uſus fui, quæ quidem naturalis eſt, ſcientifica vero vel artificialis vocari ſuevit. Absque eadem enim ſolidam in ullo ſcientiarum genere cognitionem tradi non poſſe, uti prorſus perſuaſum mihi habeo, ita a tot illuſtribus viris jam ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Non quidem deſunt, qui præjudiciis inveteratis obcæcati ejus præſertim in jure applicationem rident & allatrant. Si quibus itaque inſtitutum meum totum forſan non diſpliceret: Propterea tamen ſolum illud ipſis contemnendum videretur, quod odioſum methodi vocabulum vel in fronte, & illuſtre ejus, quem illius artificem jure credunt, nomen ubique fere conſpiciant. Cum vero veritatis perquiſitio magis mihi cordi ſit, quam placendi ſtudium: Dolere mihi ſaltem relinquitur, quod in illius præjudicium huic me dari nequeam.

Erunt etiam fortaſſe, qui jus militum naturale cerebrinum & imaginarium reputabunt, vel omni plane utilitate deſtitutum. Cum enim illis jus naturæ, quod pro certo ſaltem rerum ſtatu obtinet, diſcernere non detur ab eo, quod in ſtatu naturali absque ullo reſpectu valet: Ridiculum videbitur, cum milites ſtatu naturali exulent, & civilem ſupponant, de iis ex jure naturæ quid velle prædicare. Eandem itaque forſan cenſuram incurram, qua auctor *relationum omnium noviſſimarum de libris juridicis*, ſive *der allerneueſten Nachrichten von juriſtiſchen Büchern*, quæ dicuntur, me fuit dignatus, cum duodecim abhinc annos circa jus feudale idem, quod nunc circa jus militare, tentaveram, jurisque feudorum naturalis ſpecimen exhibueram. Auctoritati ſuæ, qua in orbe literario pollere ſine dubio ſibi videtur, tantum tribuere apparet, ut judicii ſui rationem adducere operæ pretium non duxerit, ſed illud ſaltem exclamatorio hoc effato muniat: Quantum de tali ſupervacaneo & inutili labore mirarentur SCHILTERUS, STRUVIUS & STRYCKIUS, ut de ſancto ISERNIA, JACOBINO de St. GEORGIO, ROSENTHALIO, & aliis taceat. Injuriam ſane conſideraſſe non videtur, quam viris celebribus eo infert, quod ipſos præcipitato tali judicio æque ac ſe credat capaces, ſibique in eo comparet. Cum ad mortuorum teſtimonium provocare pro indicio malæ cauſæ habeatur, & ſaltem impoſſibile ſit obtentu: Videamus potius, quid ſentiant de tali, quod ſuſcepi, conamine, viri eidem ſuperſtites, & videbit vir celeberrimus, quod de utilitate principia juris naturalis

ad jus feudale applicandi prorſus aliter judicent JCti, iſtis, vel ipſo ſaltem non inferiores. Non enim ſolum Vir celeb. GOTTL. SAM. TREUER jam ao. 1737. in *Parergis Göttingenſibus* ipſemet edidit *Pædiam juris feudalis univerſalis*, quæ vero cenſori meo jam tunc, æque ac mihi fuit, incognita fuiſſe videtur; Sed & ſummus juris feudalis doctor, JO. JAC. MASCOVIUS in nuper edito de *Jure feudorum in imperio R. G.* libello præſtantiam ejus agnovit, & ut videtur, virum celeb. UHLIUM permovit, ut pædiam hancce, quo magis publici juris & uſus fieret, ſeparatim nuperrime recudi fecerit. Eandem vero quoad uſum juris naturæ in ipſo jure feudali mecum prorſus conſentire, vel ex eo apparet, quod Gœttingenſes judicarint, me jus illud feudale naturale præſtare voluiſſe, quod in *Pædia* fuit deſideratum. Hancce vero, quod doleo, cum in Parergis quaſi latuerit, tunc adhuc ignorabam, cum nonniſi proprio motu ſpecimen meum conſcriberem. Inſtituto enim meo admodum inſerviviſſent ea, quæ in ipſa traduntur.

Diſcat itaque, ſi contrarium forſan hactenus ſibi perſuaſerit, vir celeberrimus, quem cum nominare ſe non lubuerit, innominatum relinquo, quod utilitas rei a ſuo non pendeat judicio, & quam parum tutum ſit, partium cœco ſtudio in judicium rapi, quod nulla ratione, ſed dictatoria ſaltem confidentia, ſuffulcitur, & ſtatim tanquam inutile rejicere, quod non eſt ad cujusdam palatum. Magnum equidem diſcrimen intercedit inter compilare & ſyſtematici quid componere. Licet enim laude ſua privandi non ſint, qui in colligendis iis operam ſuam navant, quæ ad incrementum ſcientiarum faciunt: Quam multæ tamen inutiles extent compilationes, in vulgus notum eſt, quæ ab iis plerumque ſuſcipiuntur, qui cum propria non poſſint, aliena tradunt, ut aliquid ſaltem feciſſe videantur. Exemplum inutilis ejusmodi compilationis conſpicere datur in Novellis Gœtting. de rebus eruditis anni 1751. pag. 685. ſeqq. quod etiam cenſori meo normæ eſſe poterit, quomodo judicia de libris, qui prodeunt, non abſque rationibus additis ferenda ſint.

Me quidem hæc omnia non deterrent, quo minus pro virium & circumſtantiarum mearum parte illud, quam parvum ſit, agam, quod ad

ad solidiorem scientiam aliquid conferre posse videtur. Tædium enim, quod ex judiciis iniquis oriri posset, facile superatur voluptate, quam judicium viri vel unius, rerum periti, affert. Scio equidem virum fama & doctrina nulli cedentem, perillustrem L. B. de WOLF, & alios conatus meos non improbasse. Ipsummet etiam postea feudorum theoriam naturalem in egregio juris naturæ opere exhibuisse, constat. Vir etiam quoad jurisprudentiam feudalem præsertim inter paucos eminens, CHRIST. GOTTL. BUDERUS, specimen meum dignum judicavit, cui in *Bibliotheca juris Struviana* noviter edita locus concedatur. Benignius etiam de eodem judicavere Gœttingenses, quibus tamen non æque probantur omnia, quæ a censore librorum juridicorum proveniunt: Licet eorum multis encomiis abundantes recensiones relationibus suis inserere ipse non dubitet.

De utilitate, imo necessitate juris militum naturalis tam in præsenti quædam sum præfatus, quam in ipsa tractatione demonstrare conor, absque eo leges militares neque condi, neque dijudicari, nec jurisprudentiam militarem absque eodem esse posse. Cum ea non pro arbitrio assumserim, sed ex rationibus suis deduxerim: Fulcra hæc conquatere debet, qui contrarium asserere suscipit. Eorum enim, qui ea inutilia statim reputant, quæ cum ipsis non consentiunt, irrita erunt conamina, & proverbium obtinebit: Latrat, sed non mordet. Scientiæ enim & earum doctrinæ judicem alium non agnoscunt, nisi rationem, & veritas aliis armis non incedit. Quibus itaque nonnisi hæc curi cordique est, eorum judicio tentamina mea lubens submitto, & ab iis me erudiri gratus patiar. Cum enim humani nihil alienum a me putare possim: Errasse me facilis agnoscam. Et cum nihil magis tentem, quam ut ad solidam scientiam perducantur, quæ hactenus non nisi tumultuarie fuere tractata: Votorum satis compotem me credam, si ad curatius examinandas veritates, quæ hactenus enucleatæ non fuerunt, & ad perficienda ea, quæ cœpi, alios conamen meum incitet. Dabam Cassellis die 21. Martii 1754.



CON-



CONSPECTUS

SPECIMINIS JURIS MILITUM NATURALIS.

PRAECOGNITA.

CAP. I.

De Notione & constitutione militum, ut & Jure militari.

CAP. II.

De Obligationibus militum.

CAP. III.

De Juribus militum.

CAP. IV.

De Delictis militum.


CAP. V.

De Pœnis militum.

CAP. VI.

De Foro militum & Processu militari.

JURIS



JURIS MILITUM NATURALIS PRAECOGNITA.

§. 1.

Bellum est persecutio juris sui violenta adversus alterum, qui id ullo modo violat, aut denegat. *Belli definitio.*

GROTIUS equidem bellum dicit *statum* per vim certantium (§. 2. *cap.* 1. *lib.* 1. *de J B ac P.*), & CICERONEM reprehendit, quod bellum saltem certationem per vim dixerit: Cum usus obtinuerit, ut non actio, sed status eo nomine indicetur. *Perillustris* L. B. *de* WOLF hoc etiam usui loquendi convenientius judicavit, & ideo bellum definivit per statum hominum, in quo unus jus suum vi prosequitur adversus alterum (§. 1102. *Part. I. Jur. nat.*) Cum vero definitio ei competere debeat, cui definitum competit (§. 253. *Log.* WOLF.), ita, ut definitio substitui possit definito; Minus commode vero in iis locutionibus, in quibus voce *belli* utimur, id fieri posse videtur, si bellum per statum definiveris, ex. gr. si *jus belli*, *bellum gerere* seu *inferre* dixeris: Magis applicabilis videtur esse definitio belli, si illud persecutionem violentam juris dicas, & statum belli speciatim definias.

Quemadmodum itaque definitio *Wolfiana* cum *Grotiana* coincidit (*l. c. Jur. nat.* WOLF.): Ita *nostra* cum *Ciceroniana*. In nostra modo clarius explicatur, quid sub certatione per vim intelligendum sit, nempe violenta juris sui persecutio (§ 98. *Instit* J.N. WOLF.).

Hæc definitio, ipso monente GROTIO, (loco cit.) adeo generalis est, ut sub ea omnium bellorum genera comprehendantur. Dubium vero hoc videri posset de bello defensivo & punitivo.

Bellum enim defensivum dicitur, quo quis se defendit adversum alterum, qui ipsi bellum infert (§. 615. J. G. WOLF.). Cum vero bellum persecutio juris dicatur: Bello defensivo quis se defenderet contra eum, qui jus suum persequitur. Qui vero jus suum persequitur, mihi injuriam non facit. Cum itaque injuria sit unica justa belli causa (§. 617. l. c.): Nec mihi contra talem bellum liceret. Quare cum in persecutione juris bellum consistat: Bellum defensivum pro bello habendum non esset. Sed notandum est. Qui bello defensivo utitur, illi bellum vel justum vel injustum infertur. Si injustum: Tunc alter jus suum proprie non persequitur, sed injuriam mihi facit; adeoque contra eundem defensio mihi licet. Atque tunc utique jus meum, me nempe defendendi contra injurias aliorum, persequor. Adeoque in hoc casu bellum defensivum pro bello utique habendum est. Si justum: Nec defensio mihi competit; nec adeo bellum defensivum. Quodsi tamen in hoc casu me defenderem: Bello injusto dimicarem; Neque adeo proprie in hoc casu bellum defensivum gererem, sed potius jus suum persequenti vim injustam opponerem. Ulterius hoc dubium refellitur in *nota ad* §. 629. J. G. WOLF.

Similiter bellum punitivum dicitur, quo pœna sumitur ab altero (§. 616. J. G. WOLF.). Videri itaque posset, quasi illud non ad persecutionem juris, sed ad pœnam infligendam intendatur. Sed cum bellum punitivum obtineat saltem in eo casu, quo injuria facta irreparabilis est (*nota ad* §. 619. & 620. *l. c.*); Adeoque rationem suam habeat in jure puniendi eum, qui mihi injuriam intulit, quæ reparari non potest: Patet utique, quod bello punitivo jus aliquod persequar, jus nempe puniendi alterum.

Nec obstat, quod posita hac definitione bellum proprie dividi non possit in justum & injustum. Negamus enim, bellum injustum, si curatius loqui velis, esse bellum. Est potius invasio, latrocinium (§. 778. J G WOLF.). Unde etiam ALEXANDER M. vocatus est latro propter bella injusta, quibus gentes invasit. Bello injusto ex definitione belli nihil competit, nisi vis, quæ alteri infertur: Non vero ad persequendum jus, quippe quod non adesse supponitur: Licet is, qui bellum injustum infert, videri sæpius velit, vel etiam errore ductus putare possit, se jus suum persequi. Præterea in notione belli plerumque non spectatur moralitas, nec etiam de ea semper in vulgus constat (*not. ad* §. 629. J. G. WOLF.). Unde jure gentium voluntario quoad effectus bellum utrinque pro justo habendum est (§. 888. *l. c.*).

§. 2.

Status belli definitio. Status hominum, in quo unus jus suum vi persequitur adversus alterum, *status belli* dicitur.

Est hæc ipsa definitio, quam de bello dedit perillustris L. B. de WOLF in egregio opere Juris naturæ (§. 1102. Part. I.) Cur vero eandem statui be[l]

belli reservare, & bellum potius per actionem ipsam definire libuerit, monui jam in *nota ad* §. 1.

Cum status hominum, moralis nempe, sit, qui determinatur per jura ipsis competentia & obligationes ipsorum (§. 123. *Part. 1. J.N. WOLF.*), statum belli determinari per jura & obligationes in bello competentia & incumbentes, facile patet.

§. 3.

Bellum gerere seu *inferre* dicitur ille, qui jus suum adversus alterum id ullo modo violantem aut denegantem vi persequitur. *Bellum gerere s. inferre quis dicatur.*

Optime in hac locutione verbo *belli* substitui potest definitio ejusdem, quam dedimus (§. 1.). Sic enim bellum gerere seu inferre idem est, ac suscipere persecutionem violentam juris sui adversus alterum, qui id ullo modo violat aut denegat. Id, quod æque non procedit; si definitionem per statum adhibere velis.

Quod is etiam bellum gerat, qui bello tantum defensivo dimicat, evicimus jam in *nota ad* §. 1.

§. 4.

Bellum geri inter duos dicitur, si unus jus suum vi persequitur adversus alterum; Hic alter vero illi, qui jus suum persequitur, resistit. *Bellum geri quid sit?*

Bellum itaque, si justitiam internam spectes, ab uno latere semper injustum est (§. 633. J. G. WOLF.). Aut enim is, qui illud infert, juste agit: Et tunc alter resistere non deberet; aut juste non agit: Et tunc alteri utique defensio licet. In priori casu bellum ab illius, qui infert, parte justum; ab hujus, cui infertur, vero parte injustum esse; Et in posteriori casu contrarium obtinere, cuique apparebit. Cum vero jure gentium obtinuerit, ut omne bellum solenniter & rite indictum pro justo habeatur (*GROT. de J. B. & P. Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 5.): Hoc respectu bellum ab utraque parte, quoad effectus nempe, justum dici potest (§. 888. *J.G. WOLF.*).

§. 5.

Jus belli scilicet gerendi dicitur jus persequendi jus suum vi adversus alterum, qui id ullo modo violat vel denegat (§. 1103. *Part. I. Jur. nat. WOLF.*). *Juris belli definitio.*

In hac definitione nostra, quam de bello dedimus (§. 1.), applicatur. Quod nec æque fieri posset, si bellum per statum definiatur. Dici enim oporteret, quod jus belli sit jus status hominum, in quo unus jus suum adversus alterum vi persequitur (§ 2.). Quod vero usui loquendi non convenit. Et hinc etiam elucescit, quod magis conveniat, bellum per ipsam actionem, quam per statum definire.

§. 6.

Cui competat?

Jus belli tam homini unicuique a natura competit, quam gentibus, aut rectori civitatis, si nempe imperium summum seu civile in ipsum translatum est.

Quoniam hæc propositio a perillustri L. B. de WOLF partim in *J. N. Part.* I. §. 1104, partim vero in *J. G.* §. 613. & 614. jam demonstrata est: Actum agerem, si illud de novo aggredi vellem. Adducitur eadem hic saltem in gratiam eorum, quæ sequuntur.

§. 7.

Belli privati & publici definitio.

Quodsi bellum a persona singulari seu privato cum privato, seu a pluribus privatis cum privatis pluribus propria auctoritate geratur, *bellum privatum;* Quod si vero geratur inter gentes, seu auctoribus iis, qui summum imperium habent, *publicum* dicitur (§. 607. 608. J. G. WOLF.).

Hæ duæ species sub generali belli notione (§. I.) continentur. Jus enim belli etiam privatis a natura competere, jam evicimus (§. 6.). Cur vero bellum privatum, seu ut privatus contra privatum jus suum vi persequatur, in civitate tolerandum non sit, sed ejus loco judicia introducta fuerint, uberius explicatur & demonstratur §. 560. 561. & 562. *Part.* 8. *J. N. WOLF.*

Licet autem sub hac generali belli locutione bellum etiam privatum comprehendatur: Suevit tamen bellum modo publicum intelligi, si verbo *belli* absque aliquo additamento utatis. Id quod etiam in sequentibus obtinebit. Nobis enim ulterius de bello privato agere res non est: Sed hæc tantum majoris evidentiæ gratia adjecta sunt.

§. 8.

Bellum publicum a quo geratur.

Bellum publicum geritur a rectore civitatis, seu superiore, sive principe, si penes ipsum sit imperium summum seu civile. Bellum publicum enim dicitur, quod geritur auctoribus iis, qui summum imperium habent (§. 7.). Quare cum imperium summum penes rectorem civitatis, superiorem seu principem esse possit (§. 58. 59. *Part. 8. J. N. WOLF.*): & in casu præsenti penes ipsum esse supponatur (*per hypoth.*). Patet, quod bellum publicum geratur a rectore civitatis seu principe, si penes ipsum sit summum imperium.

Potest equidem bellum ex una parte esse publicum, & ex altera privatum. In quo casu *bellum mixtum* vocatur. Uti si rector civitatis bellum gerat cum subditis rebellibus (§. 609. & *not. J. G. WOLF.*).

§. 9.

Auctoris belli definitio.

Is, a quo, vel cujus nomine bellum geritur, *auctor belli* vocatur.

§. 10.

§. 10.

Hinc cum bellum publicum geratur a rectore civitatis seu superiore, si penes ipsum imperium summum sit (§. 8.): *Rector civitatis sive superior in bello publico auctor ejusdem est, si apud ipsum sit imperium summum.* *Quinam auctor sit belli publ.*

In sequentibus si de rectore civitatis, superiore seu principe quaedam praedicabuntur, semper supponetur, eundem habere summum imperium. Si enim summum imperium pro diverso rerum publicarum statu penes ipsum adhuc populum, aut optimates sit, uti esse potest (§. 36. *Part.* 8. *J. N. WOLF.*): Per se intelligitur, id, quod rectori tribuitur, populo seu optimatibus competere.

§. 11.

Pars altera, adversus quam bellum geritur, *hostis* dicitur. *Hostis definitio.*

Facile apparet, hanc denominationem esse relativam & reciprocam, ita, ut unusquisque eorum, inter quos bellum geritur (§. 4.), hostis dicatur respectu alterius. Perillustris L. B. de WOLF hostes hinc dixit eos, quibus inter se bellum est (§. 722. J. G.).

§. 12.

Bellum publicum supponit civitatem constitutam. *Bellum publicum supponit civitatem.*

Bellum enim publicum geritur inter gentes (§. 7). Gens vero est multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *Part. 8. J. N. WOLF.*). Denominatio itaque gentis civitatem constitutam supponit. Et hinc patet, quod bellum publicum civitatis constitutionem supponat.

Hae & aliae propositiones ideo praemittendae fuerunt: Quoniam ad demonstrationem eorum necessaria sunt, quae proprie jus militum efficiunt.

§. 13.

Ad bellum publicum gerendum opus est hominibus pluribus seu multis. *Multos homines requirit.*

Bellum enim requirit, ut vis inferatur (§. 1.). Quare cum bellum publicum inter gentes geratur (§. 7.): In bello publico a gente una vis inferri debet genti alteri. Gens vero multitudinem hominum involvit (l. c. J. N. WOLF.). In bello publico itaque vi unita multorum gens adoritur gentem, cui bellum infert (§. 607. J. G. WOLF.), adeoque a multis vis inferri debet multis. Hinc patet, quod bellum publicum absque hominibus, iisque multis seu pluribus, geri non possit.

Haec quidem ea sunt, quae ad notionem militum eruendam & jura aeque ac obligationes eorundem de ducenda necessaria, adeoque praemittenda duxi. Jam vero notio militis §. statim sequenti dabitur & paulatim ulterius explicabitur; Jura vero & obligationes militum suo quaeque loco demonstrabuntur.

PRAECOGNITORUM FINIS.



JURIS MILITUM NATURALIS

CAPUT I.

DE NOTIONE ET CONSTITUTIONE MILITUM, UT ET JURE MILITARI.

§. 14.

Militis definitio. Homines, qui ad bellum publicum gerendum adhibentur vel destinantur, *milites dicuntur.*

Olim quidem plerumque mos erat, milites non prius conscribere, quam bellum imminebat, aut decernebatur. Hodie vero obtinuit, ut vel pacis tempore, & cum de bello nondum cogitetur, milites alantur. In hoc casu milites non actu semper ad bellum adhibentur, sed eidem saltem in eum casum destinantur, si bellum oriatur. Ut itaque definitio utrique militum generi congruat: Necessarium fuit eidem inserere, quod milites ad bellum vel adhibeantur, vel destinentur.

Vocis *militis* etymologiam omnes fere indagare student, qui dissertatiunculam quamcunque ex jure militari compilaverunt. Et sollicitus jam de ea fuit ULPIANUS *l.* 1. *§.* 1. *ff. de Test. mil.* Plures & vel ridiculas collegit *Jo. Joach.* SCHOEPFER in *Diss. de milite desertore cap.* 1. *§.* 3. *seqq.* Optime tamen sentire, me judice, videtur, Dn. de LUDEWIG, qui ducem habuit ULPIANUM c. l., dum ex eo illam deducit, quod milites in numeros, hoc est, ordines referri debuerint; Romani vero numeros græco vocabulo *tagma*, & Græci multitudinem mille hominum τάγμα appellaverint; Ita ut miles dictus sit millesimus quisque, hoc est, unus ex mille (§. 4. *nota* (*a*) *Diss. de differentiis juris rom. & germ. in re milit*). Similiter, licet ex alia ratione, denominationem militis a numero millenario deducit *Steph.* WAGA in *Diss. de eo, q. j. e. circa pœnas mil. ignom.* §. 23.

Aeque seduli sunt in formandis militis definitionibus; Præsertim etiam modo dictus SCHOEPFER *l. c.* §. 14. Eas tamen nimis jus romanum sapere & non applicabiles censet *Jo. Gottl.* LAURENTIUS, & sequentem illarum optimam putat, *quod miles sit persona ab eo, qui jus belli gerendi habet, ad bellum lecta, in numeros relata & sacramento firmata* (§. 4 *tr. de Jurisd. in milites excedentes*). Quæ tamen, si ad regulas logicas examinetur, abundans & definito suo nihilo secius angustior facile deprehenditur. Nam cum dicatur, quod miles sit persona

lecta;

lecta; Milites vero non modo legantur, sed etiam conducantur; Uti patebit in sequentibus (§. 20.): Milites conductitios non comprehendit; adeoque definito suo angustior est. Quod vero milites constituantur ab eo, qui jus belli habet, ex eo fluit, quod ad bellum adhibeantur. Quare cum hoc in definitione jam contineatur; Illud per hoc jam determinatur, & hinc potius demonstrari debet. Quod in numeros referri debeant, hoc instituti saltem romani fuit, uti monebitur *nota ad* §. 48. Et quod sacramento firmentur, hoc, ipso monente SCHOEPFERO (§. 18. l. c.), necessitatis non est; Uti nec apud omnes gentes, Batavos ex. gr. obtinet. Neque adeo hæc nota militi intrinseca est. Definitio itaque laudata continet & quæ per se invicem determinantur, & quæ rei definitæ intrinsecæ non sunt, adeoque plures notas comprehendit, quam ad rem definitam agnoscendam & ab aliis discernendam necessariæ sunt. Quare cum ea, quæ per se invicem determinantur (§. 950. *Log. lat. WOLF.*), & ea, quæ rei definitæ intrinseca non sunt (§. 154 *l. c.*), definitionem ingredi non debeant; Et definitio nec plures nec pauciores notas continere debeat, quam ad rem agnoscendam & ab aliis distinguendam necessariæ sunt (§. 153. *l. c.*): Et notio, quæ plures notas continet, abundans dicatur (§. 93. l. c.): Patet, quod definitio omnium optima judicata, abundans tamen simul & nimis angusta, & regulis logicis maxime sit contraria. Maxime itaque fuit necessarium, notionem militis talem formare, qualis rei convenit, & ex qua jura & obligationes militum deduci possint.

§. 15.

Quare cum bello in genere, adeoque & bello publico, vis inferatur (§. 1.); Milites vero ad bellum publicum gerendum adhibeantur (§. 14); Pars altera vero, adversus quam bellum geritur, hostis dicatur (§. 11.): *Per milites auctor belli vim infert parti alteri, cum qua bellum gerit, seu hosti.* *Per eos vis infertur.*

Perillustris L. B. de WOLF hinc milites definit per homines sive personas, per quas auctor belli vim infert parti alteri, cum qua bellum gerit (§. 610. *Jur. gent.*). Quum vero ad demonstrationem eorum, quæ sequuntur, aptius visum fuerit, in notione militum belli publici meminisse. Eandem, uti §. 14. continetur, formare, & propositionem præsentem per modum corollarii inde deducere convenientius credidi.

§. 16.

Cum per milites in bello vis inferatur (§. 15.); Feminæ vero masculis debiliores sint, neque adeo ad vim inferendam, qualem bellum requirit, æque idoneæ; Propter partum & educationem liberorum etiam bello æque vacare non possint; Facile patet, quod *milites esse non conveniat, nisi masculos, minime vero feminas.* *Masculi sint, nec feminæ.*

Licet enim de republica Amazonum, solis feminis conflata, narretur, quæ bella vel gravissima gesserint: Tota res aut veritate destituitur, aut plane

plane alia apud ipsas fuisse debuit constitutio, suis difficultatibus non destituta. Exempla tamen non desunt virginum, quæ sexum suum celantes, milites factæ sunt. Cum vero alia super accedat ratio, quæ ipsas a militia arceat; Metus nimirum seductionis militum ad libidinem: Nec volentes inter milites non tolerantur modo, sed & extra ordinem puniuntur. Cujus rei exempla refert *Adr.* BEYER in *Juris milit. prud. L.* 2. *Tit.* 1. §. 2. *n* 473. 474.

Simili ratione ad ministerium belli ineptos esse infantes, pueros, senes, aliasque personas debiles, item nimis timidos & alios, deduxit *perill.* L. B. *de* WOLF (§. 752. *J. G.*). Feminas vero a bellorum ministerio non arcere naturam, retur (*sch. §. cit.*).

§. 17.

Ad bellum publ. necessarii.

Bellum publicum itaque geri nequit absque militibus.

Ad bellum publicum gerendum enim opus est multis seu pluribus hominibus (§. 13.): Bellum itaque publicum geri nequit absque hominibus. Quare cum homines, qui ad bellum publicum gerendum adhibentur, milites dicuntur (§. 14.): Patet, quod bellum publicum geri non possit absque militibus.

Sunt nimirum milites causa belli instrumentalis, quemadmodum auctor belli ejusdem causa principalis est. Uti pluribus evincitur in *schol. ad* §. 610. *J. G. WOLF.* Propositio hæc equidem, quemadmodum aliæ, per se evidens, adeoque & ipsa & ejus demonstratio maxime superflua videri posset. Cum vero si solidiori via in tractandis disciplinis incedere, easque per modum scientiæ proponere velis, omnia principiis certis & indubitatis niti, & unum ex altero paulatim inferri debeat (§. 30. *Log. lat. WOLF.*); Hæc vero propositio, uti ex antecedentibus illata, ita ad intellectum & demonstrationem sequentium applicabitur: Ejus adjectio & demonstratio a nemine nisi methodi naturalis ignaro & contemtore pro supervacanea habebitur.

§. 18.

Civitatem supponunt;

Milites supponunt civitatem constitutam.

Milites enim ad bellum publicum gerendum adhibentur (§. 14). Quare cum bellum publicum civitatem constitutam supponat (§. 12.): Patet, quod & milites civitatis constitutionem supponant.

§. 19.

Milites conscribere, quid?

Milites constituere seu *conscribere* dicitur destinare & adstringere certas personas ad bellum publicum gerendum.

§. 20.

A superiore constituuntur.

Milites itaque a rectore civitatis seu superiore constitui debent.

Milites enim ad bellum publicum gerendum adhibentur (§. 14); Nec sine ipsis bellum publicum geri potest (§. 17.). Qui itaque bellum publicum

blicum gerere vult, milites constituere debet. Quare cum bellum publicum geratur a rectore civitatis seu superiore (§. 8.): Milites a rectore civitatis seu superiore constitui debere, patet.

§. 21.

Genti sive ejusdem rectori competit jus milites conscribendi. *Jus milites conscribendi cui competat?*

Jus enim milites conscribendi competit ei, qui jus belli habet (§. 745. *Jur. gent. WOLF.*). Quare cum jus belli, publici nempe, genti seu ejusdem rectori competat (§. 6. 7.): Genti sive ejusdem rectori jus milites conscribendi competere debet.

§. 22.

Quod si vel inviti milites conscribantur, *legi*; si vero volentes, *conduci* dicuntur. *Milites legere & conducere, quid?*

Legere quidem & conscribere milites promiscue sumuntur, adeo ut legi etiam dicantur volentes (§ 753. *Jur. gent. WOLF*). Plerumque tamen legere solum dicitur de iis, qui vi summæ potestatis conscribuntur; Hinc *delectus* militum, militia *lecta* provincialis. Quare cum conscribi dici non soleat, nisi de volentibus; In scientiis vero conveniat cuique vocabulo certum significatum attribuere; E re visum fuit, *legi* non dici, nisi invitos.

§. 23.

Quare cum nemo invitus conscribendus sit miles, nisi necessitas id exigat (§. 750. *J. G.* VVOLF.); Miles vero, qui invitus conscribitur, legi dicatur (§. 22.): *Miles extra casum necessitatis legendus non est.* *Quando non legendi?*

§. 24.

Cum vero necessitas milites legendi, hoc est, invitos conscribendi (§ 22.), non adsit, quam diu spontanei conduci possunt (*quod per se patet*); Extra casum necessitatis autem miles legendus non sit (§. 23.): *Milites legendi non sunt, quamdiu spontanei conduci possunt.* *Quamdiu non legendi?*

§. 25.

Genti itaque seu ejusdem rectori jus milites legendi non competit, nisi in casu necessitatis, & si spontanei amplius conduci non possunt. *Jus legendi quando competat?*

Genti enim sive ejusdem rectori jus conscribendi (§. 21), & cum hoc etiam jus legendi comprehendat (§. 22.), jus milites legendi competit. Cum vero miles legendus non sit, nisi necessitas id exigat (§. 23.); aut quamdiu spontanei conduci possunt (§. 24.): Genti seu ejusdem rectori jus milites legendi competere nequit, nisi necessitate exigente & spontaneis non existentibus, qui conduci se patiantur.

§. 26.

Qui legi possint?

Si tales in civitate deprehendantur, qui ad aliud vitæ genus, quod sequi debebant, inepti sunt, illi milites legi possunt.

Superioris enim est in civitate, in quolibet vitæ genere determinandi numerum eorum, quibus id sequi permissum sit (§. 401. *Part.* 8. *Jur. nat.* WOLF), & dispicere, ne tales desint, qui ad idem apti sunt (§. 399. l. c.). Si tales itaque deprehendantur, qui ad aliud vitæ genus quacunque de causa inepti sunt; Necesse est, ut hi potius milites constituantur, quam alii. Quare cum in casu necessitatis miles legi possit (§. 25.): Patet, quod si tales in civitate deprehendantur, qui ad aliud vitæ genus, quod sequi debebant, inepti sunt, milites legi possint.

§. 27.

Otiosi legi possunt.

Quare cum ii, qui otio se dedunt, ad aliud vitæ genus merito inepti judicentur; Inepti vero ad aliud vitæ genus milites legi possint (§. 26.): *Otiosi cives seu subditi milites legi possunt.*

§. 28.

Militis perpetui definitio.

Si milites etiam pacis tempore in casum saltem belli alantur, *miles* dicitur *perpetuus.*

Sic jam apud Romanos militia erat perpetua & pro diversis temporibus etiam mercenaria seu stipendiaria. Germanis vero olim in pace nulli, neque in bello alii, quam subditi & clientes milites erant (*Jo. Pet. a* LUDEWIG in *Diss. de Differ. juris rom. & germ. in re milit. p.* 1. *& seqq.*). Hodie vero militia perpetua ubique fere recepta est.

§. 29.

An legi possit?

Si miles perpetuus alatur, & eorum copia non adsit, qui sponte sua conduci se patiantur, milites etiam legi possunt.

Militem enim perpetuum alere, uti suevit, ita expedire creditur. Et cum aliæ civitates militem perpetuum alant, adeoque ad bellum strenue inferendum semper paratæ sint; Salus civitatis exigere videtur, ut reliquæ similiter agant, quo contra subitam invasionem defendere se possint. Necessitatis itaque præsertim hodie fere est, ut miles perpetuus alatur. Quare cum in casu necessitatis milites vel legere liceat (§. [illegible]): Patet, quod ad militem perpetuum alendum, milites etiam legere liceat. Cum vero milites legendi non sint, quamdiu spontanei conduci possunt (§ 24.): Necesse est, ut & in casu militis perpetui copia eorum non detur, qui sponte conduci se patiantur; priusquam legi possint milites. Et hinc elucet veritas asserti, quod si miles perpetuus

tuus alatur, & eorum copia, qui ſponte conducantur, non adſit, milites etiam legi poſſint.

An militia perpetua, an temporaria præferenda ſit in republica, in univerſum definiri non poſſe, ſed pro circumſtantiis dijudicandum eſſe ſtatuit perill. L. B. de ICKSTATT in *Diſſ. de Illicitis militum conquiſit. &c. ſch. ad* §. 3. Cum vero deciſio hujus quæſtionis hujus loci non ſit: Hic tantum per hypotheſin militiæ perpetuæ præferentia & neceſſitas ſupponitur.

§. 30.

Princeps ſeu ſuperior jus milites quocunque modo conſcribendi aliis committere poteſt. *Conſcriptio militum aliis committi poteſt.*

Jus enim conſcribendi milites ad jura majeſtatica pertinet (§. 747. *Jur. gent. WOLF.*). Exercitio vero jurium majeſtaticorum princeps ipſemet ſolus non ſufficit (*quod per ſe patet*): Neceſſe itaque eſt, ut eorum exercitium aliis committere poſſit. Et hinc patet, quod princeps etiam jus milites conſcribendi aliis committere poſſe debeat.

§. 31.

Jus milites legendi vel quocunque modo conſcribendi nemini competit, niſi principi, ſeu ei, cui princeps ejuſdem exercitium commiſit. *Non competit, niſi cui commiſſa.*

Jus enim milites conſcribendi, adeoque & legendi (§. 22), ad jura majeſtatica pertinet (§. 747. *Jur. gent. WOLF.*). Jura majeſtatica vero non competunt niſi ei, qui imperium civile exercere debet in republica ſeu ſuperiori (§. 810. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). In præſenti vero ſupponitur, imperium ſummum, ſeu civile eſſe apud principem (*nota ad* §. 10.). Jus itaque milites conſcribendi adeoque & legendi nemini, niſi principi competit. *Q. e. 1.*

Cum vero princeps jus milites quocunque modo conſtituendi aliis committere poſſit (§. 30.) & ei, cui committit, illud competere debeat; Is vero, qui ſummum imperium habet, adeoque & in caſu præſenti princeps, in ejuſdem exercitio prorſus liber ſit (§. 46. l. c.): Ab ejuſdem arbitrio pendet, cuinam exercitium juris milites conſcribendi committere velit. Patet itaque, quod præter principem jus milites legendi vel quocunque modo conſcribendi nemini competat, niſi cui princeps ejuſdem exercitium commiſit. Q. e. 2.

Quoniam principi incumbit cura, ut in quolibet vitæ genere ſufficiens ſit numerus eorum, quibus id ſequi permiſſum (§. 401. *Part. 8. J. N. WOLF.*): In militum conſcriptione & præſertim lectione ſeu delectu curandum eſt, ne numerus eorum, qui alia vitæ genera agunt, ultra quam par eſt, minuatur, præſertim ne agricultura & opificia inde detrimentum

tum capiant. Prævia itaque cognitio circumſtantiarum eorum requiritur, qui milites legi, adeoque inviti conſcribi (§. 22.), debent. Præpoſitis vero præfecturarum, ſeu prætoribus optima datur facultas noſſe circumſtantias ſubditorum. Cum tamen non ſemper judicio unius ſtare conſultum ſit: Fieri plerumque ſolet, ut delectus militum committatur collegiis ad res militares ordinandas conſtitutis, quæ adhibito conſilio prætorum & cognita cauſa proſpiciunt, ne alii legantur vel conſcribantur, quam qui absque neglectu agriculturæ & opificiorum militiæ vacare poſſunt.

§. 32.

Quousque liceat?

Nemo in conſcribendis militibus ulterius procedere poteſt, quam ipſi a principe indultum eſt.

Jus enim milites conſcribendi ad jura majeſtatica (§. 747. *J. G. WOLF.*), adeoque ad ſummum imperium pertinet (§. 810. *Part. 8. J. N. WOLF*); Cum itaque princeps in exercitio ejusdem liber ſit (§. 46. *l. c.*): Ab ejus arbitrio dependere debet, quousque jus milites conſcribendi cuidam indulgere velit. Quare cum nemini jus conſcribendi milites aliter, quam ex conceſſione principis competat (§. 31): Ei, cui illud indultum eſt, plus competere nequit, quam princeps voluit. Atque hinc patet, quod in conſcribendis militibus nemo ulterius procedere poſſit, quam ipſi a principe fuit indultum.

§. 33.

Conducens non niſi volentes conſcribit.

Quodſi itaque cuidam jus conducendi milites conceſſum ſit, non niſi volentes milites conſtituere poteſt.

Non enim, niſi volentes, milites conduci poſſunt (§. 22.). Quare cum hic jus milites tantum conducendi conceſſum ſupponatur (*per hypoth.*); In conſcribendis militibus vero quis ulterius procedere non poſſit, quam ipſi a principe fuit indultum (§. 32.): Facile patet, quod ſi cuidam jus milites conducendi conceſſum ſit, is conſcribere non poſſit, niſi volentes.

Cum militia perpetua certum ſemper numerum militum exigat, adeo, ut eorum, qui quocunque modo decedunt, loca ſtatim reſtituenda ſint; Defectum militum vero optime cognoſcant ii, qui ipſis præficiuntur: Præfectis militum etiam optime conceditur jus loca eorum, qui deceſſere ſupplendi. Alios itaque, ut conſcribant, ipſis committi neceſſe eſt. Cum vero non niſi jus conducendi, neutiquam legendi, ipſis concedi ſoleat: Facile videbitur, præfectis militum, ſi jus conducendi milites ipſis indultum ſit, conſcribere non licere, niſi volentes.

§. 34.

§. 34.

Milites legi non possunt nisi subditi.

Qui legi possint?

Jus enim milites legendi, quemadmodum conscribendi in genere, ad jura majestatica pertinet (§. 747. *Jur. gent. WOLF.*). Jura majestatica vero vi summi imperii competunt (§. 207. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum summum imperium non exerceatur nisi in subditos (§. 141. *l. c.*): Patet, quod milites legi non possint, nisi subditi.

§. 35.

Peregrini milites constitui non possunt, nisi volentes.

Non peregrini.

Milites enim, qui inviti constituuntur, legi dicuntur (§. 22.). Quare cum milites legi non possint, nisi subditi (§. 34.); Peregrini vero cives seu subditi non sint (§. 7. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Peregrini inviti milites constitui nequeunt. Patet itaque, quod, si peregrini milites constitui debeant, non nisi volentes possint.

Hinc licet in alieno territorio a superiore ejusdem militem conscribere alteri permittatur: Conscribi tamen non possunt nisi volentes (§. 753. *J. G. WOLF.*). Multo magis itaque elucet, quam injustæ sint conquisitiones militum, quæ fiunt in alieno territorio invito superiore & in invitos, ita, ut etiam peregrinus super hac re deprehensus puniri possit (§. 754. l. c.). Peculiarem *de illicitis militum conquisitionibus in territorio alieno, earumque pœnis* scripsit dissertationem L. B. *Jo. Adam ab ICKSTATT*, Wirceburgi 1738.

§. 36.

Conduci autem possunt milites tam subditi, quam peregrini.

Qui conduci possint.

Milites enim non conducuntur nisi volentes (§. 22.). Ab arbitrio igitur eorum, qui conduci se patiuntur, dependet, an milites fieri velint, nec ne. Licet itaque subditi ad militiam obligentur, & vel inviti constitui possint: Hoc tamen ad casum saltem necessitatis restrictum est (§. 23.). Quod si itaque extra casum necessitatis milites constitui debeant; Non nisi volentes possunt. Quare cum, qui volens constituitur miles, conduci dicatur (§. 22.): Subditos conducere milites non repugnat. Et cum nec peregrini aliter constitui milites possint, nisi volentes (§. 35.): Patet, quod tam subditi quam peregrini milites possint conduci.

Perillustris equidem L. B. de WOLF statuit, quod miles conductitius esse nequeat, nisi peregrinus (*not. ad* §. 765. *J. G.*). Cum enim subditi naturaliter ad militiam obligentur: Nullo pacto opus esse ad inducendam ipsis obligationem, quæ natura jam adest; Et hinc superiori in subditos, etsi sponte nomen dent militiæ, jus competere, ut eos milites con-

 scribat

scribat (*loc. cit.*). Cum vero nemo invitus miles conscribendus sit, nisi necessitas id exigat (§. 750. *l. c.*); Adeoque subditi non nisi in casu necessitatis ad militiam obligentur (§. 749. *ib*): Extra casum necessitatis ipsis liberum esse debet, an militiæ se dare velint, nec ne. Hanc etiam libertatem subditis in plerisque minimum terris actu relinqui, constat. Nec hoc jus principis ullo modo minuit. Cum enim judicium de necessitate principi relinquendum sit (§. 783. *l. c.*): Ipsius etiam judicio nititur, quando casum necessitatis existere, adeoque milites legendos existimet. Et in sequentibus etiam demonstrabitur, quod subdito, qui saltem miles conductitius est, obligatio naturalis superaccedere possit (§. 48.). Mihi itaque hactenus aliter judicare non licet, quam quod miles conductitius tam subditus, quam peregrinus esse possit. Id quod tamen pace tanti Viri dixerim, meliorem, si errem, sententiam lubens amplexurus.

§. 37.

Militis lecti & conductitii, item tyronis definitio.

Milites, qui leguntur, *lecti*; Qui conducuntur, sive subditi sint, sive peregrini, *conductitii*; Milites vero noviter aut lecti, aut conducti *Tyrones* dicuntur.

Tempus, quousque miles tyro maneat, jure naturæ definiri nequit; Prouti nec legibus positivis exacte circumscriptum est. Cum vero præsertim quovis anno, ineunte vere maxime, loca militum vacua suppleri soleant, adeoque quovis anno milites noviter lecti aut conducti accedant: Convenire videtur, ut hi tamdiu tyrones dicantur, donec anno sequenti accedant alii, qui tunc tyronum nomine insigniendi sint. Ut itaque miles per anni spatium ad tyrones referatur, ipsi rei consentaneum est: Non abs re quidem est, hanc quæstionem movere. Cum enim tyrones certis juribus præ militibus jam diutius in militia versatis gaudeant; ut v. gr. mitius puniantur, si delinquant: Scire expedit, quamdiu milites in tyronum statu constituti maneant.

§. 38.

Ambo ad militiam obligantur.

Milites itaque tam lecti, quam conductitii ad militiam obligantur. Principi enim competit jus milites conscribendi (§. 21.), & in casu necessitatis vel invitos legendi (§. 23.), ex subditis nempe (§. 34.). Princeps itaque subditis imponere potest necessitatem militiam subeundi, adeoque ipsos obligare ad militiam. Quæ obligatio ex parte principis activa est (§. 118. *Part. 1. phil. pract. univ. WOLF*). Quare cum ex obligatione activa passiva veniat (§. 119. l. c.): Juri legendi in principe respondere debet obligatio, passiva nempe, in subditis ad militiam subeundam. Patet itaque, quod subditi, qui leguntur, seu milites lecti (§. 37.), ad militiam obligentur. *Q. e. i.*

Cum vero milites conductitii volentes milites fiant (§. 22.); Adeoque id velint, quod vult is, qui eosdem conducit: In militiam consentiunt (§. 658.

(§. 658. *loco cit.*) & declarant, quod illam præstare velint. Declaratio vero, se alteri quid præstare velle, promissio vocatur (§. 361. *Part.* 3. *Jur. nat. WOLF.*). Quare cum ex promisso obligetur promissor (§. 361. *l. c.*): Patet quod & milites conductitii ad militiam obligentur. *Q. e. 2.*

Per militiam statum militarem denotari satis notum est. Ejus itaque significatum per notionem confusam suppono: Cum methodi ratio nondum permittat, ejus definitionem dare. Quod tamen suo loco fiet in sequentibus.

§. 39.

Obligatio militum lectorum ex subjectione civili; Conductitiorum ex promissione venit. *Unde obligentur?*

Milites enim legi non possunt, nisi subditi (§. 34.); Et jus milites legendi ad jura majestatica pertinet (§. 747. *Jur. gent. WOLF.*). Jura majestatica vero vi imperii summi seu civilis competunt (§. 207. *Part.* 8. *Jur. nat. WOLF.*). Jus itaque milites legendi rationem suam habet in imperio summo sive civili. Quare cum hoc juri in subditis respondere debeat obligatio (*per dem.* §. 3 :.): Subditi ad militiam obligantur, quia imperio summo seu civili subjecti sunt. Subjectio vero, quæ imperio civili debetur, civilis dici solet (*per def.*). Patet itaque, quod obligatio militum lectorum ex subjectione civili veniat. *Q. e. u.*

Milites vero conductitii non nisi volentes tales fiunt (§. 22.). In ipsis igitur non adest obligatio ad militiam, nisi ex voluntate eorum. Ad militiam itaque non obligantur, nisi quatenus declarant, se illam alteri præstare velle (*per dem.* §. 38.). Quare cum declaratio, se alteri quid præstare velle, promissio dicatur (§. 362. *Part.* 3. *Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod obligatio militum conductitiorum ex promissione veniat. *Q. e. a.*

§. 40.

Milites lecti vel subditi itaque vel naturaliter ad militiam obligantur. *Lecti naturaliter obligantur.*

Subditi enim ipso jure naturæ ad militiam obligantur (§. 749. *Jur. gent. WOLF.*), adeoque & milites lecti, qui non nisi subditi sunt (§ 34.). Milites lecti itaque & subditi vi legis naturalis ad militiam obligantur. Qui vero vi legis naturalis obligatur, naturaliter obligatur (§. 145. *Part.* 1. *Phil. pract. univ WOLF.*): Patet itaque, quod milites lecti vel subditi & naturaliter ad militiam obligentur.

Non

Non obstat, quod obligatio subditorum ad militiam connata non sit, cujus ratio proxima nempe in ipsa hominis essentia & natura continetur (§. 17 *Part.* 1 *Jur. nat* WOLF.); Sed contracta, quæ factum quoddam interveniens supponit (§. 18. *l. c.*), quod hic est civitatis constitutio (§. 18). Obligationes enim contractas etiam naturales esse posse, quemadmodum jura acquisita, quæ iisdem respondent, naturalia, stabilivit perillustris L. B. de WOLF (*Schol. ad* §. 39. *loc. cit.*).

Nullo itaque quidem pacto opus est ad inducendam obligationem, quippe quæ natura jam adest (*Schol. ad* §. 765. *Jur. gent.* WOLF.). Si vero rem curatius inspicias, pactum tacitum subesse videbitur. Subditorum enim obligatio ad militiam inde est, quia cives sunt (§. 749. *Jur. gent. W.*), & venit ex subjectione civili (§. 39.) adeoque rationem suam habet in statu civitatis. Civitas vero tanquam societas (§. 4. *Part* 8. *Jus nat. W.*), pacto vel quasi pacto nititur (§. 1. *Part.* 7. *l. c.*). Originarie itaque obligatio & subditorum rationem suam habet in pacto. Et cum id, quod rationem suam, cur sit & tale sit, habet in altero, oriri dicatur ex altero (§. 22. *Part.* 1. *l. c.*): Originarie etiam obligatio illa ex pacto oritur seu venit. Licet, cum pactum hoc consensu saltem tacito nitatur (§. 660. *Part.* 1. *Phil pract. univ. W.*), pactum tacitum sit (§. 791. *Part* 3. *Jur. nat. W.*). Quod vero, cum consensus tacitus verus utique sit (*schol. ad* §. 504. *Part.* 5. *l. c.*), verum pactum est.

§. 41.

Subditi cogi possunt ad eam.

Subditi in casu necessitatis ad militiam cogi possunt, si illam amplecti recusent.

Genti enim seu ejus rectori in casu necessitatis jus competit milites legendi (§. 25.). Quod, cum majestaticum sit (§. 747. *Jur. gent.* WOLF.), adeoque ex constitutione civitatis veniat (§. 207. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*), quæ pacto nititur (§. 4. *l. c.*), utique perfectum est (§. 794. *Part.* 3. *l. c.*). Legi vero non possunt, nisi subditi (§. 34). Quodsi itaque subditi in casu necessitatis milites fieri recusent: Genti seu ejus rectori non tribuunt vel denegant jus perfectum, quod illi competit. Si quis vero alteri jus suum perfectum tribuere non vult, vi adigi potest ad illud reddendum (§. 1101. *Part.* 1. *Jur. nat. W.*). Quare cum, qui vi adigitur ad perfecte debitum præstandum, quod alteri id exigenti denegat, cogi dicatur (§. 795. *Part.* 3. *l. c.*): Patet, quod in casu necessitatis subditi ad militiam cogi possint, si illam amplecti recusent.

§. 42.

Non alii.

Ad militiam tamen nemo potest cogi, nisi subditi in casu necessitatis.

Subditi enim in casu necessitatis ad militiam cogi possunt, quia ad eandem in hoc casu perfecte obligantur, adeoque genti seu ejusdem rectori jus perfectum competit (*dem.* §. 41.). Nemo vero ad militiam obligatur, quam subditi in casu necessitatis (§. 749. *Jur. gent. W.*) Quare cum

cum nemo cogi possit ad quid faciendum, nisi qui ad idem perfecte obligatur (§. 80. *Inst. jur. nat. & gent. WOLF.*): Patet, quod ad militiam cogi non possint, nisi subditi in casu necessitatis.

§. 43.

Quare cum legi non possint, nisi subditi (§. 34.), & quidem non nisi in casu necessitatis (§. 23.); Nemo vero etiam cogi possit ad militiam nisi subditi, & quidem in casu saltem necessitatis (§. 42.): *Nemo ad militiam cogi potest, nisi qui legi potest.* *Nemo, nisi qui legi potest.*

Cum tamen casus necessitatis non ad ipsum bellum restrictum sit, sed & pacis tempore, si miles perpetuus alatur, & eorum copia non adsit, qui conduci se patiuntur, milites etiam legi possint (§. 29.): Facile apparet, etiam in eo casu vel pacis tempore, subditos otiosos & qui ad aliud vitæ genus inepti deprehenduntur, cogi posse ad militiam, si superior illud necessarium judicet. Cum ipsi judicium de necessitate eorum, quæ ad bellum gerendum faciunt, relinquendum sit (§ 783. *Jur. gent. WOLF.*).

§. 44.

Qui milites constitui non possunt, quam si conducantur, cogi nequeunt ad militiam. *non, qui conduci debent.*

Ad militiam enim cogi nequit, nisi qui legi potest (§. 43.), hoc est, qui invitus miles constitui potest (§. 22.). Qui itaque non nisi volens miles constituitur, cogi nequit. Quare cum non conducantur, nisi volentes (*ibid.*): Patet, quod ad militiam cogi nequeant, qui milites constitui non possunt, quam si conducantur.

§. 45.

Subditi itaque, extra casum necessitatis, ut & peregrini cogi nequeunt ad militiam. *non subditi extra casum necessitatis, nec peregrini.*

Peregrini enim non nisi volentes milites constitui possunt (§. 35.) Subditi vero extra casum necessitatis legendi non sunt (§. 23.), adeoque inviti constitui milites nequeunt (§. 22.) Quodsi itaque subditi extra casum necessitatis constitui debeant, non nisi volentes posse, facile apparet. Quare cum milites, qui volentes constituuntur, conduci dicantur (*ib.*): Tam subditi extra casum necessitatis, quam peregrini constitui nequeunt milites, quam si conducantur. Qui vero milites aliter constitui nequeunt, quam si conducantur, cogi non possunt ad militiam (§. 44.). Hinc patet, subditos extra casum necessitatis, ut & peregrinos cogi non posse ad militiam.

Casum tamen necessitatis non præcise ad ipsum bellum restrictum esse, jam monui in scholio ad §. 43.

§. 46.

Ad militiam injuste coactus non obligatur.

Si quis ad militiam cogatur, quem cogere jus nullum est, ille ad eandem non fit obligatus.

Qui ad militiam cogi nequit, miles aliter constitui non potest, quam si conducatur (§. 44.). Milites vero, qui conducuntur, non nisi ex promisso obligantur (§. 39.). Nulla itaque militum, qui conducuntur, obligatio ad militiam adest, ante promissionem. Cum vero talis hic cogi supponatur (*per hypoth.*); Qui vero cogitur, vi adigatur ad quid faciendum (§. 795. *Part.* 3. *Jur. nat. W.*): Qui ad militiam cogitur, illi promissio militiæ vi extorquetur. Ex promissione vi extorta vero nulla nascitur obligatio (§. 576. *l. c.*): Nullam vero aliunde hic adesse, supponitur (*per hypoth.*). Patet itaque, quod si quis ad militiam cogatur, quem cogere jus nullum est, ille ad eandem non fiat obligatus.

§. 47.

nec subditus extra casum necessitatis.

Quare cum subditos extra casum necessitatis & peregrinos ad militiam cogere jus nullum sit (§. 45.); Is vero, qui ad militiam cogitur, cum jus nullum sit cum cogendi, non fiat obligatus (§. 46.): *Si subditi extra casum necessitatis, vel peregrini ad militiam cogantur, ad eandem non fiunt obligati.*

§. 48.

nisi postea velit.

Si tamen miles ad militiam injuste coactus, postea stare velit promissioni, licet invalidæ, & illud verbis aut factis declaret, ille ad militiam fit obligatus.

Ex promissione militis ad militiam injuste coacti obligatio non nascitur (§. 46.), adeoque eadem invalida est. Si vero in genere promissor promissioni invalidæ, re cognita, stare velit, illudque verbis aut factis declaret, eadem convalescit (§. 589. & 590. *Part.* 3. *Jur. nat.* WOLF.). Si itaque & miles injuste ad militiam coactus, postea stare velit promissioni suæ licet invalidæ, illudque verbis aut facto declaret, & eadem convalescit. Si vero promissio convalescit, ea valida efficitur (§. 588. *l. c.*). Quare cum ex promissione valida obligatio nascatur (§. 363. *ibid.*): Facile elucet, quod & si miles ad militiam injuste coactus fuerit, postea tamen stare velit promissioni, licet invalidæ, & illud verbis aut factis declaret, ille ad militiam obligatus fiat.

§. 49.

& militiam sponte continuet.

Quare cum miles injuste coactus ad militiam, si eandem postea sponte continuet, ipso facto declaret, se illam præstare, adeoque promissio-

missioni suæ etsi invalidæ stare velle (§. 660. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); idque etiam fiat, si per longum tempus eam continuet, etsi occasio eandem deserendi non desit: *Si miles injuste coactus ad militiam eandem sponte, aut longo tempore continuet, cum non desit occasio eam deserendi, ille obligatus sit ad eandem.*

§. 50.

Si subditus extra casum necessitatis, adeoque injuste coactus sit, postea vero superveniat casus necessitatis, utique obligatus sit ad militiam. *aut in subdito casus necessitatis superveniat.*

Cum enim subditi in casu necessitatis ad militiam obligentur (§. 749. *Jur. gent. WOLF.*): Si ponatur, subditum quendam, qui extra casum necessitatis ad militiam coactus est, coactum non fuisse, ille casu necessitatis ingruente, ad militiam nihilominus obligaretur. Licet itaque obligatio subditi ad militiam extra casum necessitatis coacti nulla sit (§. 47); Quemadmodum & nulla fuit, si coactus non fuerit, donec casus necessitatis existat: Illa tamen extat, ubi hic casus supervenerit. Idem itaque est, ac si antea coactus non fuisset, nec jam miles esset. Quare cum in hoc casu ad militiam obligetur subditus (§. 749. *cit.*): Patet, quod subditus licet injuste coactus, si postea casus necessitatis superveniat, ad militiam obligatus fiat.

Quoniam in pœna delicto desertionis dictanda moveri solet quæstio, anne desertor sponte militiam amplexus, aut forsan ad eam coactus fuerit; Ideo necesse fuit theoriam de coacta militum constitutione tradere, & principia suppeditare, ex quibus dijudicari possit, an coactio ad pœnam desertionis tollendam aut mitigandam exceptionem validam præbere valeat.

§. 51.

Inter auctorem belli sive rectorem civitatis & milites conductitios pactum intercedit. *Cum conductitiis pactum intercedit.*

Milites enim conductitii ex promisso obligantur ad militiam (§. 39); Atque adeo militiam præstare promittunt. Cum vero a principe sive superiori civitatis conducantur (§. 21. 31.); Princeps vero seu superior in bello publico auctor sit ejusdem (§. 10.): Auctor belli in id promissum consentit. Quod & per se patet. Quare cum consensus duorum vel plurium in eandem vel easdem promissiones, pactum dicatur (§. 788. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*): Inter auctorem belli & milites conductitios pactum intercedere, elucet.

Ad pactum quidem promissio ab una tantum parte facta & ab altera acceptata sufficit (*loco cit.*). Cum vero ex sequentibus apparebit, aucto-

rem belli etiam militi conductitio stipendium & alias præstationes debere, adeoque &, dum eum conducat, vel tacite promittere. Patet, quod in hoc pacto mutuæ sint præstationes.

§. 52.

Conductitii ex pacto obligantur. Quare cum milites conductitii ex promissione obligentur (§.39.); Promissum vero, ex quo miles conductitius obligatur, continetur in pacto, quod inter ipsum & auctorem belli intercedit (§.51.): *Milites conductitii ex pacto obligantur.*

§. 53.

Contractus militaris definitio. Pactum, quod inter auctorem belli & militem conductitium intercedit, vocatur *Contractus militaris.*

Cum enim contractus vel ipso jure romano conventiones sint, ex quibus perfectæ oriuntur obligationes (§.793. *Part.* 3. *Jur. nat. WOLF.*); Pacta vero naturaliter æque perfecte obligent (*dem.* §. 794. *l.c.*); Adeoque naturaliter contractus a pactis non differant (*§. cit.*): Non absonum videri poterit, pactum hoc contractum vocari.

§. 54.

Quo usque ineatur. *Contractus militaris vel ad dies vitæ, vel ad certum tantum tempus, vel etiam bellum, vel absque tempore iniri potest.*

Contractus enim militaris pactum est (§.53.). Quare cum pacta vel perpetua sive æterna, vel temporaria esse possint (§. 804. *Part. 3. Jur. nat. WOLF*); Et pactum temporarium dicatur, cujus duratio ad certum temporis intervallum restringitur (ibid.); Necessitas vero tempus adjiciendi non adsit: Facile patet, quod contractus militaris vel ad dies vitæ, vel ad certum tantum tempus, vel bellum etiam, vel absque tempore adjecto iniri possit.

§. 55.

Capitulationis definitio. Si contractus militaris ad certum quoddam tempus vel bellum ineatur, *Capitulatio* dici solet (§.765. *Jur. gent. WOLF.*).

§. 56.

Contr. milit. & capitulatio servanda sunt. Quare cum contractus militaris pactum (§.53.); Capitulatio vero contractus militaris (§.55.); adeoque & pactum sit; Pacta vero sint servanda (§. 789. Part. 3. Jur. nat. WOLF.): *Contractus militares & capitulationes militum servanda sunt.*

§. 57.

Ex iis obligantur milites conductitii. Quare cum miles conductitius ex pacto obligetur, quod inter ipsum & auctorem belli intercedit (§.52.); Pactum hoc vero contractus mili

militaris (§. 53.) & pro re nata capitulatio vocetur (§. 55.); *Milites conductitii ex contractu militari vel capitulatione obligantur.*

§. 58.

Licet vero subditus, qui conducitur, sive sponte sua miles fit, ex pacto saltem obligetur (§. 52.): Evenire tamen potest, ut postea simul obligetur naturaliter seu ex subjectione civili. *Obligationi ex pacto in subdito superaccedere potest naturalis.*

Evenire enim potest casus extremæ scilicet necessitatis, quo vel omnes subditi ad militiam obligarentur (§. 749. *Jur. gent. WOLF.*). In hoc itaque casu etiam ii naturaliter ad militiam obligarentur, qui antea, casu necessitatis non existente, sponte sua nomen militiæ dederunt. Quare cum hi antea saltem ex pacto obligentur (§. 52.): Iidem postea necessitate ingruente naturaliter etiam obligabuntur. Patet itaque, quod licet subditus, qui sponte sua seu conductitius miles fit, ex pacto saltem obligetur, postea tamen simul naturaliter obligari possit.

Obligationi itaque subditorum naturali non obstat, quod & conductitii milites fieri possint, uti evicimus §. 36. Non enim obligatio eorum naturalis ad militiam eo tollitur, quod conduci se patiantur. Supponitur modo, tunc non existere casum necessitatis, neque adeo tunc ipsos invitos obligari ad militiam. Quod si tamen militiam amplectantur; Fieri hoc nequit, nisi ut volentes id faciant, adeoque conducantur (§. 22.). Si vero eveniat casus, quo vel inviti conscribi, adeoque legi subditi possint: Vel maxime hi legi possent, qui per electionem militiæ jam declararunt, quod aliud vitæ genus sequi nolint (§. 26.). Licet itaque antea non nisi ex voluntate eorum obligentur (§. 52.): Accedit tamen tunc alia ratio, ut & naturaliter obligentur ad militiam, adeoque legi possint. Cum vero aliæ & strictiores dari possint obligationes militum lectorum, quam conductitiorum: Uti in sequentibus docebitur: Utique tunc ipsos tenebit strictior obligatio militum lectorum. Neque adeo obligationi subditorum naturali contrariari videtur, quod conduci possint.

§. 59.

Miles lectus statim obligatur, ac ipsi voluntas superioris ipsum militem constituendi declaratur. *Quamprimum lectus obligetur.*

Subditi enim ad militiam obligantur, si necessitas id exigat (§. 749. *Jur. gent. WOLF.*); Auctori belli vero sive principi relinquendum est judicium de necessitate eorum, sine quibus jus suum obtinere nequit, sive, quæ ad bellum gerendum faciunt (§. 783. *loc. cit.*). Quare cum milites ad bellum gerendum necessarii sint (§. 17.): Subditi ad militiam obligantur, quamprimum princeps id necessarium judicat. Cum vero subditis hoc judicium principis de necessitate ipsos milites constituendi innotescat per voluntatis ipsius declarationem; Et subditus, qui vel in-

vitus miles constituitur, miles lectus dicatur (§. 22. 34.): Patet, quod miles lectus statim obligetur, ac ipsi voluntas superioris ipsum militem constituendi declaratur.

Id, quod secus erat apud Romanos. Ibi enim miles quis non erat, nisi ex eo, quo in numeros relatus, hoc est, ex quo manipulum suum attigerat, inque suum ordinem insertus atque cooptatus fuerat; Non, si nomen ejus saltem matriculæ insertus; Uti evicit *Dn. de* LUDEWIG in *Diss. de Differ. juris rom. & germ. in re milit nota* (*a*) *pag.* 23. *seqq.* Ita, ut licet lecti tyrones sint, & publicis expensis iter faciant, nondum milites sint (*l.* 42. *ff. de Test. milit.*): Imo, nec licet sacramenta dixerint, ut ex PLINII *Epistolis* refertur loco antea citato.

§. 60.

Quamprimum conductitius? *Miles conductitius ab eo tempore obligatur, naturaliter scilicet, quo in militiam consensum suum præstitit.*

Miles conductitius enim ex pacto obligatur (§. 52.). Quamobrem cum pacta, jure scilicet naturæ, statim obligent, quamprimum consensus fuit declaratus (§. 846. *Part. 3. Jur. nat. WOLF*): Patet, quod miles conductitius statim ab eo tempore obligetur, quo consensum suum in militiam præstitit.

Maxime etiam huc faciunt, quæ monui ad §. præcedentem.

§. 61.

Contr. milit probari debet. *Expedit tamen in conductione militum aliquid adhibere, quo contractus militaris confirmetur & probari possit.*

Cum enim tam frequens non semper sit copia eorum, qui sponte sua militiæ nomen dent: Conducentis milites interest, ne a contractu militari recedatur. Quare cum contractus militaris, tanquam pactum (§. 43.), solo consensu nitatur (§ 788. & 846 *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*); Adeoque facile negari possit: Interest conducentis, ne illud fiat. Quare cum hoc præcaveatur, si in conductione militum aliquid adhibeatur, quo contractus militaris confirmetur & probari possit: Quod & hoc expediat, facile patet.

§. 62.

per arrhæ dationem. Quare cum pecunia vel res, quæ ab uno contrahentium alteri datur, contractus probandi & confirmandi gratia, arrha dicatur (§. 987. *Part. 4. Jur. nat. WOLF.*); Et arrham ultro offerre eum expediat, cujus maxime interest, ne a contractu recedatur (§. 988. *l. c.*): . *Expedit militibus conductitiis arrham dare.*

§. 63.

§. 63.

Pecunia, quæ a conducente militi conductitio datur contractus militaris confirmandi & probandi gratia, *arrha militaris* dicitur. *Arrhæ militaris definitio.*

Licet enim arrha etiam in alia re, quam pecunia, consistere possit (§. 987. *loc. cit.*): Usu tamen suevit, ut in contractu militari arrhæ loco pecunia detur. Unde etiam germanice vocari solet *Handgeld*, quod sæpius ad magnam usque pecuniæ summam excurrit. Interdum etiam lege definitum est, ne ultra certam summam in arrham detur.

§. 64.

Quoniam tamen arrha etiam in re alia, quam pecunia, consistere potest (§. 987. l. c.); Contractus vero militaris ex arrha probetur (§. 63.): *Contractus militaris etiam probatur, si miles conductitius vel aliquid armorum in arrham acceperit, illudque sibi applicaverit.* *Arma in arrham dari possunt.*

§. 65.

Contractus militaris sua natura consensualis est; Per arrhæ dationem autem realis efficitur. *Contractus militaris quinam sit.*

Contractus enim militaris sua natura pactum est (§. 43.); Adeoque mutuo consensu nititur (§. 788. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*). Perficitur itaque, si auctor belli sive conducens & miles conductitius in militiam consentiant (§. 51.). Quare cum contractus, qui mutuo consensu perficitur, consensualis sit (§. 725. *Part. 4. loc. cit.*): Contractus militaris sua natura consensualis est. *Q. e. u.*

Quoniam vero arrhæ datio contractus realis est (§. 989. *loc. cit.*); & arrhæ datio ad contractum militarem accedere supponatur (*per hyp.*): Patet, quod per arrhæ dationem contractus militaris efficiatur realis. *Q. e. a.*

§. 66.

Quare cum contractus realis non nisi rei traditione perficiatur (§. 437. *Part. 4. Jur. nat. WOLF*); Contractus vero militaris per arrhæ dationem realis efficiatur (§. 65.): *Contractus militaris sine arrha datione, si hæc requiri soleat, non perficitur.* *Arrhæ datione perficitur.*

Supponitur hic per hypothesin, arrham dari militibus necesse esse. Nam cum contractus militaris sua natura consensualis sit (§. 65.); Adeoque solo consensu perficiatur (§. 725. *loc. cit.*): Sua natura arrhæ dationem ad sui perfectionem non requirit.

§. 67.

Si usu obtineat vel lege constitutum sit, ut in fidem contractus militaris arrha detur; Ante arrham acceptam miles conductitius non obligatur *Ante arrham acceptam non*

obligatur miles. *ligatur ad militiam; Sed pœnitere ipsum adeoque a contractu recedere licet.*

Contractus militaris enim in eo casu, quo arrha dari solet, realis est (§. 65.); Adeoque non nisi arrhæ datione perficitur (§. 66.). Quare cum ante perfectionem contractus & præsertim ante rei traditionem ex reali non nascatur obligatio (§. 437. *Part. 4. Jur. nat. WOLF.*): In casu dato ante arrham acceptam miles conductitius non obligatur. Q. e. 1.

Quoniam itaque ante arrham acceptam miles conductitius non obligatur (*per dem. n. 1.*): nec alteri, cum quo contrahitur, ante arrham a milite conductitio acceptam jus in eum competit. Quare cum quamdiu nihil agitur contra jus tertii, mutare voluntatem (§. 377. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*), & promissionem, quamdiu nemini jus ex ea quæsitum, revocare liceat (§. 595. *loc. cit.*); Eum vero, qui promissionem revocat, promissi poeniteat (§. 597. *ibid.*): Poenitere licet, quamdiu jus adhuc nemini quæsitum est. Patet itaque, quod in casu dato ante arrham acceptam militem conductitium poenitere liceat. *Q. e. 2.*

Cum porro, qui promissionem revocat, declarat, se ex ea teneri nolle (§. 595. *loco cit.*); Qui promissionem revocat, non præstat, quod promisit. Quare cum is, qui non præstat, ad quod præstandum alias obligaretur, a pacto recedat (*per dem. n. 2. §. 827. l. c.*); Qui promissionem revocat, ab ea recedit. Cum itaque militi conductitio ante arrham acceptam promissionem suam revocare adeoque & poenitere liceat (*per demonstr. n. 2.*): Patet, quod & militi conductitio ante arrham acceptam a contractu militari recedere liceat. *Q. e. 3.*

Id quod etiam usu obtinet, ut arrha non accepta, a nexu militari absolvatur, cui quæstio de militia promissa movetur. Quare dici suevit, quod arrha militem faciat, *das Handgeld binde und mache einen Soldaten.* Et hinc ad militiam obligatus judicatur, qui vel minimum in arrham accepit.

§. 68.

Arrha obtrudi nequit. *Ut miles conductitius ex arrha obligetur, necesse est, ut illam sponte accipiat, nec illa ipsi obtrudatur.*

Contractus enim militaris pactum est (§. 53.); Adeoque mutuo paciscentium consensu initur (§. 788. Part. 4. Jur. nat. WOLF.). Arrha vero solum in confirmationem illius contractus datur (§ 63.); Adeoque dari nequit, nisi ei, qui in contractum militarem consentit; & eundem per arrham confirmari cupit. Quare cum is, qui consentit, illud dari vel fieri, quod dare vel facere se velle declarat alter, accipere dicatur (§. 2.

(§. 12. *loco cit.*): Arrha dari nequit, nisi ei, qui illam sponte accipit. Hinc cum ante arrham acceptam non obligetur miles (§. 67.): Patet ad id, ut ex arrha obligetur miles, necesse esse, ut illam sponte accipiat. *Q. e. u.*

Cum vero, si cui quid obtruditur, illud sponte non accipiat (*Quod per se patet*): Si militi arrha obtruditur, illam sponte non accipit. Quare cum ad id, ut ex arrha miles obligetur, necesse sit, ut illam sponte accipiat (per demonstrata n. 1.): Patet, ut ad idem etiam necésse sit, ne militi conductitio arrha obtrudatur. *Q. e. a.*

Dijudicare hinc licet, quid sentiendum sit de facto illorum, qui inebriatis vel dormientibus, insciis & invitis aliquid pecuniæ clam suggerunt, vel etiam aliquid armorum veluti gladium vi vel joco applicant, & exinde obligationem ad militiam extorquere satagunt. Cum enim arrha non nisi in confirmationem contractus militaris detur (§. 63.); Illa semper eundem, adeoque consensum in militiam supponit. Qui vero in casu præsenti deficere, sumitur. Quare licet in arrham aliquid armorum dari possit (§. 64.); Et ex arrha merito obligatio inducatur ad militiam: Arrhæ tamen nomen non meretur, si quid alicui obtruditur. Neque adeo ex ejusmodi factis ulla obligatio ad militiam induci potest.

§. 69.

Ex arrha itaque accepta obligatio ad militiam probatur. *Ex ea obligatio ad militiam probatur.*

Ex contractu enim militari obligatio ad militiam nascitur (§. 57.) Arrha vero ad confirmationem & probationem illius datur (§. 63.). Arrha autem accipi debet, non obtrudi (§. 68.). Quodsi itaque constet, arrham quis sponte accepisse; Simul liquet, illum ad militiam se obligasse. Patet adeo, quod ex arrha accepta demum militia probetur.

§. 70.

Si quis uni conducenti militiam saltem promiserit; Ab altero vero arrham simul acceperit; Huic obligatur. *Si quis a duobus conductus, cui obligetur?*

Ante arrham acceptam enim, ubi illa obtinet, militi poenitere ac recedere a contractu militari adhuc licet (§. 67.). Qui itaque militiam absque arrha accepta, saltem promisit, nondum obligatur, perfecte scilicet, ita ut alteri jus competat eum cogendi (§. 236. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Arrha accepta vero quis obligatur, perfecte scilicet (§. 69.); Et contractus militaris pro perfecto censendus est (§. 66.). Quare cum pacta (§. 789. *Part. 3. Jur. nat. WOLF*); Adeoque & contractus (§. 794. *ibid.*) servanda sint; Nec adeo a contractu perfecto recedere liceat altero invito: Qui arrham accepit, a contractu militari

recedere nequit. Patet itaque, quod si quis uni militiam saltem promiserit, ab altero vero arrham simul acceperit, huic obligetur.

Id quod etiam observari solet in praxi, si controversiæ inter conducentes oriantur. Adjudicatur enim miles conductitius ei, qui ipsi arrham dedit: Licet alter ipsum forsan prius conduxerit. Hinc etiam conducentes maxime eo allaborant, ut iis, quos conducere volunt, aliquid in arrham dent. Et maxime improbantur, qui illud omiserunt, nec eo præcaverunt, ne ulterius quis se conduci pateretur.

§. 71.

Arrha absolute non requiritur.

Quod si vero arrha militaris vel maxime usu obtineat, fieri tamen potest, ut contractus militaris absque eadem perficiatur.

Contractus enim militaris sua natura consensualis est (§. 65.); Adeoque mutuo consensu perfici potest (§. 725. *Part. 4 Jur. nat. WOLF.*). Arrha vero solum confirmationis & probationis gratia ad eundem accedit (§. 63.). Quod si itaque pars utraque confirmationem & probationem illius necessariam non judicet; Sed soli consensui alterius fidat: Nec arrha requiritur. Patet itaque, quod licet arrha usu obtineat, fieri amen possit, ut contractus militaris etiam absque eadem perficiatur.

§. 72.

Assignari definitio.

Si speciatim permittatur, ut subditus, qui ad aliud vitæ genus, quod sequi debeat, ineptus, vel otiosus judicatur, miles legatur, hic *assignari* dicitur.

§. 73.

Assignare licet.

Quare cum subditi otiosi (§. 27), & ii, qui ad aliud vitæ genus, quod sequi debebant, inepti sunt, milites legi possint (§. 26.); Assignatio vero species lectionis sit (§. 72.): *Subditi etiam assignari possunt.*

Facile vero patet, quod cum jus milites legendi non competat nisi principi, seu cui princeps illud commisit (§. 31.): Nec jus assignandi alii competere possit. Et cum exercitium juris legendi non absque cautione committendum sit (*Schol. ad §. cit.*): Hoc etiam de jure assignandi valebit, ita ut nec tuto uni soli, v. gr. prætoribus, permittatur.

§. 74.

Assignatus ab alio conduci nequit.

Subditus, qui alicui assignatus est, ab alio se conduci nequit.

Subditus enim, qui alicui assignatur, ad milites lectos referendus est (§. 72.). Quare cum miles lectus statim obligetur, quamprimum ipsi voluntas principis eum militem constituendi, innotescit (§. 59.); Hoc vero fiat per assignationem: Subditus assignatus ad militiam alicui jam obli-

obligatus eſt. Quare cum duobus ſimul militiam quis præſtare non poſſit; Quod per ſe patet: Is, qui uni jam obligatus eſt ad militiam, alteri ſe ad eandem obligare nequit. Patet itaque, quod ſubditus alicui in militem aſſignatus, ab alio conduci nequeat.

Fieri interdum ſolet, ut ſubditus, qui audit vel ſentit, ſe certæ cohorti pedeſtri præſertim aſſignatum eſſe, aufugiat, & cum videat, ſe militiam evitare non poſſe, in alia potius cohorte, vel in equitatu conduci ſe patiatur. Hinc controverſia ſæpius oritur inter illam cohortem, cui quis aſſignatus eſt, & eam, in qua ſponte ſua militiæ ſe dedit. Sed cum ſubditus, qui alicui aſſignatur, ab alio conduci nequeat (*per demonſtr.*): Facile vel ipſius juris naturæ ductu patet, illum ſemper ei cohorti adjudicandum eſſe, cui aſſignatus eſt. Supponit hoc vero utique, aſſignationem factam eſſe ab eo, cui illa competit. Quodſi enim quis hoc jus ſibi arroget, qui illo deſtituitur: Minime ex ea jus ullum oriri poteſt ei, cui fit aſſignatio.

§. 75.

Peregrinus, qui miles fit alicujus civitatis, eo fit membrum ejusdem ſeu civis. *Peregrinus per militiam fit civis;*

Peregrinus enim, qui miles fit alicujus civitatis, adhibetur ad bellum ejusdem gerendum (§. 14.). Confert itaque ad jus illius proſequendum (§. 1.); Adeoque & ad felicitatem, ſecuritatem & tranquillitatem publicam promovendam. Cum itaque civitas conſiſtat in ſocietate eo fine contracta, ut felicitas, tranquillitas & ſecuritas publica conſervetur & promoveatur (§. 4. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); In eoque adeo finis civitatis conſiſtat: Peregrinus, qui miles fit, adhibetur ad finem civitatis conſequendum; Adeoque in civitatem recipitur. Quare cum is, qui in civitatem recipitur, fiat membrum ejusdem, ſeu civis (§. 6. *loco cit.*): Patet, quod peregrinus, qui miles fit alicujus civitatis, eo fiat membrum ejusdem ſeu civis.

Quia tamen a populi ſeu ejusdem rectoris voluntate unice dependet, qua lege peregrinum in civitatem velit recipere (§. 409. loc. cit.): Facile patet, eundem in omnibus civibus æquiparari, neceſſe non eſſe (§. 410. *ibid.*). Et cum miles conductitius, qualis peregrinus eſt (§. 35.), etiam ad certum tantum tempus contrahere poſſit (§. 54.): In hoc caſu civis ſeu ſubditus ſaltem temporarius erit.

§. 76.

Quare cum cives reſpectu ſuperioris in civitate dicantur ſubditi (§. 141. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Peregrini vero, qui milites fiunt alicujus civitatis, eo fiant cives (§. 75.): *Peregrini, qui milites fiunt alicujus civitatis, fiunt ſubditi.* *adeoque & ſubditus.*

D 2 §. 77.

§. 77.

Milites sunt cives.

Milites itaque in genere sunt cives illius civitatis, cui militant.

Milites enim vel volentes, vel inviti constituuntur; Adeoque vel leguntur, vel conducuntur (§. 22.). Quare cum milites legi non possint, nisi subditi (§ 34): Milites lecti per se subditi sunt. Conduci autem possunt tam subditi, quam peregrini (§. 36.). Cum vero peregrini, qui milites conducuntur, etiam fiant cives (§. 75.): Patet, quod milites in genere, sive legantur, sive conducantur, sint cives.

§. 78.

Actiones militum jure civili determinantur.

Hinc cum jus civile dicatur illud, quod determinat actiones civium, qua talium (*per definit.*); Adeoque actiones civium qua talium jure civili determinentur; Milites vero cives sint (§. 77.): *Actiones* quoque *militum, qua civium, jure civili determinantur.*

§. 79.

Ipsis jura & obligationes civium competunt.

Et cum civibus, qua talibus, in genere certæ obligationes incumbant & certa jura competant: *Militibus* quoque *obligationes incumbunt & jura tribui debent, quæ civibus in genere.*

§. 80.

Paganorum definitio.

Cives reliqui, qui ad bellum publicum gerendum non adhibentur, vel destinantur, adeoque milites non sunt, in oppositione horum dicuntur *Pagani.*

§. 81.

Dantur jura & obligationes militum propria.

Dantur obligationes & jura militum ab obligationibus & juribus paganorum diversa, adeoque ipsis propria.

Milites enim ad bellum gerendum (§. 14.), adeoque ad certum finem consequendum adhibentur, imo obligantur (§. 38), qui per reliquos cives seu paganos non intenditur (§. 80.), vi scilicet persequendi jus principis (§. 1.). Quare cum fine mediis fine potiri non detur (§. 46. *Inst. J. n. & g. WOLF*): Necesse est, ut milites faciant omnia ea, quæ huic fini inserviunt, sive quæ media sunt ad eundem. Imponitur itaque ipsis necessitas aliqua, moralis nempe, agendi quædam, quæ paganos non tenet. Quare cum in necessitate agendi morali obligatio, passiva nempe consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Patet, quod dentur obligationes militum ab obligationibus paganorum diversæ. *Q. e. i.*

Cum

Cum vero cuilibet liberum esse debeat, ea facere, fine quibus obligationi suæ satisfieri nequit (§. 45. *Inst. Jur. n. & g. WOLF.*): Militibus liberum esse debet ea facere, fine quibus obligationibus suis satisfacere non possunt. Quare cum facultas moralis agendi quid, jus dicatur (§. 954. *Part. 1. Theol. nat. WOLF.*): Militibus jura competere debent. Cum vero hæc jura propter obligationes ipsorum illis competant (*per modo demonstrata*); Et dentur obligationes militum ab obligationibus paganorum diversæ (*per demonstr. n. 1.*): Nec jura hæc paganis competere possunt. Patet itaque, quod & dari debeant jura militum a juribus paganorum diversa. *Q. e. 2.*

Cum adeo dentur obligationes (*per dem. n. 1.*), & jura (*per dem. n. 2.*), quæ non nisi militibus competunt; Id vero, quod non nisi alicui competit, ei proprium dicatur: Patet, quod dentur obligationes & jura militibus propria. *Q. e. 3.*

Hic saltem in genere demonstratur, quod militibus certæ obligationes incumbant, & certa jura competant. Quænam vero sint illæ obligationes & illa jura in specie, demonstrabitur inferius, si ad doctrinam specialem pervenerimus.

§. 82.

Milites statum sortiuntur.

Cum itaque milites diversis obligationibus teneantur, & juribus diversis fruantur, quam pagani (§. 81.): Intuitu eorum certam relationem inter se & alios habent. Quare cum relatio quoad jura & obligationes status dicatur (§. 123. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): *Milites, qua tales, peculiarem statum a statu paganorum diversum sortiuntur; Et status ipsorum per jura & obligationes eorum diversa constituitur.*

§. 83.

Militiæ definitio.

Status militum, qua talium, *militia* dicitur, sive *Status militaris.* Ut adeo sit relatio militum, quoad obligationes & jura ipsis propria (§. 82.).

§. 84.

Militum actiones propriæ dantur.

Dantur adeo etiam actiones militum, qua talium, ab actionibus paganorum diversæ, adeoque ipsis propriæ.

Facultas enim moralis agendi vel non agendi jus (§. 954. *Part. 1. Theol. nat. WOLF*), quemadmodum necessitas moralis agendi obligatio dicitur (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Quare cum dentur jura & obligationes militum diversa ab iisdem paganorum (§. 81.): Milites, qua tales, ad quid agendum jus habent, & obligantur, ad quod

pagani jus non habent, nec obligantur. Et cum proprium dicatur, quod alteri non æque competit: Patet, quod dentur actiones militum ab actionibus paganorum diversæ, adeoque ipsis propriæ.

§. 85.

lege aliqua determinantur.

Actiones militum, quæ talium, jure aliquo seu lege determinari debent. Lex enim sive jus, quatenus pro lege sumitur, est regula, secundum quam agens actiones suas determinare necessitatur (§. 131. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Omnes itaque in genere actiones lege aliqua determinari, necesse est. Quare cum dentur actiones militum, qua talium (§. 84.): Patet, quod actiones militum, qua talium, jure aliquo seu lege determinari debeant.

§. 86.

diversimode, nec jure civili.

Cum vero *actiones militum, qua talium,* diversæ sint ab actionibus reliquorum civium seu paganorum (§. 84.): Illæ etiam *diversimode determinari debent. Et* cum jure civili determinentur saltem actiones civium, qua talium (*per definit.*); Adeoque & actiones militum, qua civium (§. 78.): Actiones militum, qua talium, *jure civili non determinantur, sed alio jure seu lege determinari debent.*

§. 87.

Legum militarium definitio.

Leges, quæ determinant actiones militum, qua talium, *Leges militares* dicuntur.

Facile patet, hic tantum actiones militum morales intelligi, quæ nempe respiciunt, quid justum vel injustum sit. Dantur equidem aliæ etiam actiones militum, quæ fere physicæ tantum sunt, utpote quales tractatio armorum, præstatio servitiorum militarium, & ministerium belli, videlicet operationes bellicæ, hostis aggressio & repulsio exigit. Nec hæ legibus suis destituuntur, sed potius legibus quam strictissime sunt circumscriptæ, quæ *Reglements,* & in specie *Exercirreglements* vocari solent.

Cum his etiam actiones militum, licet physicæ determinentur: Inter leges militares quidem referri poterint. Quoniam nobis vero jam saltem res est de eo, quod vel ipso jure naturæ circa milites juris est, & eorum jura & obligationes spectat: Per leges militares hic aliæ non intelliguntur, quam quæ determinant actiones militum morales.

§. 88.

Articuli vocantur.

Quoniam *leges militares,* si scriptis mandentur, certis periodis a se invicem distingui suevit: *Articuli militares vocari solent.*

§. 89.

§. 89.

Complexus legum militarium dicitur *Jus militare.* Quod adeo definitur per illud, quod determinat actiones morales militum, qua talium. Et ſi pro jurisprudentia ſumatur, eſt ſcientia jurium & obligationum, quæ circa milites obtinent.

Juris militaris definitio.

Definimus hic jus militare privatum, quod ab aliis dicitur: Licet forſan diſtinctio iſta juris militaris in publicum & privatum perperam fiat. Illis enim *jus militare publicum* dicitur, quod jura bellorum & belligerantium determinat. Sed hoc jus belli potius vocatur. Quo nomine etiam GROTIUS illud tradidit in egregio opere de Jure belli & pacis. Et cum ſit pars juris gentium, in eoque tractari ſoleat: Entia absque neceſſitate multiplicari videntur, & ambiguitas loquendi introduceretur, ſi illud etiam jus militare licet publicum, dicere velimus.

§. 90.

Hinc cum milites ſupponant civitatis conſtitutionem (§. 18.), Jus vero militare determinet actiones militum (§. 89.): *Jus militare civitatem conſtitutam ſupponit.*

Civitatem ſupponit,

§. 91.

Jus militare ſupponit jus civile.

Jus enim militare ſupponit civitatem conſtitutam (§. 90.); Civitas vero, quemadmodum ſocietas in genere ſubſiſtere nequit absque legibus ſeu jure quodam (§. *46. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*). Quamobrem cum jus, quod determinat actiones hominum in civitate viventium, hoc eſt, civium, qua talium, dicatur jus civile (*per def.*): Patet, quod jus militare ſupponat jus civile.

& jus civile.

§. 92.

Jus militare a ſuperiore in civitate conſtituitur.

Superiori enim in genere competit poteſtas leges ferendi in civitate (§. *813. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Adeoque cum leges determinent actiones agentium (§. *131. Part. 1. Phil. pr univ. WOLF.*): Superiori competit poteſtas actiones civium determinandi. Quare cum milites cives ſint (§. 77.); Dentur vero actiones militum qua talium, ab actionibus reliquorum civium diverſæ (§. 84.): Et has actiones militum, qua talium, determinandi jus ſuperiori competere debet. Quare cum jus, quo actiones militum qua talium determinantur, jus militare dicatur (§. 89.): Patet, quod jus militare conſtitui debeat a ſuperiore in civitate ſeu principe.

a principe conſtituitur.

§. 93.

§. 93.

Jus positivum est.

Quare cum omne jus, quod a voluntate entis cujusdam rationalis dependet, jus positivum dicatur (§. 147. *Part.* 1. *Phil. pr. univ. WOLF.*); Jus vero militare a principe, adeoque ejus voluntate, constituatur (§. 92.): *Jus militare jus positivum est.*

§. 94.

Jus militare non scriptum datur.

Datur itaque jus etiam militare non scriptum.

Omne enim jus positivum ab arbitrio superioris seu principis dependet (§. 147. *Part.* 1. *Phil. pr. univ. WOLF.*). Voluntas principis vero vel expressa vel tacita esse potest: Prouti nempe vel verbis declaratur, vel ex factis aut non factis colligitur (§. 3 *Part.* 3. *Jur. nat. W.*). Et hinc jus positivum vel expressa vel tacita principis voluntate nititur. Jus, quod expressa principis voluntate nititur, scriptum; Quod tacita, non scriptum dici solet (*per def.*). Quare cum jus militare sit jus positivum (§. 93.): Dari etiam debet jus militare non scriptum.

§. 95.

Observantiæ militaris definitio.

Jus militare non scriptum *Observantia militaris* dicitur. Quæ adeo definiri potest jus militare, quod tacita superioris voluntate nititur (*per dem.* §. 94.).

§. 96.

Ea vim legis habet.

Observantia militaris vim legis habet.

Observantia enim militaris jus militare non scriptum est (§. 95.); Adeoque nititur tacita superioris voluntate (*dem.* §. 94.). Quare cum obligatio seu vis legis positivæ dependeat a voluntate entis rationalis (§. 147. *Part.* 1. *Phil pract. univ. W.*); Observantia vero, qua jus militare, sit jus positivum (§. 93.): Patet, quod observantia militaris vim legis habeat.

Cum jus scriptum in genere seu consuetudo requisita sua habere debeat, ante quam vim legis consequatur; Facile intelligitur, observantias etiam militares eadem habere debere, antequam vim legis obtineant. Quæ vero requisita, cum ad generalia juris civilis nempe pertineant, & in jure communi tractari soleant, hic recensere superfluum esset: Cum non nisi applicatione indigeant.

§. 97.

Jus civile particulare.

Jus militare jus quoddam civile particulare est.

Jus civile enim dicitur, quod actiones civium determinat, & præsertim commune vocatur, quod actiones civium in genere determinat, respectu

respectu non habito, ad statum particularem quorundam (*per definit*). Jus itaque, quod actiones civium quorundam saltem in statu quodam particulari constitutorum determinat, jus civile particulare dici convenit. Quare cum milites sint cives (§. 77.); Et jus militare determinet actiones eorundem (§. 89.): Jus militare quidem actiones civium determinat. Cum vero milites statum peculiarem sortiantur a statu reliquorum civium diversum (§. 82): Jus militare determinat saltem actiones civium quorundam, in statu quodam peculiari constitutorum. Quare cum tale jus dicatur jus civile particulare (*per adducta*): Patet, quod jus militare sit jus quoddam civile particulare.

In jure enim civili multa disponi solent, quæ non omnes in genere cives, sed speciem quandam eorum saltem comprehendunt, v. gr. clericos, mercatores, uxores, &c. Id quod etiam circa milites, tanquam speciem civium obtinet. Sic in ipso jure romano multa de militibus disposita inveniuntur: Quæ vero jura & obligationes eorum non exhauriunt, sed ea potissimum tradunt, in quibus a jure civium communi recedunt. Et ita quoque ea, quæ in jure civili de juribus specialibus clericorum, mercatorum, uxorum & aliorum traduntur, proprie jura particularia civilia efficiunt: Nec proprie ad jus commune referri possunt, utpote quod nullum statum particularem respicit.

§. 98.

Jus militare a jure civili reliquorum civium communi diversum est. *a jure civili communi diversum.*

Jus enim civile commune actiones civium in genere, nullo respectu habito ad statum quendam eorum particularem; Jus militare vero actiones militum, qua talium, adeoque civium quorundam in certo statu constitutorum determinat (*per dem.* §. 97.). Quare cum actiones militum, qua talium, diversæ dentur ab actionibus civium in genere (§. 84.): Jus militare alias actiones determinat, quam jus civile commune. Jus itaque militare pro jure civili communi substitui nequit. Quare cum ea, quæ sibi mutuo substitui non possunt, diversa sint (§. 183 *Ontol. WOLF*): Patet, quod jus militare a jure civili reliquorum civium communi sit diversum.

Nec obstat, quod in jure civili communi simul contineantur, quæ juris militaris sunt. Monui enim jam in scholio ad §. præced., quod ea, quæ in jure civili continentur, de civibus in certo statu constitutis sint juris civilis particularis, & ea saltem juris civilis communis, quæ omnes cives sine respectu ad certum statum concernunt.

§. 99.

Diversitas juris militaris a jure civili reliquorum civium communi rationem suam habet in militia sive statu militum qua talium. *Diversitas unde sit?*

Propter jura enim & obligationes militum diversa a juribus & obligationibus reliquorum civium dantur actiones ipsorum qua talium diversæ ab actionibus civium reliquorum (§. 84.); Quæ & adeo diversimode determinari debent (§. 86.). Quare cum status militum per jura & obligationes eorundem constituatur (§. 82.): Propter statum ipsorum actiones eorundem diversimode determinantur ab actionibus reliquorum civium. In statu itaque militum, qua talium, seu militia (§. 83), continetur ratio, cur ipsorum actiones diversimode determinentur (§. 56 *Ontol. WOLF.*). Quare cum hoc fiat jure militari (§. 89.): Patet, quod in statu militum sive militia contineatur ratio diversitatis juris militaris a jure civili communi.

§. 100.

In collisione cum jure civili communi vincit.

Si jus militare sive lex quædam militaris collidatur cum jure seu lege quadam civili communi: Illud vincit & hoc cedit.

Militibus enim quidem, qua civibus, jura & obligationes tribui debent, quæ civibus in genere (§. 79.). Cum vero iisdem, qua militibus, peculiares obligationes incumbant, & ut his satisfieri possit, illis etiam jura peculiaria tribuantur (§. 81.); Quæ duo diversas eorum actiones constituunt ab actionibus civium in genere diversas (§. 84): Facile apparet, actiones militum qua talium potiores esse actionibus civium in genere. Quare cum actiones eorum, qua civium, jure civili, communi nempe (§. 78.); qua militum vero jure militari determinentur (§. 89.): Jus militare potius esse jure civili, facile patet. Cum vero jus militare & civile commune a se invicem diversa sint (§. 98.): Fieri potest, ut iisdem simul satisfieri nequeat, & ut adeo sibi mutuo repugnent. Quoniam vero porro, si in casu emergente regulæ, quales & leges sive jura sunt (§. 131. *Part 1. Phil. pr. univ. WOLF.*), sibi mutuo repugnent, ita ut illis simul satisfieri non possit, inter se collidantur (§. 510. *Ontol. WOLF.*): Et jus militare & civile commune inter se collidi possunt. In casu vero collisionis regularum exceptio ab una facienda est (§. *cit.*). In casu itaque etiam collisionis juris militaris & civilis communis exceptio ab uno fieri debet. Quoniam vero jus militare potius est jure civili communi (*per demonstr.*): Facile patet, quod in casu collisionis juri magis militari quam civili satisfaciendum, adeoque ab hoc exceptio facienda sit. Quare cum in casu exceptionis faciendæ lex ea vincere dicatur, cui satisfaciendum est; Ea vero, cui minime satisfieri potest, cedere alteri (§. 208. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Patet, quod in casu

casu collisionis juris militaris cum civili communi illud vincat & hoc cedat.

§. 101.

Jus militare ad jus civile commune se habet per modum exceptionis. *Per modum exceptionis se habet.*

In casu enim collisionis regularum exceptio fieri debet (§. 510. *Ontol. WOLF.*). Fieri autem debet ab ea regula, cui minime satisfaciendum est. Lex vero, cui minime satisfaciendum est, cedere dicitur alteri (§. 208. *Part. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*): In casu itaque collisionis legum exceptio fieri debet ab ea, quæ alteri cedit. Quare cum in casu collisionis juris militaris & civilis communis hoc cedat (§. 100.): In casu collisionis juris militaris cum jure civili communi ab hoc exceptio facienda est. Cum itaque exceptio sit determinatio regulæ contraria, ob regularum simul observandarum collisionem facta (*loc. cit. Ontol.*): In casu collisionis juris militaris cum jure civili communi fit determinatio juri civili communi contraria. Quare cum hæc fiat jure militari: Patet, quod jus militare se habeat per modum exceptionis ad jus civile commune.

Adrianus BEIER hanc thesin tanquam difficultatem jus militare tractandi allegat (§. 16. *Juris milit. prud.*), & hanc proportionem juris militaris ad civile, tanquam exceptionis ad regulam se in ejusdem tractatione servasse gloriatur (*in præfat. l. c.*). Quantum autem præstiterit, cuilibet facile apparebit, qui ipsius juris militaris prudentiam evolvere voluerit.

§. 102.

Jus militare variat pro varietate populorum. *Variat apud populos.*

Jus enim militare jus positivum est (§. 93.); adeoque a voluntate constituentis dependet (§. 147. *Part. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*). Quare cum a principe constituatur (§. 92.), & per illud superior actiones militum, qua talium, determinet (§. 89.): A voluntate sive ab arbitrio superioris dependet; quomodo actiones militum determinare velit. Non itaque necesse est, ut hæ apud omnes gentes eodem modo determinentur (§. 279. *Ontol. WOLF.*). Cum adeo actiones militum apud populum unum aliter determinari possint, quam apud alterum (*per demonstr.*); Populi vero varient: Patet, quod jus militare variet seu variare saltem possit pro varietate populorum.

Hoc actu etiam deprehenditur. Apud quemque enim populum invenies leges militares, quæ in alia civitate non obtinent.

§. 103.

Consentaneum sit juri naturæ.

Jus tamen militare civitatis uniuscujusque consentaneum esse debet juri naturæ.

Jus enim militare est jus quoddam civile particulare (§. 97.). Quare cum jus militare sit complexus legum militarium (§. 89.): Leges militares etiam leges civiles, particulares nempe sunt. Cum itaque leges civiles in genere naturalibus contrariari nequeant (*§. 973. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Nec leges militares naturalibus contrariari possunt. Et hinc patet, quod jus militare civitatis uniuscujusque consentaneum esse debeat juri naturæ.

§. 104.

Circa milites quædam juris naturæ sunt.

Ipso itaque jure naturæ circa milites quædam vel præcipiuntur, vel prohibentur, vel permittuntur.

Leges enim militares determinant actiones militum (§. 87). Quare cum leges in genere vel præceptivæ, vel prohitivæ, vel permissivæ sint (*§. 163. 4 & 5. Part. 1. Phil. pr. univ.*): Per leges militares militibus vel quid præcipitur, vel prohibetur, vel permittitur. Cum vero leges militares ipsi juri naturæ consentire debeant (§. 103.): Ipso jure naturæ determinari posse debet, quid militibus præcipiendum, prohibendum vel permittendum sit. Et hinc patet, quod ipso jure naturæ circa milites quædam vel præcipiantur, vel prohibeantur, vel permittantur.

Cum in sequentibus singula jura & obligationes militum ex solo jure naturæ demonstrabuntur: Veritas hujus asserti ulterius patebit.

§. 105.

Quænam eadem manere debeant.

Ea, quæ ipso jure naturali circa milites vel præcipiuntur, vel prohibentur, jure militari mutari nequeunt, sed eadem esse debent in omni jure militari civitatis cujusque.

Lege enim civili in genere ex naturaliter debito fieri nequit illicitum, neque ex illicito debitum (§. 974. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*), neque licitum (*§. 975. l. c.*). Hoc est: Ea quæ jure naturæ præcipiuntur, jure civili prohiberi nequeunt, & ea, quæ jure naturæ prohibentur, jure civili neque præcipi, neque permitti possunt (*§. 163. 164. 170. Part. 1. Phil pr. univ. WOLF.*). Quare cum jus militare sit etiam jus civile (§. 97.): Neque etiam jure militari prohiberi possunt, quæ jure naturæ præcipiuntur; Neque præcipi aut permitti, quæ jure naturæ prohibentur. Ea itaque, quæ ipso jure naturali circa milites præcipiuntur vel prohibentur, jure militari mutari nequeunt, neque adeo hoc vel illo modo determinari.

Quare

Quare cum ea, quæ mutari, vel variis modis determinari nequeunt, sibi semper substitui possint, adeoque eadem maneant (§. 183. *Ontol. WOLF.*): Patet, quod ea, quæ ipso jure naturali circa milites vel præcipiuntur, vel prohibentur, mutari nequeant, sed eadem manere debeant in omni jure militari civitatis cujusque.

§. 106.

Ea vero, quæ naturaliter circa milites neque præcipiuntur, neque prohibentur, sed tantum permittuntur, jure militari mutari & pro arbitrio determinari, atque adeo diversa esse possunt in hac vel illa civitate. *Quænam mutari possint.*

Lege enim civili ex naturaliter licito fieri potest debitum aut illicitum (§. 977. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Hoc est, ea, quæ jure naturæ permittuntur, jure civili præcipi vel prohiberi possunt (§. *163. 164. 170. Part. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*). Quare cum jus militare sit etiam jus civile (§. 97.): Jure militari præcipi vel prohiberi quoque possunt, quæ jure naturæ saltem permittuntur. Si vero ea, quæ jure naturæ permittuntur, præcipiantur vel prohibeantur jure militari: Eadem mutantur. Quæ itaque jure naturæ circa milites permittuntur saltem, jure militari mutari possunt. *Q. e. 1.*

Cum vero ea, quæ jure naturæ circa milites permittuntur, jure militari non necessario præcipiantur vel prohibeantur, sed præcipi saltem aut prohiberi possint (*per demonstr. n. 1.*): Contrarium æque possibile est, ut neque præcipiantur neque prohibeantur (§. *279. Ont. WOLF.*): Ea itaque, quæ jure naturæ permittuntur saltem, non unico modo fieri debent, sed pluribus modis possunt. Si quid vero pluribus modis fieri potest, ut hoc vel illo fiat, præcipi, adeoque determinari pro arbitrio potest (§. *978. Part. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*). Ea itaque, quæ jure naturæ permittuntur circa milites, jure militari pro arbitrio determinari possunt. *Q. e. 2.*

Et cum porro ea, quæ non unico, sed diverso modo determinantur, sibi invicem substitui non possint (*Quod per se patet*); Ea vero, quæ sibi invicem substitui nequeunt, diversa sint (§. *183. Ontol. WOLF.*): Patet denique, quod ea, quæ jure naturæ circa milites saltem permittuntur, diversa esse possint in jure militari hujus vel illius civitatis. *Q. e. 3.*

§. 107.

In jure militari cujuscunque civitatis dari debent quædam, quæ sunt juris naturæ. *In jure militari quædam sunt juris naturæ.*

Ipso enim jure naturæ circa milites quædam præcipiuntur, vel prohibentur (§. 104.) & hæc jure militari mutari nequeunt, sed eadem esse debent

debent in omni jure militari civitatis cujusque (§. 105). Jus vero militare civitatis uniuscujusque consentaneum esse debet juri naturæ (§. 90.). Patet itaque, quod in jure militari cujuscunque civitatis dari debeant quædam, quæ sunt juris naturæ.

§. 108.

Quædam vero juris positivi.

In quolibet jure militari dari etiam debent, quæ juris mere positivi sunt.

Ea enim, quæ circa milites jure naturæ permittuntur, pro arbitrio determinari (§. 93.): Adeoque non unico, sed pluribus modis fieri possunt. Quoniam vero in civitate negotia exitum habere debent (§. 983. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Ut hoc vel illo modo fiant, determinari debent (§. 928. *l. c.*). Cum itaque jus positivum illud dicatur, quod a voluntate cujusdam dependet (§. 147. *Part. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*). Ea, quæ in jure pro arbitrio determinantur, juris positivi sunt. Quare cum in jure militari quædam pro arbitrio determinari debeant (*per dem.*). Patet, quod in quolibet jure militari dentur, quæ juris mere positivi sunt.

§. 109.

Juris naturæ hypothetici sunt.

Quæ jure naturæ circa milites obtinent, non sunt juris naturæ absoluti, sed hypothetici.

Milites enim civitatem (§. 18.) adeoque certum hominum statum supponunt. Quare cum jus naturæ absolutum non supponat certum hominis statum, sed hominem simpliciter consideret, quoad naturam suam (§. 3. *Jur. feud. nat.*); Jus naturæ hypotheticum vero sit, quod non nisi pro certo rerum statu obtinet (§. 2. *loc. cit.*): Patet, quod ea, quæ jure naturæ circa milites obtinent, non sint juris naturæ absoluti, sed hypothetici.

§. 110.

Ex notione militum deducuntur.

Quæ ex ipsa notione militum deduci possunt, sunt juris naturæ.

Notio enim militum non nisi bellum publicum nempe supponit (§. 14.). Quæ itaque ex notione militum deducuntur, ipsis propterea competunt, quia ad bellum publicum adhibentur. Bellum vero in genere, adeoque & publicum, tanquam species, juris naturæ est (§. 1104. *Part 1. Jur. nat. WOLF.*). Quæ itaque ex ipsa militum notione deducuntur, juris naturæ etiam sint, necesse est.

§. 111.

§. III.

Juris militaris datur theoria naturalis.

Theoria naturalis juris militaris.

Legum enim civilium ſeu juris civilis in genere theoria naturalis datur (§. *966. Part 8. Jur. nat. WOLF*). Quare cum jus militare ſit jus civile particulare (§. 97.); Adeoque ſpecies juris civilis; Speciei autem competant, quæ generi (§. *348. Log. WOLF.*): Juris quoque militaris theoria naturalis detur, neceſſe eſt.

Dari theoriam naturalem juris militaris, monuit *perilluſtris L. B. de WOLF ſchol. ad* §. 770. *Jur. gent.* & viam eandem condendi oſtendit, applicando nempe ad jus militare, quæ de theoria legum civilium in parte octava juris naturæ demonſtrata ſunt, attendendo modo ſimul ad actus bellicos; & diſcernendo in juribus militaribus gentium id, quod in iis naturale eſt, ab eo, quod mere poſitivum eſt. Ipſum vero in tantas ambages deſcendere prolixitas, quam inſtitutum ſuum reſpuit, prohibuit.

§. 112.

Eſt pars juris naturæ.

Quare cum theoria legum civilium ſeu juris civilis ſit pars juris naturalis (*ſchol. ad* §. *966. Part. 8. Jur. nat. WOLF*); Jus vero militare ſit jus quoddam civile, particulare nempe (§. 97.): *Theoria* quoque *juris militaris eſt pars juris naturæ.*

§. 113.

Juris militum naturalis definitio.

Ea igitur pars juris naturæ, quæ docet theoriam naturalem juris militaris, ſeu tradit ea, quæ circa milites eorumque actiones naturaliter præcipiuntur, prohibentur vel permittuntur, *Jus militum naturale* ſeu *univerſale* dicitur. Ita ut ſit illud, quod determinat actiones militum, qua talium, ipſo jure naturæ.

Cum jam antea evicerimus, ipſo jure naturæ circa milites quædam præcipi, prohiberi, & permitti (§. 104.); Jus militum naturale vero eadem tradat (§. *hoc*): Realitas juris militum naturalis in dubium vocari non poterit.

§. 114.

Jus militum naturale ad condendas leges militares poſitivas ſeu ad conſtituendum jus militare poſitivum ſcitu neceſſarium eſt.

Scitu neceſſarium eſt.

Jus enim militare cujuscunque civitatis, ſeu poſitivum quodcunque (§. 93.), juri naturæ conſentaneum eſſe debet (§. 103.); Et quæ ipſo jure naturæ circa milites vel præcipiuntur, vel prohibentur, mutari nequeunt, ſed eadem manere debent in omni jure militari (§. 105.); Et ea ſaltem, quæ jure naturæ permittuntur, pro arbitrio determinari poſſunt (§. 106.). Qui itaque leges militares ſeu jus militare poſitivum condere

dere velit, scire debet, quæ jure naturæ circa milites præcipiuntur, prohibentur aut permittuntur: Ne scilicet per imperitiam ea mutet, quæ eo præcipiuntur, vel prohibentur. Quare cum ea pars juris naturæ, quæ tradit ea, quæ circa milites eorumque actiones præcipiuntur, prohibentur vel permittuntur, jus militum naturale dicatur (§. 113.): Patet, quod jus militum naturale ad condendas leges militares seu ad constituendum jus militare positivum scitu necessarium sit.

Cum jus militare sit jus quoddam civile (§. 97.): De illo etiam valere debent, quæ de hoc valent, & quæ de condendis legibus civilibus monuit *perillustris* L. B. de WOLF in capite 5. de theoria legum civilium *Part. 8. Jur. nat.* Unum saltem adducere liceat. Quodsi, inquit, in condendis legibus civilibus (adeoque & militaribus), theoriam naturalem legum civilium sequamur: Tum demum omnis juris scientia, quemadmodum fieri debere recte observavit CICERO, penitus ex intima Philosophia hauritur, & ratio magistra est juris civilis (adeoque & militaris), quemadmodum naturalis (*schol. ad* §. 966. *loc. cit.*).

§. 115.

ad dijudicandas leges militares.

Ad dijudicandas leges militares positivas scientia juris militum naturalis etiam necessaria est.

Jus enim militare positivum, adeoque & leges militares positivæ, quarum complexus illud est (§. 89.), juri naturæ consentaneum esse debet (§. 93.). Quare cum judicium in eo actu animi consistat, quo aliquid a re diversum eidem vel tribuimus, vel ab ea removemus (§. 39. *Log. lat. WOLF.*): Qui leges militares, positivas nempe, dijudicare vult, inquirit, an juri naturæ conveniant, nec ne, adeoque an sint justæ vel injustæ, æquæ vel iniquæ. Nosse itaque debet, quid circa milites ipso jure naturæ obtineat, seu quæ eodem præcipiantur, prohibeantur vel permittantur. Quare cum jus militum naturale tradat ea, quæ ipso jure naturæ circa milites præcipiuntur, prohibentur vel permittuntur (§. 113.): Patet, quod ad dijudicandas leges militares positivas scientia juris militaris necessaria sit.

Adducere iterum liceat, quæ *perillustris L. B. de WOLF* hac de re monuit. „Prostant, inquit, jura militaria multarum gentium, quæ ad „examen facile revocantur ab eo, qui jus naturæ & gentium, ac præser„tim jus belli & in bello intime perspectum habet„ (*schol. ad* §. 770. *Jur. gent.*); Et cum applicatione eorum, quæ de legibus civilibus dicuntur: „Ex theoria naturali legum militarium ostendendum est, utrum lex „aliqua militaris recte sit statuta, nec ne, ac per consequens, utrum ea „sit æqua, an iniqua, utrum justa, an injusta„ (*schol. ad* §. 966. *Part.* 8. *jur. nat.*)

§. 116.

§. 116.

Jurisprudentiæ militaris definitio.

Scientia juris militaris, seu juris, quod determinat actiones militum morales nempe, qua talium (§. 89.), *Jurisprudentia militaris* dicitur. Quæ & adeo definiri poterit per scientiam jurium & obligationum, quæ circa milites obtinent.

§. 117.

Sine jure militum nat. esse nequit.

Jurisprudentia militaris sine cognitione juris militum naturalis esse nequit.

Jurisprudentia enim militaris est scientia (§. 116.). Quare cum scientia sit habitus asserta demonstrandi, hoc est, ex principiis certis & immotis per legitimam consequentiam inferendi (§. *30. prol. Log. lat.* WOLF.): In jurisprudentia militari ea, quæ asseruntur, ex principiis certis & immotis per legitimam consequentiam inferri, hoc est, demonstrari debent. Jurisprudentia vero militaris est scientia juris militaris (§. 116.); Jus vero omne militare juri naturæ consentaneum esse debet (§. 103.): In jurisprudentia itaque militari etiam demonstrari debet, an ea, quæ jure militari traduntur, juri naturæ conveniant, nec ne. Dum vero hoc fit: Juri militari tribuitur, quod sit juri naturæ consentaneum, vel illud ab eodem removetur. Quare cum actus animi, quo aliquid a re diversum ipsi tribuitur, vel ab eo removetur, judicium dicatur (§. *39. Log. lat.* WOLF.): In jurisprudentia militari jus militare seu leges militares, quarum complexus est (§. 89.), dijudicantur. Cum itaque ad dijudicandas leges militares scientia juris militum naturalis necessaria sit (§. 115.); Patet, quod jurisprudentia militaris absque scientia juris militum naturalis esse nequeat.

Plura adhuc de jure militari, & in specie militum naturali, ut & jurisprudentia militari, quæ illius scientia est (§. 116.), afferri possent. Cum vero illud sit species juris civilis (§. 97.); Hoc vero pars juris naturæ (§. 113.): Omnia de iis valent, quæ de jure civili & naturæ in genere prædicari possunt. Quare cum ea ab aliis & inprimis a perillustri L. B. de WOLF præsertim in egregio opere Juris naturæ abunde deducta sint, ita, ut absque difficultate ad jus militare & militum naturale applicari queant: Merito huic operæ supersedeo, & jam statim ad ipsam tractationem obligationum & jurium, quæ circa milites ipso jure naturæ obtinent, accedo capite sequenti secundo.

CAPITIS PRIMI FINIS.



JURIS MILITUM
NATURALIS
CAPVT II.
DE OBLIGATIONIBUS MILITUM.

§. 118.

Obligationes militum variæ sunt. *Milites variis obligationibus tenentur pro varietate ſtatus eorum.*

Milites enim non ſolum, qua tales, ſtatum peculiarem ſortiuntur (§. 82.), qui militaris, ſive militia dicitur (§. 83.); Sed etiam cives ſunt (§. 77.); Adeoque & ſtatu civitatis fruuntur. Et denique, non obſtante ſtatu militari & civili, homines manent; Adeoque & cum ſtatum tenent, quem homines a natura ſortiuntur, hoc eſt, naturalem (§. 124. *Part.* 1. *Jur. nat. WOLF.*). Cum vero ſtatus hominum moralis quisque determinatur per jura vi ejusdem competentia & obligationes vi ejusdem incumbentes (§. 123. l. c.): Patet, quod milites variis obligationibus pro varietate ſtatus eorum teneantur.

§. 119.

quotuplices ſint. Quamobrem cum milites quoad ſtatum vel homines, vel cives, vel milites ſint (*per dem.* §. 118.); Pro varietate ſtatus vero variis obligationibus teneantur (§. *cit.*): *Militibus tam qua talibus, quam qua civibus & hominibus obligationes incumbunt.*

Cum ex modo Deum ſive ens ſupremum colendi, ſeu religione, quatenus naturalis non eſt, ſtatus peculiaris reſultet, qui apud nos Chriſtianiſmus eſt: Militibus noſtris etiam, qua Chriſtianis, obligationes peculiares incumbunt. Cum vero hic de militibus in genere loquamur: Nec ſtatum ullum hic conſiderare licet, niſi qui omnibus idem eſt. Dantur enim adhuc alii ſtatus particulares, ex quibus tam jura, quam obligationes peculiaria reſultant, qui vero non in omnibus, ſed nonnullis ſaltem militibus obveniunt, ex. gr. ſtatus familiæ, quatenus miles & maritus & pater eſſe poteſt. Hinc etiam obligatio ex tali ſtatu veniens, ſingularis dicitur (§. 12. *Part.* I. *Jur. nat. W.*).

§. 120.

§. 120.

Obligatio, quæ militi, qua tali, incumbit, sive militum propria est, *obligatio militaris* dicitur. *Obligationis militaris definitio.*

Dici enim obligationes militum, qua talium, ab obligationibus militum reliquorum diversas, jam evicimus §. 81. Quæ obligationes, cum non nisi militibus incumbant, propriæ eorum dicuntur. Nostrum nunc erit, easdem singulas, quatenus ipso jure naturæ adsunt, deducere.

§. 121.

Milites ad ea omnia obligantur, ad quæ homines qua tales obligantur ipsa natura. *Ad quæ, qua homines, obligentur?*

Homines enim, qua tales, ad certa officia, tam erga se, quam alios & ipsum Deum obligari, ex juris naturæ tractatione satis constat, ubi & eorum explicatio traditur (§. 1. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum milites non desinant esse homines, propterea, quod milites fiant (*dem.* §. *118.*); Leges vero naturæ, quæ in jure naturæ demonstrantur (§. *3. l. c.*), in ipsa essentia & natura hominis & rerum rationem sufficientem agnoscunt (§. *135. Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Adeoque obligationes, quæ ex iisdem veniunt, immutabiles sunt (§. *142. l. c.*). Hinc neque in milite mutari possunt. Patet itaque, quod milites ad ea omnia obligentur, ad quæ homines, qua tales, ipsa natura.

Obligationes hæ propterea universales dicuntur, quia iisdem quilibet, quatenus homo est, obligatur (§ 11. *Part. 1. Jur. nat. W.*).

§. 122.

Quare cum ea, ad quæ homines, qua tales, obligantur, in ipsa essentia & natura eorum & rerum rationem agnoscant (*per dem.* §. *121.*); Ea vero, quæ ex ipsa essentia & natura hominis & rerum demonstrantur, juris naturæ sint (§. *2. Part. 1. Jur. nat. W.*): *Milites, ad omnia obligantur, quæ juris naturæ sunt.* *ad ea, quæ juris naturæ sunt.*

§. 123.

Obligationes militum, qua hominum, seu, quæ ex eo fluunt, quod sint homines, militares non sunt. *Obligationes qua hominum militares non sunt.*

Obligatio enim militaris ea tantum dicitur, quæ militi, qua tali, incumbit, sive ejus propria est (§. 120.). Quare cum obligationes militum, qua hominum, iisdem non incumbant, qua militibus, sed qua hominibus tantum; Adeoque militum proprie non sint, sed omnibus hominibus conveniant (*Quod per se patet*): Facile elucescit, quod obligationes militum, qua hominum, militares non sint.

Dantur enim ipſo etiam jure naturæ obligationes naturales, quibus quis ex alia ratione tenetur, quam quia homo eſt, quæ ſingulares dicuntur (§. 12. *Part.* 1. *Jur. nat. W.*). Quare cum obligatio militaris ea ſit, quæ militi, qua tali, incumbit (§. 120.): Ad eam miles tenetur ex alia ratione, quam quia miles eſt. Obligationes itaque militares ad ſingulares referendæ ſunt. Quare cum obligationes militum, qua hominum, univerſales ſint (*ſchol. ad* §. 121.): Vel exinde patet, quod hæ militares non ſint.

§. 124.

Ad quæ, qua cives, obligentur?

Milites ad omnia obligantur, ad quæ cives tam concivibus ſuis, quam reipublicæ, ſive ejusdem rectori.

Milites enim ſive ex ſubditis legantur, ſive ex iisdem, vel ex peregrinis conducantur, cives ſunt (§. 77.). Tantum itaque abeſt, quin ſubditi, qui milites fiunt, cives eſſe deſinant, ut potius & peregrini, qui militiæ nomen dant, membra fiant civitatis ejusdem, adeoque, vel ad tempus ſaltem, cives fiant (§. 76.). Quoniam itaque cives tam concivibus, quam reipublicæ ſive ejusdem rectori ad certa officia vel ipſa natura obligentur, quæ demonſtrata ſunt in *Parte 8. Jur. nat. WOLF.*: Patet, quod milites etiam ad omnia obligentur, ad quæ cives tam concivibus ſuis, quam reipublicæ ejusve rectori.

§. 125.

Ea non ſunt obligationes militares.

Obligationes militum, qua civium, ſeu quæ ex eo fluunt, quod ſint cives, militares non ſunt.

Obligatio enim militaris ea dicitur, quæ militi, qua tali, incumbit, ſeu ejusdem propria eſt (§. 120.). Quare cum obligationes militum, qua civium, ſeu, quæ ex eo fluunt, quod ſint cives, iisdem non incumbant qua militibus, ſed qua civibus tantum; Adeoque militum propriæ non ſint, ſed omnes cives teneant (*Quod per ſe patet*): Obligationes militum, qua civium, militares non ſunt.

§. 126.

Obligatio militaris cedit naturali.

Obligatio militaris adverſari nequit naturali, neque adeo miles obligari poteſt ad quid, quod obligationi cuidam naturali repugnat.

Obligatio enim naturalis neceſſaria & immutabilis eſt (§. *129. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); Adeoque mutari nequit. Quare cum id fieret, ſi militi qua tali obligatio imponeretur, quæ naturali adverſetur (*quod per ſe patet*): Obligatio vero, quæ militi qua tali impoſita eſt, militaris vocetur (§. 120.): Obligatio militaris repugnare nequit naturali. *Q. e. i.*

Obli-

Obligatio naturalis vero etiam necessaria est (*loco supra cit.*). Necessarium autem dicitur, cujus contrarium impossibile est (§. *279. Ont. W.*). Impossibile itaque est, ut contrarium obligationis naturalis fiat. Quare cum nemo obligari possit ad id, quod impossibile est (§. *209. Part. 1. Phil. pract. univ.*): Nec obligatio, quæ ad impossibile tendit, militi imponi potest. Quare cum id fieret, si miles obligaretur ad quid, quod obligationi naturali repugnat (*per dem.*): Patet, quod miles obligari ad illud non possit. Q. e. 2.

Hinc patet, quod si obligatio militaris contraria sit naturali, ambæ inter se collidantur (§. 206. *l. c.*), adeoque exceptionem, & quidem hic, a militari, faciendam esse (§. 207. ib.), & naturalem vincere militarem, hanc vero cedere illi (§. 208. l. c.).

§. 127.

Si obligatio, quæ reliquis civibus incumbit, repugnet obligationi militari, milites illa non tenentur. ***vincit civilem.***

Omnis enim obligatio, cum necessitas agendi moralis sit, ex lege venit (§. *118. loc. cit.*); Adeoque obligatio civium in genere ex jure seu lege civili; militaris vero speciatim ex jure seu lege militari venit. Si itaque obligatio civium communis adversetur militari: Colliduntur inter se lex civilis & militaris; Adeoque ab una exceptio facienda est (§. 207. l. c.). Quare cum in collisione legis civilis & militaris hæc vincat & illa cedat, adeoque a civili exceptio facienda sit (§. 100.); Legi vero, quæ in collisione vincit, satisfaciendum sit, ei vero, quæ cedit, satisfieri non possit (§. *208. Part. 1. Phil. pract. univ*): Patet, quod miles obligatione, quæ reliquis civibus incumbit, non teneatur, si eadem militari cuidam obligationi repugnet.

§. 128.

Milites ad observantiam legum civilium obligantur, quatenus illæ obligationibus militaribus non repugnant. ***Quatenus milites ex legibus civilibus obligentur.***

Cives enim in genere actiones suas determinare juxta leges civiles obligantur (§. *965. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*), seu, quod perinde est, leges civiles servare (§. *138. P. 1. Phil. pract. univ. W.*). Quare cum & milites cives sint (§. 77.): Eosdem etiam ad illud obligari, facile patet. Cum vero militibus præ reliquis civibus peculiares obligationes incumbant (§. 81.), quæ militares ideo vocantur (§. 120.); In casu autem, quo obligatio, quæ reliquis civibus incumbit, repugnat obligationi militari, illa non teneantur milites (§. 127): Simul patet, quod milites ad obser-

vantiam legum civilium non obligentur, quam quatenus obligationibus militaribus non repugnant.

§. 129.

Obligantur reipublicæ. *Milites, qua tales, in genere sive lecti sint, sive conductitii, reipublicæ, hoc est, populo, sive ejusdem rectori obligantur, cujus milites sunt.*

Militum enim lectorum obligatio, ad militiam nempe, ex subjectione civili venit (§. 39.). Subjectio imperium in altero supponit (§. 201. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Subjectio itaque civilis etiam supponit imperium civile, hoc est, quod in civitate universis in singulos competit (§. 32. *Part. 8. l. c.*). Milites itaque lecti obligari debent ei, penes quem est imperium civile. Imperium vero civile vel apud populum, vel apud eum est, in quem illud transtulit (§. 36. *loc. cit.*), hoc est, rectorem civitatis (§. 42. *ib.*). Milites itaque lectos reipublicæ, hoc est, populo sive ejus rectori, obligari elucet. *Q. e. 1.*

Porro cum milites conductitii ex pacto obligentur ad militiam nempe (§. 52.); Pactum vero illud, quo obligantur, ipsis cum rectore civitatis intercedat (§. 71.), si nempe talis adsit; Alias autem cum populo ipso (*Quod per se patet*): Milites etiam conductitios eidem obligari, simul patet. *Q. e. 2.*

Et cum in genere milites vel lecti sint, vel conductitii (§. 37.); Milites vero tam lecti (*per dem. n. 1.*), quam conductitii (*per dem. n. 2.*), reipublicæ sive ejus rectori obligentur: Milites qua tales in genere eidem obligantur. *Q. e. 3.*

§. 130.

Ratio obligationum militarium ubi? *In militia continetur ratio omnium obligationum militarium.*

Jura enim & obligationes militum, ipsis propria, per statum ipsorum peculiarem constituuntur (§. 82.): Omnes itaque obligationes eorum, qua talium, ipsis propterea competunt, quia statum peculiarem sortiuntur; Adeoque ex statu illorum intelligitur, cur obligationibus istis teneantur. Quare cum id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit, rationem ejus in se continere dicatur (§. 56. *Ontol. W.*): Status militum qua talium rationem in se continet obligationum, quæ ipsis, qua talibus, incumbunt. Status militum qua talium vero militia (§. 83.), & obligationes, quæ militibus, qua talibus, incumbunt, militares vocantur (§. 120.): Patet itaque, quod in militia contineatur ratio omnium obligationum militarium.

§. 131.

§. 131.

Obligatio militum, qua talium, generalis, in præstatione militiæ consistit. *Obligatio generalis, quænam?*

In militia enim continetur ratio omnium obligationum militarium, (§. 131.), sive quod perinde est, militum, qua talium (§. 120.). Militia vero statum militum, qua talium denotat (§. 83.): Adeoque ex statu eorum seu militia omnes eorum obligationes oriuntur (§. *22. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Quodsi itaque statui ipsorum convenienter agant, sive agant, quod status ipsorum requirit, omnibus suis obligationibus satisfaciunt. Statui vero suo convenienter agunt, si agant qua milites, adeoque militiam præstent (§. 83.). Omnibus itaque obligationibus suis satisfaciunt, si militiam præstent; Quare cum genus sub se complectatur species (§. 45. *Log. W.*); Adeoque obligatio generalis sit, ut specialibus omnibus satisfiat: Obligationem militum, qua talium, generalem in præstatione militiæ consistere, apparet.

§. 132.

Obligationes militares sunt erga rempublicam, sive ejusdem rectorem. *Obligationes militare erga quem sint?*

Milites enim, qua tales, reipublicæ, hoc est, populo sive ejusdem rectori obligantur (§. 129.). Obligationes vero militum, qua talium, militares dicuntur (§. 120.): Patet itaque, quod obligationes militares sint erga rempublicam, sive rectorem ejusdem.

§. 133.

Obligationes militares perfectæ sunt. *sunt perfectæ;*

Obligatio enim militum, qua talium, præsertim conductitiorum (§. 52.), ut & lectorum originarie (schol. ad §. 40.), ex pacto venit. Pactum vero promissionem involvit (§. 788. *Part. 3. Jur. nat. W*): Obligatio itaque militum qua talium ex promissione venit. Obligatio vero militum, qua talium, generalis, in præstatione militiæ consistit (§. 131.); In militia vero continetur ratio omnium obligationum militarium (§. 130.), hoc est, militum qua talium (§. 120.). Omnes itaque obligationes militares ex promisso oriuntur. Quamobrem cum promissio producat obligationem perfectam (§. *363. loc. cit.*): Patet, quod obligationes militares perfectæ sint.

§. 134.

Milites itaque cogi possunt ad satisfaciendum obligationibus suis, militaribus nempe. *Ad eas cogi possunt milites.*

Obli-

Obligationes enim militares perfectæ sunt (§. 133.). Obligatio vero perfecta in altero, cui quis obligatur, operatur jus cogendi, ut obligationi satisfaciat (§. 236. *Part. 1. Phil. pr. univ. W.*). Milites itaque cogi possunt ad satisfaciendum obligationibus suis.

Cum milites obligentur reipublicæ sive ejusdem rectori (§. 129.); Jus cogendi vero competat ei, cui quis obligatur (§. 236. *cit.*). Jus cogendi milites ad satisfaciendum obligationibus suis reipublicæ sive rectori ejusdem competere debere, facile colligitur.

§. 135.

Juxta quid actiones militum determinandæ.

Milites actiones suas juxta leges militares determinare obligantur. Lex enim in genere est regula, juxta quam actiones nostras determinare obligamur (§. 131. *Part. 1. Phil. pract. univ.*). Actiones itaque in genere secundum leges determinare obligamur. Quare cum leges militares in specie militum actiones, morales nempe, determinent (§. 87.); De specie vero valere debeat, quod de genere valet (§. 235. *Log. W.*): Apparet, quod milites actiones suas ad leges militares determinare obligentur.

§. 136.

etiam secundum observantias.

Cum detur etiam jus militare non scriptum (§. 94.), & cum jus militare complexus legum militarium dicatur (§. 87.), dentur leges militares non scriptæ, quæ observantiæ militares dicuntur (§. 95.); Observantia vero militaris vim legis habeat (§. 96.): *Milites etiam observantiis militaribus convenienter actiones suas determinare obligantur.*

§. 137.

servare leges milit. & callere debent.

Milites itaque leges militares servare, adeoque & callere obligantur.

Milites enim actiones suas secundum leges militares determinare obligantur (§. 135.). Quare cum is, qui actiones suas secundum legem quandam determinat, eandem servare dicatur (§. 138. *Part. 1. Phil pr. univ. WOLF.*): Patet, quod milites leges militares servare teneantur. *Q. e. 1.*

Cum vero legem servare nemo possit, nisi sciat, quid in ea contineatur (*quod per se patet*): Nec milites leges militares servare valebunt, nisi easdem calleant. Quare cum ad servandas easdem obligentur (*per dem. n. 1.*): Ut etiam illas calleant, eos obligari facile videbitur. *Q. e. 2.*

§. 138.

§. 138.

Dantur officia militum, qua talium.

Dantur officia militum.

Milites enim actiones suas, qua tales, secundum leges militares determinare obligantur (§. 135.); Dari itaque debent actiones militum, qua talium, juxta leges determinatæ. Quare cum actio juxta legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obligamur, officium dicatur (§. 224. *Part.* 1. *Phil. pract. univ. W.*): Dentur officia militum, qua talium, necesse est.

§. 139.

Officiorum militarium definitio.

Officia militum, qua talium, *militaria* dicuntur. Quæ adeo definiri possunt, quod sint actiones militum juxta leges militares determinatæ, quatenus ad eas ita determinandas obligantur.

§. 140.

Interest reipublicæ sive rectoris ejusdem, ut milites obligationibus suis satisfaciant, sive officiis suis recte fungantur.

Quid reip. circa milites intersit.

Obligationes enim militum, qua talium, sive militares, sunt erga rempublicam sive rectorem ejusdem (§. 132.). Ex obligatione vero jus oritur (§. 23. *Part.* 1. *Jur. nat. WOLF.*): Ex obligationibus itaque militum jus oriri debet ei, cui obligantur, hoc est, reipublicæ sive rectori ejusdem, ut nempe illis satisfaciant. Si itaque milites obligationibus suis satisfaciant, jus suum tribuunt reipublicæ, sive rectori ejusdem (§. 921. *loc. cit.*). Quare cum cuique intersit, ut jus suum ipsi tribuatur (*quod per se patet*); Reipublicæ sive rectoris ejusdem interesse, ut milites obligationibus suis satisfaciant, facile apparet. *Q. e. u.*

Et cum officia militum sint actiones, ad quas obligantur (§. 139.): Si agunt, ad quod obligantur, officiis suis recte funguntur. Si vero quis agit, ad quod agendum obligatur, obligationi suæ satisfacit (§. 120. *Part.* 1. *Phil. pract. univ. W.*). Quare cum reipublicæ intersit, ut milites obligationibus suis satisfaciant (*per dem, n.* 1.): Facile intelligitur, ejusdem etiam interesse, ut officiis suis recte fungantur.

§. 141.

Interest itaque reipublicæ sive rectoris ejusdem, ut milites leges militares servent, neque adeo easdem transgrediantur.

Quid porro?

Interest enim ejusdem, ut milites officiis suis recte fungantur (§. 140.). Officia vero militum sunt actiones eorum secundum leges militares determinatæ, quatenus ad easdem obligantur (§. 139.): Interest itaque etiam, ut milites actiones suas secundum leges militares determi-

nent: Qui vero actiones suas determinat secundum legem quandam, eandem servare dicitur (§. 138. Part. 1. Phil. pr. univ. W.): Patet adeo interesse etiam reipublicæ, sive ejusdem rectoris, ut milites leges militares servent. *Q. e. 1.*

Qui vero legem transgreditur, actiones suas contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebant (§. 139. l. c.); Neque adeo eandem servat. Milites itaque etiam, si leges militares transgrediantur, easdem non servant. Quare cum reipublicæ intersit, ut easdem servent (*per dem. n. 1.*): Interesse etiam debet, ne illas transgrediantur. *Q. e. 2.*

Hæ & aliæ propositiones per se claræ & superfluæ videri possent. Ex sequentibus vero apparebit, easdem tanquam principia adhiberi, ex quibus alia demonstrantur; Neque hæc absque iisdem facile demonstrari posse. Cum vero uti in Philosophia, ita in genere in disciplinis, utpote scientiis, nec utendum sit, nisi principiis sufficienter probatis (§. 117. *Disc. prælim. Logicæ W*): Non assumendum est principium demonstrandi, quod absque sufficienti probatione dubium videri possit. Licet enim sæpius propositio quædam clara per se videatur: Non tamen de ejus veritate cuivis statim constat, nisi legitimam ejus consequentiam ex principiis certis & indubitatis intueatur. Propositiones itaque sæpius, quæ per se claræ & superfluæ videntur, maxime necessariæ sunt & demonstrandæ.

§. 142.

Legibus milit. pœnæ addendæ.

Legibus militaribus in casum transgressionis pœnas adjici, expedit.

Pœnæ enim sunt motiva actionum committendarum, vel omittendarum (§. 287. Part. 1. Phil. pract. univ. W.). Si itaque legibus militaribus in casum transgressionis poenæ adjiciantur: Cum legibus militaribus actiones militum determinentur (§. 87.), illæ motivum præbent militibus, ut actiones legibus militaribus præceptas committant, prohibitas vero omittant, adeoque actiones suas secundum leges militares determinent. Qui vero actiones suas secundum legem quandam determinat, servare candem dicitur (§. 138. *l. c.*). Si itaque legibus militaribus poenæ addantur, eædem militibus motivum præbent ad illas servandas. Quare cum sine motivis nulla detur in anima volitio, nulla nolitio (§. 889. *Psych. emp. W.*); Intersit vero, ut milites leges militares servent, neque easdem transgrediantur (§. 141.): Quod illis in casum transgressionis poenæ adjiciantur, expedit.

Accedit, quod sanctione pœnali, qualis est adiectio pœnæ ad legem positivam (§. 289. *Part. 1. Phil. pr. univ.*), introducatur obligatio positiva (§. 291. *l. c.*), quæ majorem sensum præbet, ac naturalis (*dem.* §. 767.

767. *Jur. gent. WOLF.*). Accedit etiam, quod leges naturales, si ipsis pœnæ addantur, civiles fiant (§. 979. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*), & quod legibus tales ac tantæ pœnæ addendæ sint, quæ ad cohibendam illarum transgressionem, quantum datur, sufficiunt (§. 585. *l. c.*). Videbis itaque etiam, leges militares positivas, quæ extant, ubique vel gravissimis pœnis esse munitas.

§. 143.

Leges militares, scriptæ scilicet, debent promulgari, antequam obligare possint. *Leges militares promulgandæ.*

Leges enim militares, uti jus militare, quod earum complexus est (§. 89.), positivæ sunt (§. 93.). Quare cum in genere lex positiva promulgatione indigeat, nec obligare possit, nisi promulgetur (§. 258. *Part.* 1. *Phil. pr. univ. W.*): Leges etiam promulgari debent, nec ante promulgationem obligant.

Cum demonstratio propositionis loco citato inveniatur, eam hic repetere superfluum foret. Facile autem cognosci datur, quod si quis legem servare debeat, opus sit, ut sciat, quid in ea contineatur. Quare & in specie milites leges militares callere obligantur (§. 137.). Vel ipsimet itaque easdem notas sibi reddere, vel eædem illis publicari debent. Cum vero ad prius militibus non facilis detur occasio: Ut expresse iisdem publicentur, convenit. Cum etiam leges militares poenis, uti convenit (§. 142.), muniri soleant: Ignorantiam earum facile prætexere possent milites, si illæ ipsis non publicarentur. Durum autem esset, poena aliquem afficere, quæ ipsi nota non fuit, & quam sciens evitaturus fuisset. Hinc etiam evenit, ut in examinibus militum delicti alicujus reorum quæri soleant, an leges sive articuli militares, ipsis prælecti fuerint, & poena in crimen commissum statuta nota. Licet itaque plerumque constitutum sit, ut ii, qui prælectioni articulorum militarium non interfuerint, æque obligentur ac ii, qui præsentes fuere: Hoc tamen sine dubio salvem de prælectione iterata, quæ statis temporibus fieri debet, intelligendum est.

§. 144.

Leges sive articulos militares, militibus noviter lectis, seu conductis, adeoque tyronibus, prælegi convenit. *tyronibus prælegendæ*

Leges enim militares non obligant nisi promulgatæ (§. 143.). Quare cum ex obligatione jus demum oriatur (§. 23. *Part.* 1. *Jur. nat. W.*): Nec in militem jus ex legibus militaribus resultat, nisi fuerint promulgatæ. Quoniam itaque in earum transgressionem poenæ statui solent (§. 142.): Nec has exequi licebit, nisi constet, militi easdem esse promulgatas. De hoc vero optime constat, si militibus noviter lectis sive conductis, hoc est, tyronibus (§. 37.), prælegantur. Quare cum interſit,

terſit, milites ſervare leges militares (§. 141.); Poenæ vero ad illas ſervandas motivum præbeant (*per dem.* §. 142.): Leges, ſive articulos militares, uti vocari illæ ſolent (§. 88.), tyronibus prælegi, convenit.

Id, quod vel etiam ubique receptum eſt, & omiſſa prælectio articulorum militarium militi delicti cujusdam reo exceptionem præbere ſolet. Ut itaque illa in dubium vocari non poſſit, a perſona fide publica prædita ſupra eadem & jurata promiſſione, quæ accedere ſuevit, ſcriptura confici debet, quæ protocollum ſive atteſtatio vocatur. Ea enim producta, reo licet infitiante, de facta prælectione dubitari nequit.

§. 145.

& ſæpius repetendæ. *Ut prælectio legum ſive articulorum militarium ſæpius fiat militibus, ſive repetatur, convenit.*

Intereſt enim, ut milites leges militares ſervent (§. 141.); Servare vero easdem non poſſunt, niſi eas calleant (§. 137.), ſeu illæ ipſis notæ ſint. Et cum legibus militaribus poenæ adjici ſoleant (§. 142.); Poenæ vero ad illas ſervandas motivum præbeant (*per dem.* §. *cit.*): Expedit, ut leges militares cum poenis adjectis animo militum imprimantur & continuo obverſentur. Cum vero leges militares numero plures eſſe ſoleant, neque adeo ex una vel altera prælectione memoriæ ſtatim mandentur & retineantur (*per exper.*); Id vero exercitio, hoc eſt, actuum eorundem iteratione (§. 195. *Pſych. emp. W.*), obtineatur (§. 198. *loc. cit.*): Patet, quod conveniat, ut prælectio legum ſive articulorum militarium ſæpius fiat militibus, ſive iteretur.

Hinc etiam in ipſis articulis militaribus conſtitui ſolet, ut earum prælectio ſubinde repetatur. Et ut vel quater quovis anno cuilibet cohorti tam pedeſtri, quam equeſtri verbotenus prælegantur, articulis militaribus Haſſiacis conſtitutum eſt.

§. 146.

Obſervantiæ ex uſu addiſcendæ. *Obſervantiæ militares ex uſu addiſci ſolent.*

Obſervantiæ enim militares jus militare non ſcriptum ſunt (§. 95.); Non itaque expreſſa, ſed tacita ſaltem principis voluntate nituntur (*dem.* §. 94.). Et cum voluntas tacita ex factis aut non factis, vel alio quocunque modo colligatur (§. 3. *Part. 3. Jur. nat. W.*); Adeoque obſervantiæ non niſi uſu introducantur & approbentur: Promulgatio in easdem non cadit (§. 256. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*). Quoniam tamen milites ſecundum eas etiam actiones ſuas determinare (§. 136.), & ideo illas, qua leges militares, callere debent (§. 137.): Fieri aliter nequit, quam ut in caſibus obviis, jure ſcripto non determinatis, explorent, quid

quid in iisdem observantiæ sit. Patet itaque, easdem ex usu addiscendas esse.

Cum usus temporis alicujus spatium requirat; Tyrones vero milites noviter lecti, aut conducti (§. 37.), neque adeo in militia versati sint: Facile patet, ab iis exigi non posse, ut observantias jam calleant. Hoc itaque militem in militia jam aliquod saltem tempus versatum supponit. Hinc etiam tyronibus parcendum esse, si contra observantiam quandam egerint, suo loco demonstrabitur.

§. 147.

Interest auctoris belli, adeoque reipublicæ sive ejusdem rectoris, ne milites ipso invito a militia discedant. *Interest, ne milites discedant.*

Auctor enim belli dicitur, a quo bellum geritur (§. 9.); Bellum vero ad persequendum jus, quod denegatur, seu violatum est, tendit (§. 1.): Auctor itaque belli eodem jus suum persequi studet. Absque militibus vero bellum geri nequit (§. 17.); Neque adeo absque militibus jus suum consequi ipsi datur. Ut vero jus tribuatur, adeoque ut illud, si denegetur, vi persequi possit, cujusvis interest (*Quod per se patet*). Ne itaque auctori belli milites desint, ejusdem interest. Quare cum milites facile deesse possint, si invito auctore belli discederent a militia (*Quod itidem per se intelligitur*): Patet, quod utique auctoris belli, adeoque & reipublicæ, sive ejusdem rectoris, qui belli publici, quod hic supponitur, auctor est (§. 10.), intersit, ne milites eo invito a militia discedant.

Quod milites invito auctore belli a militia discedere non debeant, hic supponitur, suo loco ulterius demonstrandum. Cum vero milites ad præstationem militiæ obligentur (§. 131.); Hinc vero obligationi non faciant satis, si a militia discedant: Facile cuique apparet, illos a militia discedere non debere, invito scilicet auctore belli. Cum enim reipublicæ sive ejusdem rectori, qui cum auctore belli idem est (§. 10.), obligentur (§. 129.); Quivis vero alteri obligationem, qua ipsi tenetur, remittere, sive juri suo renunciare possit (§. 106 *P.* 3. *Jur. nat. IV.*): Invito demum auctore belli a militia discedi non posse, necesse est.

§. 148.

Milites juramento ad militiam & observantiam legum militarium adstringere convenit. *Eos juramento adstringere convenit.*

Licet enim milites naturaliter jam, ex subjectione nempe civili, vel ex promisso, ad militiam (§. 39.), & ad observantiam legum militarium obligentur (§. 139.): Homines tamen plebeji hanc obligationem non satis capiunt. Ii enim, qui milites inviti leguntur, facile credere possunt,

 ipsis

ipsis fieri injuriam; Eorum vero, qui sponte militiæ nomen dant, cum plerumque ex fuga laboris id fiat, dubia admodum fides est, neque adeo satis tuta. Cum vero intersit auctoris belli sive reipublicæ, ut milites leges militares servent (§. 141.), & præsertim, ne ipso invito a militia discedant (§.147.): Expedit, ut obligatio positiva introducatur, quæ ipsorum captum non transscendit, & cujus sensum habere possunt. Non vero facile quis invenitur, qui juramentum servandum esse, persuasum sibi non habeat. Quare cum in eo casu juramentum licitum sit & expediat, si de promisso, adeoque & obligatione alterius certum esse intersit, asseveranti tamen facile credi non possit (§. 916. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod utique conveniat, milites juramento adstringere ad militiam & observantiam legum militarium.

Demonstrationem hanc suppeditavit *perillustris* L. B. *de* WOLF §. 767. *Jur. gent.* Illam tamen non allegare modo, sed principiis antea stabilitis convenienter formatam integram tradere visum fuit, quia propositio, cui adjicitur, juris militaris admodum propria est. Utilitatem itaque juramenti omnes fere agnoscunt populi, quibus militia curæ cordique est. Et jam apud Romanos milites ad jusjurandum adacti sunt (LUDEWIG *Diss. de Differ. juris rom. & germ. in re militari Diss. 4. nota d. p. 27.*): Necessitatis absolutæ vero illud non esse, monui jam in sch. ad §. 14. Novam enim obligationem non inducere, sed eandem saltem firmare, mox demonstrabitur. Miles itaque æque obligatur, licet non juraverit. Hinc articulis militaribus plerumque etiam addi solet, ut ii, qui eorum prælectioni (iteratam intellige), & juratæ assertioni non interfuerint, æque obligentur, quam qui præsentes fuere. Imo sunt, Batavi ex. gr. apud quos milites juramento non adstringuntur.

§. 149.

Juramenti militaris definitio. Juramentum, quod milites præstant de servandis legibus militaribus, & præsertim de militia non deserenda, sive promissio jurata de iisdem, *Juramentum militare* vocari solet; Germanice, *der Soldateneyd.*

Quoniam itaque juramentum in genere præstatur sub invocatione vindictæ divinæ (§.852. Part. 3. Jur. nat. W.); Et Christiani præsertim cum illo dispendium salutis æternæ, quod omnium maximum est, connectant: Optandum esset, ut juramentum militare non tam vilipenderetur, ut milites illud pro vero juramento vix habeant.

Formulas juramenti militaris apud Romanos jam usitatas exhibet STEPH. WAGA *Diss. de eo, q. j. e. circa pœn. milit. ignom.* §. 23. *p.* 25.

§. 150.

§. 150.

Milites lecti, si juramento adstringantur ad militiam, ex promisso etiam specialiter obligantur. *Quid operetur in militibus lectis?*

Lecti enim milites absque speciali promisso naturaliter etiam obligantur ad militiam (§. 40.): Licet revera quoad originem pactum tacitum subsit (*schol. ad* §. *cit.*). Cum vero juramentum militare jurata promissio sit de militia non deserenda (§. 149.): Si & milites lecti eodem adstringantur, quod supponitur (*per hyp.*), militiam specialiter promittunt. Quare cum ex promisso promissor obligetur (§. 363. *Part.* 3. *Jur. nat. WOLF.*): Milites etiam lecti ex promisso specialiter adhuc obligantur, si juramento adstringantur.

Cum vero jam ante juramentum obligentur: Obligationem illam non novam, sed accessoriam saltem esse, facile apparet. Id quod §. seq. demonstrabitur.

§. 151.

Juramentum tamen militare novam obligationem non producit, sed priorem saltem firmat. *Obligationem novam non producit,*

Cum enim in genere juramentum obligationem novam non producat (§. 903. *Part.* 3. *Jur. nat. W.*), actum non obligatorium in obligatorium non convertat (§. 904. l. c.), nec promissionem, quæ per se valida non est, validam reddat (§. 905. *ib.*): Hæc & de juramento militari valebunt. Quare cum hoc saltem militibus imponatur, ut majorem sensum obligationis suæ habeant (*per dem.* §. 148.): Obligationem militum jam extantem saltem firmat.

§. 152.

Milites itaque injuste ad militiam coacti, licet jurent, non obligantur, nisi sponte juramentum præstent. *nec in milite coacto,*

Miles enim injusto coactus ad militiam non obligatur (§. 46.): In milite itaque coacto obligatio ad militiam non adest. Juramentum vero militare novam obligationem non producit, sed priorem saltem firmat (§. 151.). Firmari autem non potest obligatio, ubi nulla adest. Patet itaque, quod milites injuste coacti ad militiam, non obligentur, etiamsi jurent. *Q. e. i.*

Cum vero miles ad militiam injuste coactus obligatus fiat, si postea verbis aut factis declaret, se militiam, ad quam non obligaretur, præstare velle (§. 48.); Si vero miles injuste coactus juramentum tamen militare sponte præstet, ipso facto, imo, cum illud promissionem contineat

tineat de præstanda militia (§. 149.), verbis declaret, se militiam præstare velle, ad quam non obligaretur: Miles injuste coactus ad militiam obligatus fit, si sponte juramentum præstet. *Q. e. 2.*

Facile autem apparet, quod sponte non juret, qui vi vel minis ad jurandum adigitur sive cogitur. Male itaque sibi consulunt, & vel sibimet ipsis imponunt, qui tyrones injuste coactos vi vel minis disponunt, ut juramentum præstent, & obligationem eo in illis operari nituntur, quæ locum non invenit.

§. 153.

obligatio ad illud *Si juramentum militare obtineat, milites, sive qui ad militiam obligantur, obligantur etiam ad illud præstandum, adeoque si præstare nolint, cogi possunt.*

Milites vel lecti vel conductitii (§. 37.); Lecti vero non nisi subditi sunt (§. 34). Subditorum autem actiones imperio superioris in civitate subsunt (§. *141. Part. 8. Jur. nat. W.*): Adeoque subditi illas pro arbitrio superioris determinare obligantur. Quodsi itaque superior convenire judicet, ut milites juramento adstringantur, uti illud expedit (§. 148.): Subditi, qui ad militiam obligantur, sive milites lecti, obligantur etiam ad idem præstandum. Conductitii vero, licet non nisi ex pacto obligentur (§. 52.): Si tamen militiam subeant, illam ad eam ita præstandam obligari, qualis illa ejusdem loci est, facile apparet. Quare cum juramentum militare obtinere supponatur (*per hyp.*): Milites etiam conductitii, adeoque in genere, ad illud præstandum obligantur. *Q. e. 1.*

Quamobrem cum obligatio militum tam lectorum (*per dem.* §. *41.*), quam conductitiorum, utpote ex promisso, perfecta sit (§. *363. Part. 3. Jur. nat. W.*); Ex obligatione vero perfecta alteri nascatur jus cogendi (§. *236. Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Milites ad juramentum militare præstandum cogi possunt, si illud obtineat. *Q. e. 2.*

Facile cuivis apparebit, hic supponi ea, quæ de juramentis in genere valent, quorum theoriam dedit L. B. de WOLF in *parte 3. Juris naturæ.*

§. 154.

qui cogi ad illud nequeat. *Ad juramentum militare cogi nemo potest, nisi qui ad militiam obligatur.*

Ratio enim, cur cogi possint milites ad juramentum militare præstandum, in obligatione eorum perfecta ad militiam continetur (*per dem. n. 2.* §. *153.*). Si quis itaque ad militiam non obligatur, cessat ratio, cur ad

ad juramentum militare cogi possit. Cum vero ratio sufficiens dicatur id, unde intelligitur, cur aliud sit (§. *56. Ontol. WOLF*): Cessante ratione sufficienti non intelligitur, cur alterum sit, adeoque cessat etiam id, quod propter eam est. Cessante itaque obligatione perfecta ad militiam cessat etiam coactio ad juramentum militare. Atque adeo ad illud cogi nequit, nisi qui ad militiam obligatur.

§. 155.

Miles, qui in leges militares jurat, in pœnas illis statutas, consentit. *Consensum in pœnas operatur.*

Miles enim, qui in leges militares jurat, illarum observantiam jurato promittit (§. 149.). Voluntatem itaque suam servandi easdem declarat (§. *361. Part. 3. Jur. nat. W.*). Legibus militaribus vero poenas adjici convenit (§. 142.); Et illud actu fieri, hic supponitur (*per hyp.*): Miles itaque, qui in leges militares jurat, promittit, se easdem sub istis poenis servare velle. Leges vero militares a superiore constituuntur (§. 92.); Si itaque illis poenæ adjiciuntur, superior etiam easdem sub his servari vult. Miles itaque, qui in leges militares jurat, idem vult, quod superior. Quare cum is, qui vult, ut hoc fiat, quod fieri vult alter, consentiat (§. *658. Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Miles, qui in leges militares jurat, consentit etiam in poenas, quæ illis statuuntur.

Cum vero miles valide non juret, nisi qui ad militiam obligatur (§. 152.): Hoc etiam supponit, juramentum militare validum esse.

§. 156.

Quare cum facile appareat, nihil fieri contra jus ejus, qui in aliquid consentit, dum illud fit; Injuria vero non fiat alicui, si nihil agatur contra jus ipsius (§. *859. Part. 1. Jur. nat. W.*): *Militi, qui in leges militares juravit, injuria non fit, si vel gravissima pœna, illis statuta, ipsi infligatur.* *Injuriam removet.*

Non tamen quis hinc concludat, ei, qui in leges militares non juravit, injuriam fieri, si poenæ iisdem constitutæ ei infligantur. Cum enim jam absque juramento obligatio militum adsit (§. 151.), & ad observantiam legum militarium obligentur milites (§. 137.); Transgressioni vero harum poenæ addi possint (§. 142.): Contra jus perfectum eorum nihil agitur, si poenis istis afficiantur in casu transgressionis; Adeoque nec illis injuria fit. Ut vero hoc eo magis sibi persuadeant milites, juramento adstringi solent (dem. §. 148.).

§. 157.

Milites obligantur ad bellum gerendum,

Milites obligantur ad bellum gerendum, adeoque ea omnia, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt.

Milites enim dicuntur, qui ad bellum gerendum adhibentur (§.14.); Adeoque per eosdem auctor belli illud gerit (§. 9.); Nec bellum geri potest absque iisdem (§.17.). Necesse itaque est, ut illud gerant. Et cum bellum geri non posset, nisi milites ea omnia faciant, quæ ad illud gerendum necessaria sunt (*Quod per se intelligitur*): Necesse etiam est, ut ea faciant (§. *279. Ontol.* WOLF). Quare cum in necessitate morali obligatio consistat (§. *118. Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Patet, quod milites tam ad bellum gerendum obligentur, quam omnia ea facere debeant, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt.

Cum militia omnes obligationes militares comprehendat (§. 130.): Si milites omnia faciant, quæ ad bellum gerendum requiruntur, idem est, ac si militiam præstent. Quare cum militiæ præstatio sit obligatio eorum generalis (§. 131.): Facile apparet, in eo hanc consistere, ut omnia faciant, quibus ad bellum gerendum opus est.

§. 158.

ad vim hosti inferendam,

Cum itaque bello vis inferenda sit alteri, cum quo geritur (§. 1.), hoc est, hosti (§. 11.); Hæc vero præsertim per milites inferatur (§. 15.); *Milites obligantur ad vim hosti inferendam, adeoque ad ea omnia, quæ ad illud, ut vis inferatur, necessaria sunt.*

§. 159.

ad pugnandum cum hoste,

Quare cum vim hosti resistenti inferre, pugnare vel dimicare cum eodem dicatur (*per def.*); Milites vero ad vim hosti inferendam obligentur (§.158.); *Milites ad pugnandum sive dimicandum cum hoste obligantur.*

§. 160.

ad vim hostis arcendam,

Milites etiam obligantur, ad vim hostis arcendam, adeoque ad ea facienda, quæ ad illud, ut vis hostis arceatur, faciunt.

Cum enim bellum semper inter duos geratur (§. 7.); Adeoque in bello semper adsit unus, qui resistit ei, qui jus suum vi persequitur (§. 4.): In bello ab utraque parte vis infertur. Alter vero, cum quo bellum geritur, hostis dicitur (§. 11.): Hostis itaque uti ipsi vis infertur, ita vim mutuam inferre studet. Vi vero, quæ ab hoste infertur, impeditur, quo minus eidem vis inferri possit. Ad vim itaque hosti inferendam necesse est, ut vis ejusdem arceatur. Quare cum milites obligentur

tur ad ea omnia, quæ ad vim hosti inferendam necessaria sunt (§. 158): Obligantur etiam ad vim hostis arcendam.

§. 161.

Quare cum ad vim hostis arcendam faciat, si eidem resistatur (*per def.*); Ad vim hostis vero arcendam obligentur milites (§. 160.): *Milites* etiam *ad resistendum hosti obligantur.* *ad resistendum hosti.*

Hæ quidem sunt obligationes militum maxime generales, ex quibus deinde deducentur speciales.

§. 162.

Actiones, quæ faciunt ad vim hosti inferendam, & vim ejusdem repellendam sive arcendam, uno nomine *Ministerium belli* vocantur. *Ministerii belli definitio.*

§. 163.

Quare cum milites tam ad vim hosti inferendam (§. 158), quam ad vim ejusdem arcendam, & ad omnia, quæ ideo necessaria sunt, obligentur (§. 160.); In eo autem ministerium belli consistat (§. 162.): *Milites ad ministerium belli obligantur.* *Ad illud obligantur milites,*

§. 164.

Milites ministerium belli addiscere & eidem assuefieri debent. *illud addiscere debent,*

Milites enim ad ministerium belli obligantur (§. 163.): Notum itaque illis esse debet, quid ad illud requiratur. Quare cum si quid notum studio nobis faciamus, quod ignoramus, addiscere illud dicamur (*per def.*): Patet, quod milites ministerium belli addiscere debeant. *Q. e. u.*

Cum vero ministerium belli omnes illas actiones contineat, quæ ad vim hosti inferendam, vel ejus arcendam faciunt (§. 162.): Necesse est, ut milites actiones illas possint exercere, quoties iis opus est. Promtitudinem itaque agendi ea, quæ ministerium belli requirit, habere debent. Promtitudo habendi vero habitus dicitur (§. 428. *Psych. emp. IV.*); Et qui habitum alicujus rei habet, eidem assuefactus dicitur (*per def.*). Patet itaque etiam, quod milites ministerio belli assuefieri debeant. *Q. e. a.*

§. 165.

Quare cum habitus non nisi exercitio acquiratur (§. 430. *loc. cit.*); Milites vero ministerio belli assuefieri; adeoque habitum circa illud habere debeant (§. 164.): *Milites ad exercitium functionum, quas ministerium belli requirit, obligantur.* *ad exercitium illius obligantur.*

§. 166.

Functionum bellicarum definitio. *Functiones*, quas ministerium belli requirit, *bellicæ* vocantur. Ut adeo sint actiones, quæ faciunt ad vim hosti inferendam, vel ejusdem arcendam (§. 162.).

§. 167.

Milites ad eas obligantur, Quare cum *milites* ad ministerium belli obligentur (§. 163.): *Obligantur* etiam *ad functiones bellicas.*

Hinc apparet, functiones bellicas ad officia militaria pertinere. Functiones enim bellicæ actiones militum sunt (§. 166.), ad quas obligantur (§. hoc). Actiones vero militum, quatenus ad eas obligantur, officia militaria dicuntur (§. 139.). De functionibus itaque bellicis idem valet, quod de officiis militaribus demonstratur.

§. 168.

omni diligentia obeundas, *Milites ad omnem diligentiam in præstatione officiorum suorum, sive functionum bellicarum adhibendam obligantur.*

Cum enim actiones militum, quatenus ad eas ita determinandas obligantur, officia eorum dicantur (§. 139): Si officiis suis fungantur, seu quod perinde est, functiones bellicas obeant (*schol. ad* §. 167.), obligationibus suis satisfaciunt. Ut itaque obligationibus suis satisfaciant, officia sua & functiones bellicas præstare tenentur. Quare cum id, propter quod quis agit, finis (§. 932. *Ontol. W.*): Id vero, quod adhibetur ad finem consequendum, medium dicatur (§. 937. *l. c.*): Officia militaria, sive functiones belli se habent per modum medii ad satisfaciendum obligationibus suis, adeoque hoc fine præstari debent. In commissione vero omnium eorum, quæ certo fine fieri debent, diligentia consistit (§. 751. *Part. 1. Phil. pr. univ. W.*). Quare cum mediorum cum fine nexus indissolubilis sit (§. 941. *Ontol.*); Adeoque is, qui obligatur ad finem, obligetur etiam ad media, sine quibus illo potiri non datur: Milites ad omnem diligentiam in officiis suis fungendis, sive functionibus bellicis obeundis obligantur.

§. 169.

in exercitio earum retinendi. *Milites vel pacis tempore in continuo exercitio functionum bellicarum, quantum potest, retinendi sunt.*

Si enim vel pacis tempore milites alantur, illud tamen fit in usum & casum belli futuri (§. 28.). Licet itaque actu vis hosti inferenda, vel vis ejusdem repellenda non sit, evenire tamen potest, ut eo opus sit. Quoniam itaque functiones bellicæ eo tendunt (§. 166.): Milites vel pacis tem-

tempore habitum habere debent eas exercendi. Quare cum habitus usu, sive continuo exercitio conservetur, (§. 431. *Psych. emp. IV.*), eo vero intermisso amittatur (§. 432. *ib.*): Patet, quod milites vel pacis tempore in continuo exercitio functionum bellicarum, quantum datur, retinendi sint.

Fieri itaque etiam solet, ut præter exercitia militaria, quæ dicuntur, etiam ad excubias & custodias agendas æque ac tempore belli adhibeantur.

§. 170.

Milites adeo vel pacis tempore ad functiones bellicas ita exacte obeundas obligantur, ac si bellum actu geratur, seu hostis adesset. *in pace etiam exacte exercendæ.*

Cum enim milites ad omnem diligentiam in obeundis functionibus bellicis adhibendam obligentur (§. 165.): Illas exacte præstare debent. Cum vero milites etiam pacis tempore in exercitio earum retineri debeant (§. 169.); Idque fiat in usum belli (*per dem. ib.*): Tempore pacis etiam illæ ita debent præstari, uti in bello requiruntur. Quare cum functiones bellicæ exacte debeant præstari (*per dem.*): Hoc etiam pacis tempore fieri debet.

§. 171.

Ministerium belli operas requirit. *Ministerium belli operas requirit.*

Ministerium enim belli consistit in actionibus, quæ ad vim inferendam & repellendam faciunt (§. 162.). Vim vero corpore inferri constat. Quare cum actiones, quæ corpore perficiuntur, operæ vocentur (*per def.*): Ministerium belli operas requirere apparet.

§. 172.

Operæ, quas ministerium belli requirit, ***militares*** dicuntur. *Operarum militarium definitio.*

Cum functiones bellicæ itidem sint actiones, quæ ministerium belli requirit (§. 166): Illæ cum operis militaribus eædem sunt. Cum vero utraque denominatio occurrere solet, & pro diversa relatione hæc vel illa aptior fit: Utramque etiam definire visum fuit, ne circa ullam hæsitemus.

§. 173.

Quare cum *milites* ad ministerium belli obligentur (§. 163.): ***Obligantur*** etiam *ad operas militares.* *Milites ad eas obligantur,*

§. 174.

Milites in bello gerendo alia facere non possunt, quam quæ auctor belli ad illud gerendum necessaria judicat & fieri vult. *judicio auctoris belli adstringuntur*

 Mili-

Milites enim ad omnia obligantur, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt (§. 157.). Judicium autem de necessitate eorum, sine quibus jus suum obtinere nequit, auctori belli relinquitur (§. 783. *Jur. gent. W.*): In faciendis itaque iis, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt, ad judicium ejusdem adstringuntur milites, neque in iis suum judicium sequi possunt. Quare cum is, qui ad judicium alterius adstringitur, alia facere non possit, quam quæ hic necessaria judicat & fieri vult: Milites etiam in bello gerendo alia facere non possunt, quam quæ auctor belli necessaria judicat & fieri vult.

§. 175.

& ad voluntatem ejusdem,

Milites actiones suas ad voluntatem auctoris belli, sive superioris in civitate, componere obligantur.

Milites enim ad servandas leges militares obligantur (§. 137.); Hæ vero a superiore in civitate feruntur (§. 92.). Et cum positivæ sint (§. 93.): Voluntate ejus nituntur (§. 147. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*). Legibus vero militaribus actiones militum, qua talium, determinantur (§. 87.). Actiones itaque militum voluntate superioris determinantur. Quare cum milites ad leges militares servandas obligentur (§. 137.); Auctor belli publici, de quo hic agitur, (*schol. ad* §. 7.) vero sit superior in civitate (§. 10.): Milites actiones suas ad voluntatem ejusdem componere debere, facile intelligitur.

§. 176.

sunt in imperio auctoris belli,

Milites itaque, qua tales, sunt in imperio auctoris belli sive superioris in civitate.

Cum enim milites actiones suas secundum voluntatem superioris sive auctoris belli determinare obligentur (§. 175.): Huic competat jus actiones illorum pro lubitu determinandi, necesse est (§. 23. *Part. 1. Jur. nat. W.*). Jus vero actiones liberas alterius pro lubitu determinandi imperium dicitur (§. 194. *Part. 7. loc. cit.*): Hinc patet, quod milites sint in imperio auctoris belli sive superioris.

§. 177.

subjecti sunt eidem,

Quare cum is, qui in imperio alterius est, eidem subjectus sit (§. 201. *Part. 7. Jur. nat. WOLF*): *Milites, qua tales, subjecti sunt auctori belli sive superiori in civitate.*

§. 178.

§. 178.

Et quoniam is, qui subjectus est alteri, eidem parere sive obedire tenetur (§. *206. l. c.*): *Milites in specie, qua tales, ad parendum sive obedientiam præstandam auctori belli seu superiori in civitate obligantur.* *ad obedientiam ei obligantur.*

Datur equidem jam alia obligatio militum, qua civium, ad parendum superiori. Cum vero obligationes militum, quæ ex eo fluunt, quod cives sint, militares non sint (§. 125): Hic in specie demonstrandum fuit, quod etiam, qua tales, ad illud obligentur, ut nimirum exinde aliæ obligationes militares deduci possint.

§. 179.

Milites speciei cuidam servitutis, imperfectæ scilicet, subsunt. *Servituti cuidam subsunt.*

Milites enim operas, militares nempe, auctori belli sive superiori præstare obligantur (§. 173), eique subjecti sunt (§. 177.). Quare cum subjectio, qua quis operas alicui præstare obligatur, servitus dicatur (§. *1080. Part. 7. Jur. nat. W.*): Patet, quod milites servituti cuidam subsint. *Q. e. 1.*

Cum vero milites non nisi operas militares præstare obligentur (*per hyp. §. 173.*): Operæ eorum determinatæ sunt. Et cum milites etiam ad tempus fieri possint (§. 54.): Nec perpetuo semper debentur. Si vero operæ non nisi certæ, aut non perpetuo debeantur, servitus imperfecta dicitur (§. *1083. loc. cit.*). Hinc simul apparet, servitutem illam non nisi imperfectam esse. *Q. e. 2.*

Alium fontem servitutis militum, dum nempe libertatem suam pro certa pecunia vendant, indicat *perillustris L. B. de WOLF* in *scholio ad* § *765. Jur. gent.*

§. 180.

Cum itaque milites speciei servitutis subsint (§. 179.), & quidem propterea, quod operas certas, militares nempe, præstare debeant (*per dem. l. c.*): *Operæ militares servitia etiam militaria vocari possunt, uti solent.* *Servitia militaria quæ dicantur.*

§. 181.

Et cum operæ militares cum functionibus bellicis eædem sint (*sch. ad* §. *172.*); Hæ vero dicantur functiones, quas ministerium belli requirit (§. 166.), & sint actiones, quæ faciunt ad vim hosti inferendam, vel ejusdem arcendam (*ibid.*): *Servitia militaria cum functionibus bellicis eadem, adeoque & actiones sunt, quæ ad vim hosti inferendam & ejusdem arcendam faciunt.* *cum functionibus bellicis eadem sunt.*

§. 182.

§. 182.

ad ea obligantur milites. Quoniam igitur milites tam ad functiones bellicas (§. 167.), quam ad operas militares præstandas obligantur (§. 173.); Servitia vero militaria cum illis æque (§. 181.), quam his eadem sunt (§. 180.): *Milites* etiam *ad præstanda servitia militaria obligantur.*

§. 183.

Imperii militaris definitio. *Imperium*, cui milites, qua tales, subsunt (§. 176.), sive, quod in milites, qua tales, competit, *militare* dicitur.

§. 184.

Cuinam competat. Quare cum milites sint in imperio auctoris belli sive superioris in civitate (§ *cit.*): *Auctori belli sive superiori imperium militare quidem competit.* Cum vero illud, quemadmodum & jus conscribendi, ipsemet in singulos exercere non possit (§. 30.): *Necesse est, ut exercitium illius aliis committat.*

§. 185.

Præfectorum militum, s. officialium definitio. Ii, per quos auctor belli, sive superior in civitate, imperium militare exercet, seu quibus exercitium imperii militaris ab eodem commissum est, *Præfecti militum*, seu *officiales* vocantur (§. *612. Jur. gent.* *WOLF.*).

Loco quidem citato definitio aliter paulum formatur, nempe quod præfecti militum sint personæ, quibus a potestate summa certum imperium in milites tributum & certæ functiones bellicæ demandatæ sunt. Quoad essentialia tamen utramque convenire, facile apparet. Et illam modo ita potius determinare duxi, ut demonstrationi reliquorum aptior evaderet.

§. 186.

Ipsi milites sunt. *Præfecti militum seu officiales ipsimet milites sunt.*

Ad bellum enim gerendum opus est, ut milites actiones suas ad voluntatem superioris componant (§. 175). Eoque nomine huic imperium in eos competit (§. 176.). Imperium vero illud aliis committi debet (§. 184.), qui præfecti militum seu officiales dicuntur (§. 185.). Præfectos itaque militum ad bellum gerendum necessarios esse, & adhiberi, facile apparet. Quare cum ii, qui ad bellum gerendum adhibentur, milites dicantur (§. 14.): Præfecti militum sive officiales ipsimet milites sunt.

Cum præfecti militum, seu officiales, militibus præesse dicantur, adeoque ab his quasi distinguantur: Dubium videri posset, an & militum nomine veniant. Cum vero intersit scire, an etiam obligationibus illis teneantur

neantur & juribus iisdem fruantur, quibus milites in genere: Thesin hanc addere, opus visum fuit, ut intelligatur, ea, quæ de militibus in genere demonstrantur, præfectis etiam eorum tribuenda esse.

§. 187.

Milites in certas classes distribuendi sunt.

Cum enim milites ad bellum, publicum nempe, gerendum, adhibeantur (§. 14.); Ad hoc vero opus sit multis hominibus (§. 13.): Vel ex eo apparet, quod milites ad magnum sæpe numerum excurrere debeant; Et quod actu excurrant, per se notum est. Unum itaque vel pauciores in singulos imperium exercere non posse, sed plures constitui debere præfectos, facile intelligitur, qui imperium in certum quendam militum numerum exerceant. Certus itaque militum numerus cuilibet præfecto assignari debet. Quare cum per hoc classes militum constituantur: Patet, quod milites in certas classes distribuendi sint. *Classes militum constituendæ.*

Classes, in quas apud Romanos milites distribuebantur, hinc etiam *numeri* vocabantur. Unde *in numerum referri* idem est, ac certæ cuidam classi assignari. Uti hoc plenius evincit & eos, qui hanc locutionem pro relatione in breviculum, a qua militia incipiat, sumunt, reprehendit Dn. de LUDEWIG in Diss. de *Differentiis juris rom. & germ. in re militari, Diss. 4. nota (a) pag. 23. seqq.*

§. 188.

Infima militum classis, sive numerus militum minimus, qui unius imperio committi solent, *Manipulus;* Classis vero tot militum, quot commode una in acie dimicant, si pedites sint, *Agmen;* Si equites, *Turma;* Agminum seu turmarum aliquot, unius imperio subditorum, *Cohors;* Cohortium vero aliquot *Legio* vocari solent. *Manipuli, Agminis, Turmæ, Cohortis, Legionis definitio.*

Inter nos hodie manipulus, *eine Compagnie;* Agmen, *ein Bataillon;* Turma, *eine Escadron;* Cohors, *ein Regiment;* Legio, *eine Brigade*, dici solet. In hac denominatione vero non omnes iidem sunt. Alii enim, quod nobis agmen dicitur, cohortem; quod cohors, legionem, & quod legio, agmen sive manum delectorum nominant, uti vir illustris JO. GEO. ESTOR in *Diss de Jure ordinum imperii decorandi bonoribus milit.* §. 102. *p.* 45. Cum vero hæ denominationes a statu militiæ romanæ desumantur; Legio vero romana tantæ fuerit multitudinis, quanta cohortibus nostris non convenit, & ad plures myriades sæpe excurrerit (§. 37. l. cit.), imo ex 10. cohortibus constiterit (§. 36. ib.): Denominationem quam dedi, statui nostro, licet adæquata non sit, melius tamen convenire duxi. Monuit hoc quoad legionem, etiam BENJ. HEDERICH in Promt. Latinit. voce *Regiment* in fine. Sic & romani exercitus pedestris partes erant legio, cohortes & manipuli (ESTOR *loco cit.* §. 12. *pag.* 6.).

Mirari quis posset, cur in jure militari de divisionibus exercitus folliciti simus. Ex §. vero sequenti statim apparebit, iis ad notiones præfectorum militum determinandas; uti hisce ad subordinationem militum suo loco eruendam opus fuisse.

Nec est, quod hæc potius capite primo, quo de constitutione militum actum fuit, tradenda fuisse, quis putet, quam hic, ubi de obligationibus eorum jam agitur. Supponunt enim notionem præfectorum, & hæc illam imperii militaris. De hoc vero prius agi non licuit, quam ubi jam quædam obligationes militares demonstratæ fuerunt (§. 176.). Docendi vero methodus exigit, ut quævis non tradantur, nisi ubi præmissa fuerint ea, quæ ad illorum intellectum & demonstrationem faciunt.

§. 189.

Centurionis, Tribuni, Ducis belli s. Legati definitio.

Præfectus militum, qui manipulo præest, *Centurio;* Qui toti cohorti, sive equestri, sive pedestri, *Tribunus*; Cui vero imperium in legionem unam vel plures committitur, *Dux belli* sive stilo romano *Legatus* vocari poterit.

Ita etiam apud Romanos præter imperatorem sive ducem, summum scilicet, legati in secundo, tribuni in tertio, & centuriones in quarto ordine præfectorum militum constituti erant (ESTOR *loco cit.* §. 12. *p.* 6.). Manipulus olim equidem ex ducentis militibus constabat, adeoque duas centurias continebat (§. 36. *p.* 17. *l. c.*). Centuriæ præfectus itaque centurio vocabatur. Cum vero hodie classes, in quas agmina sive cohortes dividuntur, hoc est, manipuli, plerumque circiter centum homines, plures aut pauciores, comprehendere soleant; Eorum præfectos etiam centuriones vocari suevit.

§. 190.

Exercitus definitio.

Milites gentis cujusdam in universum sumti, vel etiam multitudo militum ad bellum quoddam actu inferendum, sive expeditionem quandam bellicam, destinata, *Exercitus* dicitur.

§. 191.

Ex quibus partibus constet,

Cum milites in classes distribuendi sint (§. 187.); Classes vero militum per manipulos, cohortes & legiones constituantur (§. 188.). *Exercitus ex legionibus, cohortibus & manipulis constare debeat* (§. 190.).

§. 192.

ex quot militibus.

Exercitus tot militibus constare debet, quot ad vim hosti inferendam, vel ejusdem arcendam necessarii sint.

Cum enim per milites auctor belli vim hosti inferre (§. 15.), seu vim ejusdem arcere studeat (§. 160.): Tot milites necessarios esse, quot huic fini consequendo sufficiunt, facile apparet. Absque mediis enim suf-

ficienti-

ficientibus fine potiri non datur (§. 70. *Ontol. W.*). Quare cum exercitus milites illos, ad bellum, adeoque & vim, inferendum, vel arcendum destinatos contineat (§. 190.): Patet, quod tot militibus constare debeat, quot ad vim inferendam, vel arcendam necessarii sunt.

Jure itaque naturali exercitui certus numerus militum assignari nequit, sed quævis multitudo eorum ad bellum actu inferendum destinata hoc nomen meretur, licet ad tantum numerum non excurrat, quantus exercitus denominatione dignus videatur. ULPIANUS vero effatur, exercitum non unam cohortem, neque unam alam dici, sed numeros multos milites (l. 1. §. 2. ff. de His, qui not. inf.). Et exercitus ingenti sæpe numero constare, in vulgus notum est. Cujus peculiare exemplum exhibet exercitus ille Xerxis, quo universæ Europæ bellum meditabatur, qui memorante CORN. NEPOTE in *Themistocle* undecies centum millia militum continebat (§. 5. *cap.* 2.). Exempla exercituum romanorum numerosorum refert de LUDEWIG in *Diss. de Differ. jur. rom. & germ. in re milit. §. 1. nota (a) pag. 2. & seq.*

§. 193

Præfectus militum, cui imperium in integrum aliquem exercitum tributum est, seu, qui toti exercitui præest, *summus belli dux dici solet.* *Ducis summi definitio.*

Apud Romanos, qui toti exercitui præerat, Imperator dicebatur (ESTOR *loco* §. 188. *cit.* §. 12. *pag.* 6).

§. 194.

Cum legio pluribus cohortibus constet (§. 188.); Præfecti legioni vero sive legati Duces belli dicantur (§. 189.): Duces belli magnæ exercitus parti præsunt. Inter illos vero etiam Ducem summum numerandum esse, facile apparet. Quare cum huic imperium in totum exercitum competat (§. 193.): *Duces belli in genere, comprehenso duce summo, definiri poterunt per præfectos militum, quibus imperium in totum exercitum vel magnam ejus partem tributum est* (§. 612. *Jur. gent. WOLF.*). *Ducum belli in genere definitio.*

§. 195.

Milites, qui pedibus militant, *Pedites;* Qui equo merentur, *Equites* dicuntur. *Peditum & equitum definitio*

Sunt & aliæ denominationes militum, quæ a circumstantiis specialibus, sub quibus militant, desumuntur. Ita a loco, *terrestres*, vel *navales;* Ab armis, *velites*, *hastati*, *spiculatores*, *funditores*, reliqua, jam olim nominati fuerunt (ESTOR *loco cit.* §. 27.). Quoniam vero hæc ad institutum nostrum non faciunt: Iis explicandis non inhæremus.

§. 196.

Desultoriorum s. Dimacharum definitio.

Licet vero equites vel maxime equo militent (§. 195.): Inter ipsos tamen dantur, qui urgente necessitate, ex equo descendere, seu ad pedes desilire debent (*per hyp. & exp.*). Unde *equites*, qui necessitate exigente, pedibus militare debent *desultorii*, sive græco vocabulo *Dimachæ* vocantur.

Hanc militum speciem propterea curatius definiendam duxi, ut dijudicari possit, an ad equites vel pedites referendi sint. Cum enim species equitum, eorum nempe, qui necessitate jubente vel pedibus militare debent, dicuntur; Species vero sub genere comprehenduntur: Facile apparet, eosdem ad equites referri, adeoque si his jura peculiaria præ peditibus competant, etiam iisdem illos frui debere. Ceterum facile apparet, cum equites alioquin gravi armatura instructi esse soleant, hæc vero iis, qui pedibus dimicant, non conveniat, quod dimachæ leviori armatura instrui debeant.

§. 197.

Peditatus & equitatus definitio.

Milites, qui in exercitu pedibus militant, sive pedites, universim sumti, *Peditatus;* Qui equis merentur, sive equites, *Equitatus* vocantur.

§. 198.

Magistri equitum, peditum & militum definitio.

Dux belli, sive legatus, qui equitatui præest, *Magister equitum;* Qui peditatui, *Magister peditum;* Et uterque communi nomine *Magistri militum* dicuntur (ESTOR *loco* §. *188. cit.* §. *16. p. 8.*).

Patrio vel gallico potius idiomate *Generals der Cavallerie und Infanterie* dicuntur.

§. 199.

Gradus præfectorum.

Dantur gradus præfectorum militum.

Classes enim, in quas milites dividuntur, inter se differunt, & una pauciores, altera plures milites comprehendit (§. 188.). Singulis vero præfecti militum præsunt (§. 189.). Licet itaque præfecti militum in eo conveniant, ut omnibus imperium militare competat (§. 185.): In eo tamen differunt, quod illud vel in classem superiorem vel inferiorem, sive milites plures, aut pauciores, exerceant. Quare cum gradus dicatur id, quo qualitates eædem salva identitate differre possunt, sive gradus sit discrimen internum qualitatum earundem, scilicet, quod salva identitate in easdem cadit (§. 746 *Ontol.* WOLF.): Patet, quod dari debeant gradus præfectorum militum.

§. 200.

§. 200.

Præfecti militum, qui paucioribus militibus, seu classi inferiori, præsunt, *minores;* Qui pluribus, seu classi superiori, *majores* dicuntur. *Præfectorum minorum & majorum gradus.*

§. 201.

Præfecti militum minores imperio majorum subesse debent.

Classes enim militum, quibus præfecti majores præsunt, sub se comprehendunt classes inferiores (§. 188.). Classes vero inferiores æque præfectos suos habent (§. 189.), qui respectu majorum minores dicuntur (§. 200.). Præfecti itaque majores, dum classibus superioribus præsunt, imperium simul in classes inferiores exercent (§. 185.). Exercere vero illud non possent, nisi & harum præfecti, qui minores dicuntur, simul imperio illorum subsint. Fieri enim tunc posset, ut hi aliud imperent, quam illi. Necesse itaque est, ut præfecti minores majoribus subsint. *Minores majoribus subsunt.*

§. 202.

In quo plures milites imperium militare præfectis competit, eo digniores seu eminentiores sunt. *Qui digniores sint.*

Dignitas enim alicujus ex amplitudine potestatis, qua pollet, æstimari solet. Ampliore vero potestate sine dubio pollet, qui in plures, quam qui in pauciores imperium habet. In casu enim priori plures actiones suas ad ejus voluntatem componere obligantur, quam in posteriori (§. 194. *Part.* 1. *Jur. nat. WOLF.*). Patet itaque, quod quo plures milites præfectis subsunt, eo digniores sive eminentiores hi esse debeant.

§. 203.

Quare cum dux belli summus toti exercitui (§. 193.); Duces vero sive legati hujus saltem parti (§. 194.); Tribuni vero & centuriones parti adhuc minori præsint (§. 189.); *Dux belli summus inter præfectos militum eminentissimus est; Legati vero tribunis, & hi centurionibus digniores sive eminentiores sunt.* *Quinam in specie.*

§. 204.

Similî modo cum centuriones in pauciores milites imperium habeant, quam tribuni, hi in pauciores, quam legati (§. 189.), & hi iterum in pauciores, quam summus belli dux (§. 193.); Præfecti vero militum, qui paucioribus militibus, quam alii præsunt, minores; hi vero majores dicantur (§. 200.): *Centuriones minores sunt tribunis, hi legatis,* *Quinam minores vel majores.*

 & hi

& hi duci summo: Dux summus vero major est legatis, hi majores sunt tribunis, & hi centurionibus.

§. 205.

Quinam aliis subsint. Et cum porro præfecti militum minores imperio majorum subesse debeant (§. 201.): *Centuriones imperio tribunorum, hi ducum, & hi imperio ducis summi subsunt.*

§. 206.

Præfecti centurione minores. *Dari debent præfecti militum centurione adhuc minores.*

Fieri enim potest, ut minor numerus militum manipulo ad expeditionem quandam requiratur (*per hyp. & exp.*). Quare cum centurioni imperium in manipulum competat (§. 189.): Ut ipse imperium tam paucorum suscipiat, non convenit. Cum tamen neque illi, neque reliqui, ex manipulo residui, absque imperio esse possint (§. 174.): Adesse debent alii, quibus imperium in pauciores manipulo milites committi possit. Et cum hi præfecti minores dicantur (§. 200.): Patet, quod dari debeant præfecti militum centurione minores.

§. 207.

Quinam illi sint. Quare cum in quovis manipulo ultra centurionis legatum (qui & optio vocari solet), & signiferum, alii etiam constituti sint, quibus certa negotia curanda committuntur, uti centuriæ instructores, *Sergeanten*, qui in equitatu vigiliarum præfecti, *Wachtmeister*, dici solent; Designatores, *Fouriers*, Decuriones, *Corporals*, & alii (*per hyp.*): Iisdem in milites manipulo minores, & quidem *in partem manipuli majorem, centurionis legato sive signifero; in minorem vero, ultra tamen decem, instructoribus & designatoribus; in decem vel pauciores milites decurionibus imperium committi solet.*

Officia eorum in specie refert vir excell. Dn. ESTOR *loco sæpius cit.* §. 148. *& seqq.* Quæ vero hujus loci non sunt.

§. 208.

Quinam subpræfecti vocentur. Cum itaque instructoribus, designatoribus & decurionibus imperium in milites, licet pauciores, committatur (§. 207.); In genere vero ii, quibus imperium militare exercendum committitur, præfecti militum dicantur (§. 185.): *Instructores, designatores & decuriones ad præfectos militum, seu officiales referendi sunt.* Cum vero imperium eorum in pauciores saltem milites extendatur (§. 207.): *Officiales inferiores sive subpræfecti, Unterofficiers, dici solent (per hyp.).* Qui adeo definiri

finiri possent per præfectos militum, quibus in manipuli partem minorem imperium militare committi solet.

§. 209.

Præfecti militum, quibus in plures milites imperium committitur, a signifero usque, *Præfecti*, sive *Officiales superiores*, *Oberofficiers*, vocari solent (*per hyp.*). Qui adeo definiri poterunt per eos, quibus imperium in plures milites & majorem saltem manipuli partem committitur. *Præfectorum superiorum definitio.*

§. 210.

Tribuni, eorumque legati cum supremo vigiliarum præfecto *Præfecti cohortis præcipui*, *Stabsofficiers*, dici solent. Cum itaque hi quidem in cohorte constituantur, non vero in manipulos distribuantur, sed illis in universum sumtis, adeoque toti cohorti præsint (*per hyp.*): Definire eos licebit, per præfectos militum superiores in cohorte constitutos, in manipulos vero non distributos, sed toti cohorti inservientes. Et cum in genere personæ in cohorte constitutæ, manipulis vero non adscriptæ, sed cohorti in genere inservientes, in universum sumtæ, *Præfectura cohortis* seu potius *præcipuum cohortis*, *der Regimentsstab* dicatur (*per hypoth.*). *Præfecti cohortis præcipui ad illam sive hoc referendi sunt.* *Præfecturæ cohortis definitio.*

Non enim soli præfecti cohortis præcipui præfecturam sive præcipuum cohortis efficiunt, sed dantur etiam in cohorte aliæ personæ, quæ eo referuntur, uti concionator castrensis, auditor, metator cohortis, adjutor, chirurgus cohortis, imo & commentariensis, ejusque servus & alii. Cum vero propter diversitatem harum personarum maximam, præcipuum cohortis distingui soleat in superius & inferius, imo & medium (*per hyp.*): Convenit, ut præcipuum non nisi superius, utpote quod solos præfectos præcipuos complectitur, præfectura cohortis dicatur. Vocabulum enim aliud invenire non licuit, quo germanicum illud, *Regimentsstab*, convenientius indigitetur.

§. 211.

Duces belli eorumque legati, adeoque & magistri militum (§. 198.), *Officiales generales*, *Generalspersonen*, dicuntur. Cum itaque hi in exercitu saltem, non vero in cohorte hac vel illa constituantur (§. 194.): Definiri poterunt per præfectos militum superiores, qui ad cohortem quandam specialem non referuntur, sed exercitui in genere inserviunt. Et cum personæ, quæ in exercitu cohortibus adscriptæ non sunt, sed exercitui in genere inserviant, universum sumtæ, *Præfecturæ* *Officialium generalium & præfecturæ generalis definitio.*

fectura exercitus, sive generalis, der Generalstab, dicantur (*per hypoth.*): *Officiales generales ad præfecturam exercitus referendi sunt.*

Præfecturam militiæ illam denominavit HENR. BROKES in *Diss. de Proc. inq. in jud. milit. usitato* §. 9. Hæc vero denominatio magis generi, *dem Stabe,* conveniret, ex quo deinde species, præfectura nempe cohortis & exercitus deducerentur.

§. 212.

Milites imperio præfectorum subsunt.

Milites sub imperio præfectorum vel infimorum sunt.
Milites enim imperio auctoris belli subsunt (§. 176.); Quare cum imperium hoc, quod auctori belli in milites competit, præfectis eorum committatur (§. 185.): Milites imperio præfectorum subesse, liquet. Cum vero & infimi præfectorum ad eos tamen referendi sint (§. 208.): Apparet, quod infimorum etiam præfectorum imperio milites subsint.

§. 213.

Militis gregarii definitio.

Cum præfecti militum ipsimet milites sint (§. 186.); Præfectis vero imperium in milites competat (§. 185.): Dari milites, quibus imperium in alios competat, apparet. Cum vero imperium semper alios supponat, in quos competit (§. 194. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Necesse est, dari denique milites, qui nullum imperium in alios habent. *Miles* itaque, qui nullum imperium in alios habet, sed imperio præfectorum vel infimorum subest, *gregarius* dicitur.

§. 214.

Exemti definitio.

Miles gregarius, qui ab excubiis, seu statione eximitur, & alios saltem ad hanc ducit, *Exemtus* vocatur, *ein Gefreyter.*

Cum notum satis sit, quid per excubias & stationem intelligatur, illud per notiones confusas supponimus, quæ hic sufficiunt. Suo loco autem distinctas earum trademus, ubi iisdem ad demonstrationem & intellectum aliorum opus erit.

§. 215.

Eorum conditio.

Cum itaque milites, dum in stationes ducuntur, eatenus exemtorum imperio subjici debeant (*quod per se patet*): *Exemtis imperium quidem temporarium aliquod competit.* Quia vero illud perpetuum non est, sed tamdiu saltem ipsis competit, quamdiu alios ducunt, hoc peracto vero iterum cesset (*per hyp.*): *Exemti ad præfectos militum non referuntur.*

§. 216.

§. 216.

Milites ad obedientiam præfectis suis vel infimis præstandam obligantur.

Milites præfectis obedire debent.

Milites enim vi imperii, quod auctori belli competit in ipsos, eidem ad obedientiam obligantur (§. 178.). Auctor vero belli imperium illud per præfectos militum exercet (§. 185.). Quare cum milites imperio præfectorum vel infimorum subsint (§. 212.): Milites etiam ad obedientiam præfectis suis vel infimis præstandam obligari, intelligitur.

Obedientia hic in genere saltem demonstratur. Quousque vero eadem procedat, in sequentibus deducetur.

§. 217.

Milites, dum in stationes ducuntur, exemtis etiam obedire obligantur.

quando & exemtis,

Exemtis enim, dum milites in stationes ducunt, imperium in eosdem competit (§. 215.). Milites itaque, dum in stationes ducuntur, imperio exemtorum subsunt. Quare cum ex eo, quod quis imperio alterius subsit, sequatur, ut eidem obediat (*per dem.* §. 216.): Milites etiam, dum in stationem ducuntur, exemtis obedire debent.

Ut melius sentiant milites hanc obligationem, eadem legibus etiam positivis urgeri solet. Sic articulis militaribus patriis §. 10. expresse constitutum est, ut nemo imperio exemtorum resistat. Imo exinde videri posset, ac si vel ipsis præfectis accenserentur. Quod tamen, cum imperium eorum temporarium saltem sit, analogiæ juris non convenire evicimus (§. 215.), uti & observantiæ repugnat.

§. 218.

Imperium præfectorum militum, quantumcunque etiam sit, maxime tamen limitatum est.

Imperium præfectorum limitatum.

Cum enim imperium præfectorum militum & in magnum eorum numerum & vel totum exercitum exerceatur (§. 193. 194.); In genere vero vi ejusdem milites ad obedientiam obligentur (§. 216.): Facile apparet, illud magnum esse & vel maximum fere esse posse. Cum tamen illud ex commissione vel mandato auctoris belli saltem competat (§. 185.); Adeoque ab ejus voluntate dependeat, quantum imperii in quemque præfectum deferre velit: Si vel maximum fere imperium alicui delatum sit, illud tamen semper voluntati superioris convenienter exerceri debet. Imperium itaque militare auctoris belli majus semper manet eo, quod præfectis concessit. Quare cum limitatum dicatur, quo concipi potest majus (§. 825. *Ontol. WOLF.*): Elucet, quod imperium

præfectorum militum, quantumcunque etiam sit, limitatum tamen dici debeat.

§. 219.

quousque procedat, *Imperium præfectorum militum ultra ministerium belli non procedit.* Imperium enim militare, quod præfectis militum concessum est, in milites, qua tales, competit (§. 183.): Imperio itaque præfectorum militum subesse nequeunt, quam ea, ad quæ milites, qua tales, obligantur. Obligationes vero militum, qua talium, in eo consistunt, ut faciant, quæ ad bellum gerendum (§. 157.), adeoque vim hosti inferendam (§. 158.), ejusque vim arcendam seu repellendam necessaria sunt (§. 160.): Imperium itaque etiam præfectorum militum ultra has obligationes extendi nequit. Quare cum actiones omnes militum, quæ faciunt ad vim hosti inferendam & ejusdem arcendam, uno nomine ministerium belli vocentur (§. 162.): Imperium præfectorum militum ultra ministerium belli procedere nequit.

§. 220.

ex quo æstimandum sit. *Imperium præfectorum militum æstimandum est, vel ex voluntate auctoris belli sive superioris in civitate, mandato sive in jure militari expresse declarata, vel ex natura functionis demandatæ, aut officii in legibus descripti.*

Imperium enim in genere, adeoque & militare, jus est (§. *194. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*); Auctor vero belli, qui cum rectore civitatis sive superiore idem est (§. 10.), potestas summa (§. *368. Jur. gent. W.*), & præfecti militum potestates minores in bello sunt (§. *612. loc. cit.*). Quare cum jus potestatum minorum in bello æstimandum sit vel ex voluntate potestatis summæ sive mandato, sive in jure militari expresse declarata, vel ex natura functionis demandatæ, aut officii in legibus descripti (§. *771. l. c.*): Quod imperium præfectorum militum inde etiam æstimandum sit, absque opera intelligitur.

§. 221.

Milites ad mandata præfectorum obligantur. *Milites ad omnia obligantur, quæ ipsis a præfectis suis mandantur, modo ad ministerium belli pertineant, & nisi certo appareat, eadem obligationibus suis contraria esse.*

Milites enim imperio præfectorum subsunt (§. 212.): Adeoque ipsis ad obedientiam obligantur (§. 216.). Qui vero alteri ad obedientiam obligatur, promte facere debet, quod vult alter, qui jus imperandi habet

bet (§. 1164. *Part. 1. Jur. nat.* WOLF.): Milites itaque etiam promte facere tenentur, quæ fieri volunt præfecti eorum. Si quæ vero alicui ab altero mandantur, sive jubentur, significatur, quid alter ab illo fieri velit (§. 983. *Part. 1. Theol. nat. W.*): Milites itaque ad ea, quæ ipsis a præfectis suis mandantur, obligari, necesse est. *Q. e. 1.*

Obligatio hæc vero deducitur ex imperio præfectorum, cui milites subsunt (*per dem.*). Ad alia itaque extendi nequit, quam ad quæ imperium præfectorum sese extendit. Quare cum imperium præfectorum ultra ministerium belli non procedat (§. 219.): Nec ad alia obligantur milites, quæ ipsis a præfectis suis mandantur, quam quæ ad ministerium belli pertinent. *Q. e. 2.*

Milites porro primario reipublicæ sive superiori obligantur (§. 129.). Et quod etiam obligentur præfectis, id saltem inde est, quod superior præfectis militum imperium in eosdem exercendum commiserit (*per dem.* §. 216). Quare cum obligatio in necessitate quadam agendi consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Contrarium vero ejus, quod necessarium est, impossibile sit (§. 279. *Ontol. W.*): Impossibile est, moraliter nempe, ut milites agant, quod obligationibus suis, utpote quibus primario tenentur, contrarium est; Adeoque etiam, ut faciant ea, quæ ipsis a præfectis suis mandantur, si hæc obligationibus suis repugnent. Ad impossibile vero nemo obligari potest (§. 209. *Part. 1. loc. cit.*). Nec adeo milites etiam ad mandata præfectorum obligari possunt, si eadem obligationibus suis adversentur. *Q. e. 3.*

Cum vero milites in iis, quæ ad bellum gerendum faciunt, suum judicium sequi non possint, sed judicio auctoris belli adstricti sint (§. 174.): Neque ea, quæ ipsis a præfectis mandantur, dum hæc ministerium belli concernant (*dem. n. 2.*), judicio illorum committi possunt. Facile itaque apparet, dubium esse non debere, an ea, quæ ipsis mandantur, obligationibus suis, contraria sint, sed certo de eo constare, si ad eadem obligari non debeant. *Q. e. 4.*

Hinc etiam in articulis militaribus plerisque, ut & Hassiacis §. 10., obsequium militare ad res imperii militaris, *das Commando* sive *den Dienst*, restringitur. Levia tamen etiam extra ministerium belli militibus mandari posse conceditur Jure militari Brandenburgico §. 24. *tit. 4.*

Peculiarem *de mandatis ducum militarium* dissertationem inscripsit PET. MüLLER, quæ recusa prodiit Jenæ 1744.

§. 222.

ad ea, quæ præcipiuntur vel vetantur,

Cum ea, quæ mandantur, vel in faciendo, vel non faciendo consistere possint (*quod per se patet*); Ea vero, quæ mandantur, ut fiant, hoc est, jubentur ab eo, qui alterum obligare potest, præcipi (§. *984. Part. 1. Theol. nat. W.*), & quæ mandantur, ut non fiant, hoc est, vetantur ab eo, qui alterum obligare potest, prohiberi dicantur (§. *985. l. c.*): *Milites tam ad ea, quæ ipsis a præfectis suis præcipiuntur, facienda, quam ad ea, quæ vetantur, non facienda obligantur.*

Cum jussus in genere sit significatio voluntatis suæ de eo, quod ab altero fieri debet (§. 983. *loc. cit.*); Jussus ejus vero, qui habet jus alterum obligandi, præceptum dicatur (§. 984 *l. c*); Mandatum autem hic supponat jus alterum obligandi (§. 221.); Adeoque si manderur, ut quid fiat, jubeatur quid ab eo, qui jus alterum obligandi habet: Facile apparet, mandatum de aliquo faciendo præceptum esse. Et contraria ratione. Cum vetatio sit significatio voluntatis de eo, quod ab altero fieri non debet (§. 985. *l. c.*); Et vetatio ejus, qui jus habet alterum obligandi, prohibitio dicatur (*ibid.*): Si mandetur, ut quid fieri non debeat, illud prohiberi, similiter intelligitur. Mandatum itaque tam præceptum, quam prohibitionem comprehendit, & prout aliquid fieri vel non fieri debet, illud vel hæc est, ita ut definiri possit, quod sit jussus vel vetatio ejus, qui alterum obligandi jus habet. Hoc ideo monere opus duxi, quia mandati vocabulum in alio plane significatu sumi fuerit, pro illo nempe contractu benefico, quo alteri quid nostro nomine faciendum committitur, & ab eo gratis suscipitur (§. 640. *Part. 4 Jur. nat. W.*). Cum vero mandatorum denominatio in rebus militaribus usui conveniat, eaque simul tam jussa, quam vetata comprehendi possint: Illam & hic, ubi in jure militari versamur, retinendam, & curatius modo circumscribendam fuisse, opus visum fuit.

§. 223.

ad quid in casu dubio.

Si dubium sit, an ea, quæ a præfectis mandantur, ad ministerium belli pertineant, nec ne, nihilominus milites ad ea absque resistentia facienda obligantur.

Quodsi enim dubium sit, an ea, quæ a præfectis mandantur, ad ministerium belli pertineant: Militi illud cognosci non licet (§. *564. Log. WOLF.*). Ut vero illud cognosci possit, judicium ferendum esset (§. *39. l. c.*). Judicium vero eorum, quæ ad bellum adeoque & ministerium belli spectant, relinquendum est auctori belli (§. *783. Jur. gent. W.*); Adeoque & præfectis, per quos imperium militare exercet (§. 185.). Quoniam itaque horum imperio subsunt milites (§. 212.), & præsertim judicio illi adstricti (§. 174.): neque suum judicium sequi possint (*per dem. ibid.*): Apparet, quod milites in casu dubio, ea quæ ipsis a præ-

a præfectis suis mandantur, nihilominus absque resistentia facere obligentur.

§. 224.

Præfecti militum minores majoribus, & hi supremo, sive summo belli duci obedientiam præstare obligantur. *Præfecti ad obediendum obligantur.*

Præfecti enim militum minores imperio majorum (§. 201.); Majores vero etiam imperio ducis summi subsunt (§. 205.). Quare cum is, qui imperio alterius subest, ad obedientiam ipsi præstandam obligetur (§. 206. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Veritas asserti facile apparet.

Hanc obedientiam subordinatam sive subordinationem etiam præfectorum, uti mox vocabitur, indigitat *perill. L. B. de WOLF,* dum ait: Sunt igitur præfecti militum potestates minores, quorum alii aliis subjecti & a potestate summa longius remoti, alii vero eidem propiores pro diversitate juris, quo pollent; Duces autem excellenter dicti summis potestatibus proximi (§. 612. *Jur. gent.*). Præfectos vero militum in genere, & in specie etiam duces, auctori belli sive superiori ad obedientiam obligari, absque ulla difficultate intelligitur: Tam, quod omne jus suum ab illo habeant (§. 185.); Quam, quod & ipsimet milites sint (§. 186.); De his vero in genere demonstratum sit, quod ad obedientiam auctori belli sive superiori præstandam obligentur (§. 178.).

§. 225.

Obedientia militum in genere, quam præfectis suis præstare tenentur, *militaris* dicitur. Quæ adeo definiri poterit per promtitudinem actiones suas ad voluntatem præfectorum militum componendi, seu faciendi, quod jubent, & non faciendi, quod vetant præfecti militum (§. 205. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*). *Obedientiæ militaris definitio.*

§. 226.

Obedientia militaris ultra ea, quæ ad ministerium belli pertinent, non procedit. *quousque procedat.*

Obedientia enim militaris, cum præfectis militum præstetur (§. 225.), in imperia illorum rationem suam habet (*dem.* §. 216.): Ulterius itaque extendi nequit, quam quousque imperium præfectorum procedit. Quare cum hoc ultra ministerium belli non procedat (§. 219.): Nec hæc ulterius extendi potest.

§. 227.

Obedientia militaris, quatenus ad illam milites gregarii præfectis vel infimis, hi aliis minoribus, minores majoribus, & ita porro, ad *Subordinationis definitio.*

 sum-

summum usque ducem perveniatur, obligantur, stilo militari *Subordinatio* vocatur.

Hæc subordinata militum & præfectorum eorundem obedientia adeo sancta habetur, ut maximum crimen committere censeatur, qui contra eandem impingit.

§. 228.

Obligatio ad eandem. Quare cum tam milites in genere præfectis suis vel infimis (§. 216.), quam præfecti minores majoribus ad summum usque ducem ad obedientiam præstandam obligentur (§. 224.): *Milites eorumque præfecti ad subordinationem obligantur.*

§. 229.

Imperii militaris ordinarii & extraordinarii definitio. *Imperium militare*, quod præfectis in milites illius classis, cui specialiter præsunt, competit, *ordinarium;* Quod vero illis in milites alterius classis, cui specialiter non præsunt, extra ordinem committitur, *extraordinarium* dicitur.

Sic centurioni v. gr. imperium in milites manipuli ejus, cui præest, non vero milites alterius manipuli, cui alius præest, competit. In priores itaque imperium ejus ordinarium est. Quodsi autem in posteriores illud etiam ipsi competere debeat: Illud extra ordinem committendum, adeoque in eo casu extraordinarium est. Fieri autem illud posse, dubio caret. Conveniens enim judicari potest, ut ad expeditionem quandam faciendam non omnes milites unius manipuli, sive cohortis adhibeantur, sed potius ex singulis manipulis vel cohortibus certus modo numerus delegetur. Hi vero unius imperio subesse necesse est, cujus gradus seu qualitas pro numero eorum, qui delegantur, determinantur. Fieri itaque potest, ut imperio centurionis si e tribuni milites alius cujusdam manipuli sive cohortis committi necesse sit, quam cui ordinario præsunt. Judicium vero de necessitate eorum, quæ ad bellum gerendum faciunt, auctori ejusdem, adeoque & duci summo, competit (§. 783. *Jur. gent. WOLF.*). Actu etiam id fieri, satis constat. Circa milites enim ad excubias quotidianas delegandos, vel obtinet, ut ex singulis saltem manipulis aut cohortibus, qui præsidium alicujus loci efficiunt, tot sumantur, quot sufficiunt ad numerum illum explendum, qui excubationibus illius loci par est, iisque præfecti alterius cohortis vel manipuli cohortis præficiantur. Quod & circa milites diversarum gentium fieri obtinuit, si unum exercitum constituant.

§. 230.

Imperio extraordinario etiam obediendum. *Milites iis præfectis etiam obedire obligantur, quibus imperium saltem extraordinarium in eosdem, alias vero proprie nullum competit.*

Imperium enim extraordinarium dicitur, quod alicui committitur in eos, qui alias imperio ipsius proprie non subsunt (§. 229.). In hoc casu

caſu itaque præfectis in milites imperium commiſſum eſſe ſupponitur, in quos alias ipſis nullum competit (*per hyp.*); Et hoc fieri poſſe, dubio caret (*ſchol.* §. *cit.*). Quare cum imperium in altero, in quem illud competit, obedientiam operetur (§. 178.): Facile apparet, quod ſi præfectis imperium etiam extra ordinem ſaltem committatur, milites ad eisdem æque obediendum obligari.

Cum præfecti ipſimet milites ſint (§. 186.): Ea, quæ de his in genere demonſtrantur, ad illos etiam applicari poſſunt. Hinc per ſe intelligitur, quod ſi & præfecti quidam minores imperio cujusdam majoris, cui alias ſubjecti proprie non ſunt, committantur, v. gr. centuriones tribuno cohortis alius, quam cui adſcripti ſunt: Ipſos etiam ad obediendum eidem teneri.

§. 231.

Cum in bello vis debeat inferri (§. 1.); Solo corpore aut membris ejusdem vero non tam facile vis inferri poſſit (*per exper.*): Ad vim inferendam vel etiam illatam repellendam opus eſt aliis rebus, quibus id fieri queat. Omnes illæ res, quibus ad vim alteri inferendam, aut eandem a nobis avertendam, vel adverſus eam nos tuendum utimur, *Arma* dicuntur (§. 611. *Jur. gent. WOLF.*). *Armorum definitio.*

Quænam ad arma referenda ſint, prolixius recenſetur in ſcholio ad §. *cit.*

§. 232.

Milites armis inſtructi eſſe & ipſorum uſum callere, ſive habitum ipſis utendi habere debent. *Milites iis inſtruendi ſunt.*

Per milites enim hoſti vis inferri (§. 15.), ſeu vis ejusdem arceri debet (§. 160.). Ad vim inferendam & repellendam vero opus eſt aliis rebus, quam corpore (*per dem.* §. 231.). Quare cum omnes eæ res arma dicantur (§. *cit*): Facile evincitur, quod milites armis inſtructi eſſe debeant. *Q. e. 1.*

Armis vero ad vim inferendam & arcendam utimur (§. *cit.*). Qui igitur vim inferre voluerit, quomodo armis utendum ſit, ſcire debet; Et cum vis bellica non, niſi in uſu armorum conſiſtat (§. 784. *Jur. gent. W.*): Habitum ipſis utendi habere debet. Cum itaque milites vim inferre & repellere teneantur (*dem. n. 1.*): Uſum armorum etiam calleant, & habitum iis utendi habeant, neceſſe eſt. *Q. e. 2.*

§. 233.

Cum habitus non niſi exercitio acquiratur (§. 430. *Pſych. Emp. W.*): Ad uſum armorum addiſcendum, exercitiis etiam opus eſſe, absque re intel- *Exercitiorum militarium definitio.*

intelligitur. *Exercitia* itaque illa, quibus usus armorum militibus necessarius addiscitur, *militaria* vocantur.

§. 234.

Ad ea obligantur milites.

Quare cum milites usum armorum callere, adeoque eundem addiscere, sive habitum ipsis utendi acquirere debeant (§. 232.): *Milites ad exercitia militaria obligantur.*

Quotidianum itaque exercitium armorum etiam jure civili a militibus exigitur, quo ad bellum se præparent (*l.* 15. *Cod. de Re militari.*).

§. 235.

Actuum & operationum bellicorum, ut & hostilitatum definitio.

Quæcunque contra hostem belli causa aguntur, *actus bellici;* Actus bellici vero, quibus hosti vel vis infertur, vel ad vim eidem inferendam aut arcendam vim ejusdem via sternitur, *Operationes bellicæ;* Operationes bellicæ vero, quibus hosti vel rebus ejus vis actu infertur, *Hostilitates* appellantur (§. 785. *Jur. gent. W.*).

§. 236.

Ad eos milites obligantur.

Quare milites ad omnia, quæ ad bellum gerendum (§. 157.), vim hosti inferendam (§. 158.) & vim ejusdem arcendam faciunt (§. 160.), obligentur: *Milites etiam ad actus bellicos committendos, operationes bellicas & hostilitates suscipiendas obligantur.*

§. 237.

Expeditionis bellicæ def.

Actualis belli illatio *Expeditio bellica* vocatur.

§. 238.

Milites obligantur ad eas,

Quare cum *milites* ad bellum actu inferendum obligentur (§. 157.): *Ad expeditiones bellicas* etiam *suscipiendas obligantur.*

§. 239.

ut & ad prælia & obsidiones.

Milites ad prælia cum hoste committenda & obsidiones munimentorum suscipiendas obligantur.

Milites enim ad omnia, quæ ad bellum gerendum (§. 157.) & vim hosti inferendam necessaria sunt (§. 158.), in specie vero etiam ad pugnandum cum hoste (§. 159.), obligantur. Pugna vero cum hoste proelium vocatur (*per def.*). Quare cum tam proelia, quam obsidiones munimentorum in bello necessaria esse possint (*per hyp. & exper.*): Patet, quod etiam milites ad eadem obligentur.

§. 240.

§. 240.

Milites vitæ & membrorum periculum subire obligantur, si vis hosti inferenda vel ejusdem arcenda illud requirat. *ad vitæ & membrorum periculum subeundum,*

Milites enim ad omnia obligantur, quæ ad vim hosti inferendam (§. 158.), ejusque arcendam (§. 160.) necessaria sunt, adeoque & ad proelia cum hoste committenda (§. 239.). Cum vero nec proelia committi, nec vis hosti inferri, aut eadem arceri semper possit, nisi periculum vitæ & membrorum subeatur: Ad vim hosti inferendam aut ejus arcendam necesse est, ut milites periculum hoc subeant. Milites itaque ad illud obligari, intelligitur.

Cum homines ipso jure naturæ obligentur, vitare, quantum in potestate eorum est, periculum vitæ (§. 371. *Part.* 1. *Jur. nat. WOLF.*), & membrorum corporis (§. 373. l. c.); Neque ullus homo sit dominus corporis sui vel ullius organi (§. 375. l. c.): Facile videri posset, quasi obligatio hæc militaris repugnet naturali. Quod tamen fieri nequit (§. 126.). Cum vero hic supponatur, ad militiam quem obligari vel invitum, naturaliter scilicet (§. 40), vel volentem obligare se posse (§ 38.): Supposita hac ad militiam obligatione, illam etiam admitti debere, dubium esse nequit. Obligatio enim ad finem, uti jus dat, ita etiam obligat ad media, sine quibus fine illo potiri non datur (§. 46. *Instit. Jur. nat. W.*). Accedit præterea, quod in subditis obligatio ad militiam necessaria esse possit (§. 749. *Jur. gent. W.*): Adeoque hoc casu supposito, in potestate eorum non sit, illam, nec adeo periculum illud vitandi; Ad quam tamen determinationem obligatio naturalis restringitur. Quousque vero quis sponte militiam eligere, adeoque lubens periculo huic se submittere possit, hujus loci non est decidere, ubi non de conscientia, sed de jure saltem externo agitur.

§. 241.

Milites itaque præcipue fortes esse debent.

Milites enim ad bellum destinati sunt (§. 14.); Adeoque ad vim hosti inferendam (§. 158.), pugnandum cum eo (§. 159.), vim ejus arcendam (§. 160.), proelia cum ipso committenda & obsidiones suscipiendas (§. 239.), imo ad vitæ & membrorum periculum subeundum obligantur (§. 240.). Quare cum hæc omnia cum periculo maximo, utpote ipsam vitam, vel corporis integritatem amittendi, connexa sint: Metu hujus periculi adduci sese minime pati debent, quo minus faciant, ad quod obligantur, vel faciant, quod facere non debent. Qui vero metu periculi imminentis sese adduci minime patitur, ut faciat, quod non facere debebat, vel non faciat, quod debebat facere, fortis dicitur (§. 600. *Part* 1. *Jur. nat. WOLF.*). Licet itaque in genere quilibet ho- *fortes sint,*

mo fortis esse debeat (§. 601. l. c.); Milites tamen præcipue fortes esse debere, in specie apparet.

Hinc etiam species fortitudinis datur, quæ *fortitudo bellica* dicitur, & definitur per virtutem, qua moderatur metus ob periculum in certamine, aut aliis operationibus bellicis imminens, ne eodem impediatur miles, quo minus functiones suas intrepide subeat (§. 600. *cit.*). Fortitudo tamen hæc probe distinguenda est ab audacia, quæ vitium potius est, & in eo consistit, si quis nulla obligatione urgente pericula quævis subit, veluti vitæ ac integritatis membrorum corporis amittendæ (§. 604. *l. c.*). Cavendum itaque est militi, ne fortitudo ejus, ad quam obligatur, in audaciam degeneret.

Simili etiam ratione apparet, quod militibus motivum speciale accedat, probitati & pietati studendi: Cum ad tales actiones suscipiendas obligentur, cum quibus vitæ periculum præsentissimum connectitur. Ex hypothesi enim Christianorum, firmissimis principiis suffulta & probata, vita amissa amittuntur etiam media a DEO benigniter indulta, ad salutem æternam perveniendi. Spes vero salutis æternæ absque vera pietate, qualis præsertim a Christiano requiritur, non datur. Apparet itaque, quantum intersit, uti cujusvis in genere, ita præsertim militis, ut semper in eo statu sit, quo spe vitæ æternæ nanciscendæ gaudere possit, & ut adeo veræ pietati potissimum studeat. Quod quidem, licet hujus loci non sit, sed ad Ethicam militum potius pertineat, propter rei pondus in transitu quasi non monere non potui. Præsertim cum & ipsis legibus positivis militibus studium veræ pietatis soleat inculcari. Uti illud ab initio articulorum militarium Hassiacarum statim sapientissime sancitum legimus.

§. 242.

Timiditas contra *militibus & obligationibus militaribus maxime repugnat.*

non timidi.

Timiditas enim illud vitium est, quo metu levissimi cujusvis periculi nos abduci patimur, ad faciendum, quod facere non debebamus, & ad non faciendum, quod debebamus (§. 602. *loc. cit.*). In necessitate vero morali agendi & non agendi necessitas consistit (§. 118. *Part. 1. Phil pract. univ. W.*). Timiditas itaque impedit, quo minus quis obligationibus suis satisfaciat, si eædem cum periculo quodam connexæ sunt. Milites vero gravissima pericula in præstatione obligationum suarum subire (*dem.* §. 241.); Adeoque fortes esse debent (§. *cit.*); Hoc est, metu periculorum minime se abduci pati, quo minus obligationibus suis satisfaciant. Milites itaque timidi esse nequeunt, si obligationes suas explere velint; Neque adeo timiditas cum obligationibus eorum subsistere, nec militibus salvis eorum attributis convenire potest. Quare cum ea, quæ salvis attributis subjecto convenire nequeunt, repugnare

re eidem dicantur (§. *310. Log. WOLF.*); Patet, quod uti in genere nemo hominum timidus esse debeat (§. *603. Part. 1. Jur. nat. W.*), ita in specie militibus & obligationibus militaribus timiditas maxime repugnat.

§. 243.

Quare cum id, quod disconvenit cuidam eorum, quæ homini insunt, vel inesse debent, illum dedeceat (§. *195. loc. cit.*): *Timiditas militem maxime dedecet.* *Quod dedecet militem.*

Hæc quidem ad Ethicam potius, quam ad Jus militare spectare, videri posset. Cum vero eadem principia præbeant alia demonstrandi, quæ circa milites conveniunt, præsertim quoad pœnas determinandas: Iis supersedere non potui. Absit vero timidum reputari, qui audax non est, hoc est, qui nulla urgente necessitate sive obligatione pericula quævis subit: Et multo minus, qui repugnante obligatione, pericula vitæ & membrorum sponte subire detrectat. Quare cum duella tam jure naturali, quod divinum est, quam positivo plerumque vetentur; Adeoque is, qui sponte duellum suscipit, obligationi suæ naturali æque, ac positivæ adversetur: Dici nequit, quod is, qui duellum sibi delatum recusat, timidus sit. Id quod etiam legibus duellorum prohibitivis expresse solet declarari. Sic in Edicto Hassiaco de Ao. 1684. continetur, quod recusatio duelli famæ præjudicium afferre non debeat, nec quis propterea pro pusillanimo & timido habendus sit, sed potius honorem & laudem mereatur.

§. 244.

Inquirere, quonam in statu sint res hostium, & quidnam in nos moliatur, si manu armata illud fiat, stilo militari, *Recognoscere;* Si vero per insidias, *Explorare hostem* dicitur. *Recognoscere & explorare hostem, quid?*

§. 245.

Milites ad recognoscendum hostem obligantur.

Per recognitionem enim hostis inquiritur, in quonam statu res ejusdem sint, & quidnam in nos moliatur (§. 244.). Facit itaque ad melius vim ipsi inferendam, vel ejusdem arcendam. Et cum illa vi fiat (*l. c.*): eadem actus bellicus est. Quare cum actus bellici, quibus ad vim inferendam, aut arcendam via sternitur, operationes bellicæ dicantur (§. 235.): Recognitio hostis operationibus bellicis accensenda est. Cum itaque ad has milites obligentur (§. 236.): Obligatio etiam eorum ad hostem recognoscendum in propatulo est.

Cum recognitio hostis, quæ proprie dicitur, & ad quam milites obligantur, operatio bellica, adeoque & actus bellicus sit (§. 235.); qui belli scilicet causa suscipitur (*ib.*); Bellum autem illationem vis involvat (§. 1.);

1.); Recognitio illa etiam ab instructis ad vim inferendam, hoc est, manu armata fieri debet. Quod ideo monendum est, quia ad explorandum hostem non eadem obligatio apparet.

§. 246.

Exploratorum definitio. Personæ clam missæ ad hostem, ut per insidias inquirant, quonam in statu sint res ejusdem, & quidnam in nos moliatur, *Exploratores* dicuntur.

L. B. de WOLF in eorum definitione (§. 883. *Jur. gent.*) non addit, quod *clam* mittantur, & *per insidias* inquirere debeant. Cum vero hoc modo non distinguantur ab iis, qui ad recognoscendum mittuntur; Id quod manu armata fit (*per hyp. & exp.*): Has determinationes addere necessarium visum fuit.

§. 247.

Milites esse non obligantur. *Ad explorandum hostem, sive exploratores agendum, nulla apparet militum obligatio.*

Milites equidem ad omnia obligantur, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt (§. 15·.(. Quare cum ad bellum opus sit, ut sciamus, in quo statu sint res hostis, & quid in nos moliatur (*per hyp.*); In hoc vero per insidias magis, quam manu armata inquirere liceat; Adeoque exploratio recognitioni præferri sæpius debeat: Videri posset, milites etiam ad illam æque, atque hanc obligari. Cum vero militum destinatio tendat ad vim inferendam (§. 15.); Exploratio vero, quæ fit per insidias, æque & melius sæpe, ab alio peragi possit, quam a milite (*per exper.*): Militem, qua talem, ad exploratorem agendum obligari, dici nequit. Neque adeo ulla apparet obligatio militum, qua talium scilicet, ad explorandum hostem, sive exploratores agendos.

Cum ad exploratorem singulare ingenium & astutia requiratur: Nec quilibet ad eundem agendum aptus est. Quodsi itaque talis inveniatur, qui præ aliis idoneus videretur: Quæri possit, annon eundem, qua subditum, obligatio teneat, negotio huic, admodum periculoso sese submittendi. Cum vero hic non de obligationibus subditorum, sed militum saltem, qua talium, agamus; Merito decisionem ejus quæstionis ad jus civium naturale remittimus.

§. 248.

Obligantur ad internecionem hostium. *Milites ad internecionem hostium obligantur, si eadem necessaria sit.*

Milites enim ad omnia ea obligantur, quæ ad vim hosti inferendam (§. 158), ejusque vim arcendam necessaria sunt (§. 160.). Quare cum in prœliis & obsidionibus sine hostium internecione vis inferri nequeat (*per exp.*); Adeoque ad vim hosti inferendam aut ejus arcendam interne-

ternecio aggredientium, vel resistentium necessaria esse possit: Milites etiam ad eandem teneri, necesse est.

Quod internecio hostium, quemadmodum aggressoris injusti in genere (§. 1013. *Part.* 1. *Jur. nat W.*), in bello liceat, extra dubitationis aleam ponitur (§. 781. *& seqq. Jur. gent. W.*): Licet eadem determinationibus certis adstricta sit. § 792. *l. c.*), Quæ ideo etiam semper observandæ sunt. Sufficit, hic saltem ostendi, quod milites, determinationibus reliquis suppositis, ad internecionem hostium obligentur. Officia etiam naturalia hic minime removentur. Licet enim in bello multa impune fieri soleant: Non ideo tamen salva conscientia fiunt. Sic ex. gr. captos in bello (§. 794. l. c.), sine conditione deditos (§. 797.), vitam salvam paciscentes, & arma deponentes interficere non licet (§. 798. *ib.*).

§. 249.

Milites auctorem belli, vel rempublicam sive ejusdem rectorem, contra vim hostium defendere obligantur. *ad defensionem auctoris belli,*

Cum enim inter auctorem belli (§. 9.) & hostem bellum geratur (§. 11.): Hostis æque vim, adeoque læsionem, inferre intendit auctori belli (§. 4.), qui respublica sive rector ejusdem est (§. 10.). Actio vero, qua resistitur ei, qui læsionem intentat, defensio dicitur (§. 972. *Part.* 1. *Jur. nat. W.*). Quare cum milites ad resistendum hosti obligentur (§. 161.): Ad defensionem auctoris belli, vel reip. sive ejus rectoris tenentur contra vim hostis.

§. 250.

Cum vero vis ab hoste non immediate personæ auctoris belli, sed subditis sive rebus ejus intentari soleat (*per exper.*): *Milites* etiam *subditos & res auctoris belli contra vim hostium defendere obligantur.* *& subditorum vel rerum ejus.*

§. 251.

Milites, qui munimento vel urbi ad ejus defensionem imponuntur, *præsidiarii*, & in universum sumti, *Præsidium* appellantur. *Præsidii definitio.*

§. 252.

Milites ad præsidia agenda obligantur.

Milites enim ad vim hostis arcendam, & omnia, quæ ideo necessaria sunt, obligantur (§. 160.). Munimenta vero ad vim hostium arcendam a regione aliqua, & ingressum in illam impediendum exstruuntur: Cum in iis pauci pluribus resistere queant (*per exp.*). Milites itaque ipsis imponantur necesse est. Qui cum præsidia agere dicantur (§. 251.): Patet, quod milites ad præsidia agenda obligentur. *Milites obligantur ad præsidia.*

§. 253.

ad urbem obsessam defendendam.

Milites urbem obsessam defendere, adeoque omnia facere obligantur, quæ ad ejus defensionem necessaria sunt.

Dum enim urbs obsidetur, hostis eam expugnare, adeoque vim inferre intendit (*Quod per se patet*). Milites vero ad vim hostis arcendam, & omnia, quæ ideo necessaria sunt, obligantur (§. 160.). Quare cum actio, qua resistitur ei, qui læsionem intentat, defensio dicatur (§. 972. *Part. I. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod milites ad defensionem urbis obsessæ obligentur. *Q. e. 1.*

Cum vero urbs obsessa defendi nequeat, nisi fiant ea, quæ ad ejus defensionem necessaria sunt (§. 279. *Ontol. W.*); Milites vero ad defendendam urbem obsessam obligentur (*dem. n. 1.*): Milites etiam ad omnia obligari, quæ defensionis gratia necessaria sunt, necesse est. *Q. e. 2.*

Ut hæc omnia enumerentur & demonstrentur, quæ defensionis ergo necessaria sunt, opus non erit. De genere enim demonstrata valebunt etiam de speciebus sub eodem comprehensis (§. 235. *Log. W.*). Peculiarem *de Obsequio militum in defendendo præsidio* dissertationem conscripsit Halæ 1701. HENR. BODINUS, quæ ibi recusa fuit 1739.

§. 254.

Militum regularium & irregularium definitio.

Milites, qui expeditionibus bellicis destinati sunt, *regulares*; Qui vero defensioni modo urbis vel totius alicujus provinciæ destinantur, *irregulares* dicuntur.

Non impedit, quo minus etiam milites regulares ad defensionem urbis vel provinciæ adhibeantur. Sufficit, quod ad eandem non proprie destinentur, sed potius ad obviam eundum hosti.

§. 255.

Militum præsidiariorum & provincialium definitio.

Milites irregulares, qui præsidiis perpetuis destinantur, *præsidiarii* sive *defensionarii*; Subditi vero, qui defensioni patriæ sive provinciæ cujusdam in casu necessitatis destinati sunt, *Milites provinciales* dicuntur.

Milites quidem in genere, qui urbi ad ejus defensionem imponuntur, præsidiarii vocari solent (§. 251.). Proprie tamen hæc denominatio illis convenit, qui præsidiis perpetuis destinantur. Et si milites regulares etiam urbi defendendæ imponantur, illi potius saltem præsidia agere dicuntur (§. 252.).

Facile vero patet, obligationes militum tam præsidiariorum, quam provincialium ultra finem, cui destinantur, non procedere.

§. 256.

§. 256.

Milites provinciales in universum sumti, *Militia provincialis* dicuntur. Ita ut sit ea, quæ defensioni patriæ sive provinciæ cujusdam in casu necessitatis destinatur. *Militia provincialis definitio.*

Militia hic in alio significatu sumitur, quam eandem §. 83. definivimus, per statum nempe, quem milites, qua tales, sortiuntur. Suevit vero, ut milites etiam universim sumti, militia vocentur, & ut militia lecta, militia conductitia, dicatur. Præprimis vero hæc denominatio in militia provinciali occurrit. Licet itaque verbis determinata significatio tribuenda sit: Usui tamen loquendi in eo indulgere absonum visum non fuit. In casibus enim obviis absque opera intelligitur, in quonam sensu vocabulum illud sumendum sit.

§. 257.

Militia provincialis legi potest. *Illa legi potest,*

Subditi enim ad militiam in casu necessitatis obligantur (§. 749. *Jur. gent. IV.*); Adeoque in casu necessitatis milites legi possunt (§. 25.). Quare cum militia provincialis ad defensionem patriæ in casu necessitatis constituatur (§. 256.): Patet, quod illa legi possit.

Hinc etiam plerumque dici solet *militia lecta provincialis.* De qua peculiarem dissertationem scripsit JO. SAM. STRYCK, Halæ 1705., quæ recusa prodiit Vitebergæ 1735.

§. 258.

Militia provincialis ad servitia militaria continua non adhibetur. *ad servitia continua non adhibetur,*

Militia enim provincialis ad defensionem saltem patriæ in casu necessitatis destinata est (§. 256.). Adeoque in hoc casu saltem, defensionis nempe patriæ necessariæ militat, sive ad servitia militaria adhibetur. Quare cum hic casus non continuo existat, sed potius frequens adeo non sit (*per exp.*): Facile patet, quod eadem servitia continuo non præstet.

§. 259.

Milites provinciales ad milites referendi non sunt, nisi quatenus ad servitia militaria adhibentur. *quatenus ad milites referenda,*

Milites enim provinciales subditi sunt in casu saltem necessitatis ad militiam destinati (§. 255.); Neque adeo ad servitia militaria continua adhibentur (§. 258.). Quare cum milites non dicantur, nisi quatenus ad bellum gerendum, adeoque servitia militaria præstanda (§. 181.), adhibentur, vel destinantur (§. 14.): Patet, quod milites provinciales ad milites referendi non sint, nisi quatenus servitia militaria præstant.

§. 260.

§. 260.

& obligationibus militaribus teneantur.

Milites provinciales, si ad servitia militaria actu adhibentur, ad eadem obligantur, ad quæ milites in genere.

Milites enim provinciales, si servitia militaria actu præstent, ad milites referendi sunt (§. 259). Quare cum militibus certæ obligationes, quæ militares dicuntur (§. 120.), incumbant, quas in præsenti deducimus; De specie vero valeant, quæ de genere (§. *235. Log. W.*): Milites provinciales, si actu ad servitia militaria præstanda adhibeantur, iisdem obligationibus teneri, quibus in genere milites, facile patet.

§. 261.

ministerium belli scire debent,

Milites etiam provinciales ministerium belli addiscere, eique assuefieri debent.

Milites enim provinciales ad defensionem patriæ in casu necessitatis destinati sunt (§. 265.). Cum itaque defensio in eo consistat, ut resistatur ei, qui læsionem intentat (§. *972. Part. 1. Jur. nat. W.*); Quod hic ab hoste fieri supponitur (*per hypoth*): Milites provinciales ad resistendum hosti, & cum resistendo vis alicujus arceatur (*dem.* §. *161.*), ad vim hostis arcendam adhibentur. Dum vero vis alicujus arcetur, ipsi simul vis infertur (*dem.* §. *160*). Milites itaque provinciales tam ad vim hosti inferendam, quam ejus arcendam adhibentur. Actiones vero, quæ faciunt ad vim hosti inferendam & ejusdem arcendam ministerium belli dicuntur (§. 162.): Milites itaque provinciales ministerium belli callere debent. Quare cum ad hoc opus sit, ut illud addiscatur, adeoque eidem adsuefcatur (*dem.* §. *164.*): Milites etiam provinciales eo tenentur.

Ex generali equidem obligatione militum provincialium §. 260. demonstrata specialis hæc statim deduci posset. Cum enim illi, si ad servitia actu adhibentur, iisdem obligationibus teneantur, qua milites in genere (§. *cit*); Præstatio vero servitiorum in ipso ministerio belli consistat (§. 181.): Ad ministerium quoque belli obligantur, dum servitia militaria præstant Quare cum propterea milites in genere ad illud addiscendum & eidem assuescendum teneantur (§. 164.): Hoc etiam de provincialibus patet. Majoris tamen perspicuitatis gratia peculiariter obligationem eorundem demonstrare opus visum fuit.

§. 262.

& usum armorum.

Milites provinciales usum armorum callere, adeoque exercitia militaria facere, sive in armis exerceri debent.

Milites enim provinciales ad ministerium belli obligantur (§ 261.); Ministerium belli vero actiones eas comprehendit, quibus vis infertur vel

vel repellitur (§. 162.). Vim itaque inferre & illatam repellere posse debent. Quare cum armis vis inferatur aut repellatur (§. 231.); Vim inferre aut repellere non poterunt, nisi armis uti sciant. Patet itaque, quod milites provinciales usum armorum callere debeant. *Q. e. 1.*

Cum vero usus armorum per exercitia militaria addiscatur (§. 233.): Aeque elucet, eosdem exercitia militaria facere sive in armis exerceri debere. *Q. e. 2.*

§. 263.

Convenit, ut militibus provincialibus tales interdum actiones mandentur, quæ vis alicujus illationem requirunt. *Quinam actus ipsis conveniant.*

Milites enim provinciales ministerio belli assuefieri debent (§. 261.); Hoc vero illationem & repulsionem vis requirit (§. 162.). Habitum itaque consequantur vim inferendi & repellendi, opus est. Quare cum habitus non acquiratur nisi exercitio (§. 430. *Psych. emp. WOLF.*): Convenit, ut ipsis tales interdum actiones mandentur, quæ vim quandam inferendam aut repellendam etiam requirunt.

Tales sunt ex. gr. exactio tributorum, captio delinquentium, ductio & custodia captivorum, sedatio tumultuum, & id genus alia. Ad quas etiam si copia militum regularium non adsit, provinciales adhiberi solent.

§. 264.

Milites ad omnia obligantur, quæ faciunt ad præcavendum, ne quid hostilis accidat, & ne auctori belli, subditis vel rebus ejusdem aliquid detrimenti eveniat. *Milites obligantur ad præcavendum hostilia.*

Hostile enim dicitur, quicquid ab hoste nobis infertur, vel intentatur (*per def.*). Cum itaque hostis bellum supponat (§. 11); Bello vero vis inferatur (§. 1.): Ad præcavendum, ne quid hostilis accidat, requiritur, ut vis hostis arceatur. Quare cum milites obligentur ad omnia, quæ faciunt, ut vis hostis arceatur (§. 160.): Eosdem obligari ad ea, quæ ad præcavendum necessaria sunt, ne quid hostilis accidat, facile patet. *Q. e. 1.*

Actio, qua resistitur ei, qui læsionem intentat, defensio dicitur (§. 972. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*); Præcavere itaque, ne quid detrimenti alicui eveniat, ad defensionem ejus requiritur; Et qui ad hanc obligatur, etiam ad illud tenetur. Quare cum milites ad defensionem auctoris belli (§. 249.), ut & subditorum & rerum ejus obligentur (§. 250.): Eos etiam obligari necesse est ad præcavendum, ne his vel illi aliquid detrimenti eveniat. *Q. e. 2.*

§. 265.

Excubiarum & vigiliarum definitio. Si milites hic vel illic ponantur, ut observent, ne quid hostilis accidat, vel detrimenti eveniat, *excubare;* Et actio eorum *Excubiæ*, in specie autem, si noctu agantur, *Vigiliæ;* Milites vero, qui eos agunt, *Excubitores* seu *stationarii* dicuntur.

De excubiis Dissertationem habuit ERN. JOH. FRID. MANZEL in academia Rostochiensi 1735. quæ vero de excubiis in genere, tam civilibus, quam militaribus agit.

§. 266.

ad eas milites obligantur. *Milites ad excubias & vigilias agendas obligantur.*

Milites enim obligantur ad præcavendum, ne quid hostilis accidat, & ne auctori belli, & subditis vel rebus ejus ullum detrimentum eveniat (§. 264.). Quare cum observare, ne quid tale accidat vel eveniat, excubias vel vigilias agere dicatur (§. 263.): Facile intelligitur, quod milites ad excubias & vigilias agendas obligentur.

§. 267.

Stationis definitio. Locus, quo miles ad excubias agendas ponitur, *Statio* dicitur.

Statio quidem a STEPH. WAGA in Comment. de *Restitutione famæ per vexillum* distinguitur ab excubatione; Et per illam indicari videtur locus, quo tota militum universitas ad excubias delegata commoratur; Excubatio vero præsertim locum denotet, quo unus vel alter in specie ponitur, alio vicem ejus postea subeunte (§ 10. *p. m.* 47.): Auctoritatem sibi conciliare studet *l.* 3. *§.* 5. *&* 6. *ff. de Re milit.* Mihi autem in d. LL. vocabula hæc pro synonymis sumi videntur. Quod vero gravius puniendus dicatur, qui hanc, quam qui illam, stationem nempe, relinquit, id inde est, quod supponatur, militem ab excubatione præsidis vel præpositi cujusvis desistere. Quod gravius adeo reputatur, quam si a statione alibi discedat.

§. 268.

A statione recedere non licet. *Militi a statione recedere non licet, nisi alius vicem ejus subeat.*

Miles enim in statione positus excubias agit (§. 267.); Excubiæ vero aguntur ad observandum, ne quid hostilis accidat, vel detrimenti eveniat (§. 265.). Quod si itaque a statione recederet absque alio vicem ejus subeunte, observari illud nequit; Adeoque hostilis aliquid accidere aut detrimentum evenire posset. Cum vero miles ad illud præcavendum obligetur (§. 264): Facile apparet, quod militi a statione recedere non liceat, nisi alius vicem ejus subierit.

Hoc supponit, quod militibus ea licere nequeant, quæ obligationibus ipsorum contrariantur. Quod per se quidem intelligitur, & suo loco postea demonstrabitur.

§. 269.

§. 269.

Si cui cura committitur observandi, ne personæ quædam evadant, vel res quædam auferantur, aut detrimentum capiant, *custodire* illam, & ipse *Custos*; Actio vero ejusdem *Custodia* vocatur. *Custodiæ definitio.*

Cum hic supponatur interesse, ne personæ quæ evadant: Si hoc conveniat, detrimentum inde enasci facile intelligitur. Quare cum in genere, cura, ne quid detrimenti eveniat, excubiæ dicatur (§. 265.): Custodiæ species excubiarum sunt.

§. 270.

Milites itaque ad custodias agendas personarum & rerum, quarum interest, ne evadant, vel auferantur, obligantur. *Milites obligantur ad eas,*

Milites enim obligantur ad ea omnia, quæ faciunt ad præcavendum, ne detrimenti quid auctori belli eveniat (§. 264.). Quod cum fieri possit, si personæ evadant, aut res auferantur, quas servare ipsius interest (*quod per se patet*): Etiam ad hoc præcavendum obligari milites elucescit. Quare cum observare, ne illud fiat, custodias agere dicatur (§. 269): Milites ad custodias obligantur earum nempe personarum & rerum, quarum interest, ne evadant vel auferantur.

§. 271.

Milites ad excubias vel custodias constituti omnia facere debent, quæ vel ipsis expresse injunguntur, vel quæ necessitas aut finis, cujus gratia excubiæ aguntur, exigit. *& quæ earum gratia necessaria sunt.*

Milites enim ad ea, quæ ipsis mandantur, obligantur (§. 221.). Quodsi itaque vel excubiarum, aut custodiarum gratia ipsis aliquid mandetur (*per hyp.*): Ad illud etiam obligari, dubium esse nequit. *Q. e. 1.*

Cum vero excubiæ fieri nequeant, nisi etiam fiant ea, sine quibus finis, cujus gratia aguntur, obtineri nequit (§. *941. Ontol. WOLF.*); Ad excubias vero obligentur milites (§. 270.): Obligari etiam debent ad facienda ea, quæ necessitas aut finis exigit, cujus gratia excubias vel custodias agunt. *Q. e. 2.*

Plura officia militum excubantium recenset MANZEL loco §. 265. citato §. 25. & seqq. Quæ vero ex officio hoc generali absque opera deduci poterunt.

§. 272.

Miles in statione ad excubias vel in specie custodias agendas positus ibi eo usque manere debet, usque dum alius vicem ejus subeat, aut ipse discedere jubeatur, aut etiam vi cogatur. *Quousque in statione manere debeant.*

 Mili-

Milites enim tam ad excubias (§. 266.), quam in specie custodias agendas obligantur (§. 270.); Adeoque & omnia facienda, quæ earum gratia necessaria sunt (§. 271.). Cum vero finis excubiarum & custodiarum sit, ne hostilis quid accidat, & in genere, ne detrimentum ullum eveniat (§. 265. 269): Requiritur, ut non desit in excubiis vel custodiis, qui observet, ne tale quid eveniat. Deesset vero, si miles a statione recederet, nullo alio vicem ejus subeunte. Atque adeo patet, quod tamdiu manere debeat, usque dum alius vicem ejus suscipiat. *Q. e. 1.*

Quum vero miles ad obedientiam tam auctori belli (§. 178.) quam præfectis præstandam (§. 216.), adeoque & facienda, quæ præcipiuntur, obligetur (§. 222.): Eum a statione discedere posse, si jubeatur, facile intelligitur. *Q. e. 2.*

Et cum si vi cogatur discedere, supponatur, quod impossibile sit manere; Ad impossibile vero nemo obligari possit (§. *209. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Patet, quod si vi cogatur discedere, manere non possit. *Q. e. 3.*

§. 273.

Circuitionis definitio. Quoniam excubiæ & vigiliæ fiunt ad præcavendum, ne quid hostilis accidat (§. 265.), ut & custodiæ, ne quid detrimenti eveniat (§. 269.): Ex eorum neglectu maximum detrimentum evenire posset. Maxime itaque interest, easdem rite agi; Adeoque curandum est, ut hoc fiat. Milites hinc emitti solent ad videndum, an excubiæ, & præsertim vigiliæ, ut & custodiæ rite peragantur, qui easdem *circuire*, & ipsi *Circitores* aut *Circuitores* dicuntur. Universitas vero militum id simul agentium, *Cohors circulatoria*, & actio eorum *Circuitio* sive *Circulatio* dicitur.

Divisiones circuitionum dedit MANZEL in diss. *de Excubiis §. 32.*

§. 274.

Milites ad eas obligantur. *Milites ad excubias circumeundas & circulationes agendas obligantur.*

Ut enim excubiæ rite agantur, circuitiones necessariæ sunt (§. 273.). Quare cum milites omnia ea facere debeant, quæ excubiarum gratia necessaria sunt (§. 271.): Eos etiam ad easdem circumeundas sive circulationes faciendas obligari facile apparet.

Officia specialia in circumeundis excubiis observanda explicare hujus loci non est: Cum eadem a legibus positivis ut plurimum pendeant.

§. 275.

§. 275.

Milites ad servitia continuo parati, adeoque quovis tempore præsto esse debent. *continuo præsto sint,*

Actus enim militares celerrimæ expeditionis esse, satis constat (*per exper.*). Fieri itaque potest, ut quocunque tempore & vel maxime inopinato militibus opus sit. Militum vero usus tunc non daretur, si ad servitia parati & præsto non essent. Quia itaque milites ad omnia, quæ belli causa necessaria sunt (§. 157.), & omnes actus bellicos obligantur (§. 236.); Servitia militaria vero idem significent (§. 18.): Patet, quod ad servitia continuo parati & quoque tempore præsto esse debeant.

Hoc stilo romano *signis jugiter inhærere* dicitur (*l.* 31. *Cod. de Locato*).

§. 276.

Milites a loco commorandi gratia ipsis assignato absque permissione præfectorum abesse & alibi discedere nequeunt. *a loco assignato discedere nequeunt.*

Si enim milites a loco ipsis assignato abessent & alibi divergerentur: Commoratio eorum incerta evaderet; Neque illi ad servitia militaria parati, aut præsto essent. Cum vero ad hoc obligentur (§. 275.); Adeoque moraliter necessarium sit, ut illud faciant (§. 118. *Part.* 1. *Phil. pract. univ. WOLF.*): Impossibile est, moraliter nempe, ut contrarium agant (§. 279. *Ontol. W.*), adeoque ut absint & alibi discedant. *Q. e.* 1.

Cum vero actiones eorum a præfectis ipsorum pendeant, vi imperii, cui subsunt (§. 185.): Quin præfecti illud militibus pro modo potestatis suæ permittere possint, dubitari nequit. Patet itaque, quod absque permissione saltem præfectorum milites a loco ipsis assignato abesse & alibi discedere nequeant. *Q. e.* 2.

Hoc vel ipso jure civili ad tribunos extenditur (*l.* 11. *Cod. de Re milit.*). Et per se intelligitur, quod nec præfecti absque permissione eorum, quorum imperio subsunt, aut ipsius auctoris belli sive superioris a mansionibus suis, uti d. l. locus assignatus vocatur, discedere possint.

§. 277.

Cum permissio militi data a loco commorationis assignato, sive mansione sua alibi discedendi & commorandi, vocabulo sive stilo militari *Venia* dicatur (*per def.*): *Milites absque venia impetrata a mansione sua alibi discedere nequeunt* (§. 276.). *Veniæ definitio.*

§. 278.

Literæ, quæ militi in testimonium veniæ impetratæ dari solent, sive literæ veniæ testes, stilo militari *Commeatus* dicuntur. *Commeatus definitio.*

Vocabulum commeatus quidem etiam tam pro annona militari, quam pro salvo conductu sumitur. Cum vero aliud vocabulum invenire non licuerit, quo literæ veniæ testes indigitentur: Has eo denominare non dubitavi, cum illud in legibus vel pro ipsa venia accipiatur, uti §. 7. *l.* 3. *ff. de Re militari.*

§. 279.

ad quid obligentur, si hostis adsit, *Si bellum actu geratur, adeoque hostis adsit, & ejus invasio metuenda sit, milites continuo invigilare & quovis momento parati esse debent ad vim hostis arcendam.*

Si enim hostis adsit & ejus invasio immineat, hostile quid facile contingere posset, nisi continuo invigiletur, & omnia parata sint, ad vim ejus, quam inferre contenderet, arcendam. Quod per se patet. Ut itaque hoc fiat, necessarium est. Quare cum milites ad omnia obligentur, quæ belli causa necessaria sunt (§. 157.) & in specie ad vim hostis arcendam (§ 160.), & præcavendum, ne quid hostile accidat (§. 264.): Milites etiam bello actu existente & hoste imminente continuo invigilare & quovis momento parati esse debent ad vim ejus arcendam.

§. 280.

ad quid pacis tempore adhiberi possint. *Milites, pacis præsertim tempore, ad alias etiam functiones adhiberi possunt, quam quas proprie ministerium belli exigit.*

Functiones enim, quas ministerium belli exigit, bellicæ dicuntur (§. 166.), adeoque proprie eæ sunt, ad quas milites obligantur (§. 167.). Cum vero ministerium belli in vi hosti inferenda & ejus arcenda consistat (§. 162.); Si bellum actu non geratur, aut hostis non adsit, & adeo præsertim tempore pacis functiones bellicæ aut plane cessant, aut frequentes adeo non sunt, ut milites satis occupent. Si itaque & pacis tempore milites alantur, quod hic supponitur (*per hypoth.*): Illi aut nihil aut parum agerent. Cum vero militibus sustentatio præberi & stipendium propterea solvi soleat, ut operas suas auctori belli præstent; Uti notum est, & quod fieri debeat, suo loco demonstrabitur: Nemo vero teneatur alteri gratis dare, si is vicissim dare vel facere possit (§. 268. *Part.* 4. *Jur. nat. WOLF.*): Si operæ sive functiones militares præstandæ, aut plane nullæ, aut sufficientes non adsint, ut alias præstent, ad quas idonei judicantur, æquissimum est. Elucet itaque, quod milites, præsertim pacis tempore ad alias etiam functiones adhiberi possint, quam quas proprie ministerium belli exigit.

Quod militibus aliæ functiones aut operæ mandentur, si militares aut nullæ aut sufficientes non adsint, ipsa etiam ratio suadet. Fieri enim in hoc

hoc casu posset, & fieri plerumque, experientia testatur, ut milites ad otium facile seduci se patiantur, nisi extra functiones suas aliis occupationibus teneantur. In civitate vero, qualem milites supponunt (§ 18.), ferendum non est, ut otio diffluant, quibus vires ad laborandum suppetunt (§. 422 *Part* 8. *Jur nat. WOLF.*).

Ceterum in genere hic saltem demonstratur, milites ad alias etiam functiones adhiberi posse. Cum vero ipsis a præfectis suis mandari nequeant, nisi quæ ad ministerium belli pertinent (§. 221): Facile apparet, quod a solo superiore sive auctore belli hoc pendere debeat, neque a præfectis pro lubitu milites ad alia adhiberi possint. Ab illo enim sustentationem suam accipiunt, adeoque & eidem ad operas obligantur. Horum vero potestas arbitrio illius subjacet, & ex voluntate ejus æstimanda est.

Dixi, quod ad alias etiam actiones adhiberi possint, quam quas ministerium belli *proprie* requirit. Nam quod præsidia locorum & excubias in iisdem peragant, hoc potius ad functiones bellicas ipsas referendum erit.

§. 281.

Convenit tamen, ut ea, quæ militibus extra functiones bellicas, proprie tales, mandantur, aliquam cum his relationem habeant. *Quid conveniat,*

Milites enim vel pacis tempore in continuo exercitio functionum bellicarum, quantum possunt, retinendi sunt (§. 169.); Exercitium vero consistit in actuum specie vel genere eorundem iteratione (§. 195. *Psych. emp. W.*). Si itaque ea, quæ militibus extra functiones bellicas proprie tales mandantur, cum his specie vel genere eadem sint, sive relationem aliquam habeant, ad exercitium functionum bellicarum faciunt. Patet itaque, quod militibus talia mandari conveniat.

§. 282.

Quare cum functiones bellicæ tendant ad vim inferendam & arcendam (§ 166.): *Militibus extra functiones bellicas mandari tales actiones convenit, quæ cum vi quadam inferenda, vel arcenda connexæ sunt.* *quænam actiones ipsis mandandæ,*

§. 283.

Quoniam itaque captura & custodia delinquentium, ductio captivorum, exactio onerum a morosis, sedatio tumultuum, coercitio plebis, si ejus multitudo conveniat, & similia, vim aliquam inferendam vel arcendam requirant (*per exper.*): *Milites extra excubias peragendas, ad capturam & custodiam delinquentium, ductionem captivorum, exactionem onerum, sedationem tumultuum, coercitionem plebis & similia adhiberi convenit.* *quænam ea sint,*

§. 284.

§. 284.

ad munitiones extruendas obligantur,

Milites, uti ad excitandas munitiones in bello obligantur, ita & tempore pacis ad exstructionem sive reparationem munimentorum adhiberi possunt.

Cum enim in bello sæpius contingat, ut vel castra vallo sepienda, vel coram urbe obsessa fossæ sive cuniculi aperiendi, vel aliæ etiam munitiones excitandæ sint (*per hyp. & exper.*): Facile patet, quod excitatio munitionum ad bellum gerendum necessaria esse possit. Et cum in bello non adeo semper facile detur copia aliorum, qui ad muniendum & fodiendum adhiberi possint: Aliter fieri nequit, quam ut milites eo adhibeantur. Quare cum milites in genere ad omnia ea obligentur, quæ belli causa necessaria sunt (§. 157.): Et ad munitiones in bello excitandas eosdem obligari, dubitari nequit. *Q. e. 1.*

Licet vero tempore pacis facilius copia aliorum adsit, qui exstructioni aut reparationi munimentorum inservire queant: Eadem tamen relationem quandam seu similitudinem habet cum iis, quæ tempore belli milites peragere debent, sive functionibus bellicis, utpote ad quas excitatio munitionum merito refertur (*per dem. n. 1.*). Quare cum & pacis tempore milites ad alias functiones adhiberi possint, quam quas ministerium belli proprie exigit (§. 280.); Iis vero talia mandari conveniat, quæ cum functionibus bellicis relationem quandam habent (§. 281.); Præterea vero munimenta ad vim hostis arcendam exstruantur (*per hyp.*); Et milites ad omnia obligentur, quæ ad vim hostis arcendam necessaria sunt (§. 160.): Apparet, quod & pacis tempore milites ad exstructionem munimentorum adhiberi possint. *Q. e. 2.*

Non quidem obligatio militum principalis est excitatio munitionum, sed accidentalis saltem. Fieri hinc etiam solet, ut vel in exercitu sint, qui huic labori præsertim vacare debent, qui cuniculari, *Mineurs* vocantur; Vel etiam eidem rustici, præsertim hostiles, adhibeantur, si eorum copia haberi possit. Quodsi vero hoc nequeat, aut auctor belli, sive, qui ejus nomine bellum gerit, dux summus, necessarium judicet, militibus eo uti: Quin illud possit, dubium esse nequit: Cum illi judicium de eorum, quæ ad bellum gerendum faciunt, relinquendum sit (§. 783. *Jur. gent. WOLF.*).

Ceterum in sequentibus demonstrabitur, quod, cum militibus stipendium proprie pro operis militaribus solvatur, ad quas exstructio munimentorum, si pacis tempore fiat, proprie referri nequit, iisdem præter stipendium aliquid solvi conveniat. Quo supposito itaque eo minus iniquum videri potest, illos tali labori admoveri, qui proprie sub ministerio belli non continetur.

§. 285.

§. 285.

Milites ad omnes actus vis alicujus illativos obligantur, ad quos necessarii judicantur. *ad omnes actus vis illativos.*

Milites enim & vel pacis tempore ad alias functiones adhiberi possunt, quam quas ministerium belli proprie exigit (§. 280.). Convenit vero, ut eædem vim aliquam inferendam aut arcendam concernant (§. 282.). Ad actus itaque vis cujusdam illativos eos adhiberi & posse & convenire, apparet. Penes auctorem belli vero judicium est eorum, quæ ad bellum necessaria sunt (§. 183. *Jur. gent. WOLF.*); Adeoque, cum milites ad usum belli destinati sint (§. 14.), & eorum, quæ ab ipsis peragenda sunt. Milites itaque etiam alia facere non possunt, quam quæ auctor belli necessaria judicat (§. 174.). Adest itaque ex parte militum necessitas moralis ea faciendi. Quare cum in hac obligatio consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Patet, quod milites ad omnes actus vis alicujus illativos obligentur, ad quos necessarii judicantur.

§. 286.

Si quæ militibus extra functiones, quas proprie ministerium belli requirit, mandentur, eadem æque exacte ab ipsis fieri debent. *omnia exacte peragenda,*

Functiones enim bellicæ, hoc est, eæ, quas ministerium belli exigit (§. 166.), exacte peragendæ sunt (§. 170.). Quare cum milites & pacis tempore in continuo exercitio earundem retineri debeant (§. 169.): Ea, quæ ad hoc faciunt, exacte etiam fieri debent; Ut nempe exactitudini assuescant. Quare cum ea, quæ militibus extra functiones bellicas proprias mandantur, eo tendant, ut in exercitio illarum retineantur (*per dem.* §. 281.): Eadem etiam æque exacte ab ipsis peragenda sunt.

§. 287.

Milites arma alienare vel in pignus dare non debent.

Milites enim ad vim inferendam vel arcendam obligantur (§. 158. 160.). *ad arma non alienanda.* Quare cum arma sint instrumenta, quibus vis infertur vel repellitur (§. 231.): Absque armis obligationi suæ satisfacere nequeunt. Cum vero id, ad quod obligamur, moraliter necessarium (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Adeoque contrarium ejus moraliter impossibile sit (§. 279. *Ontol. W.*): Impossibile etiam est moraliter, ut faciant, quo armis destituantur. Quare cum per alienationem res ad alium transferatur (§. 662. *Part. 2. Jur. nat. W.*): Patet, quod arma alienari nequeant a militibus. *Q. e. 1.*

Et cum oppignoratio via sit ad alienationem (§. 1144. *Part. 5. l. c.*): Id, quod quis alienare nequit, nec in pignus dari potest. Quare cum miles arma alienare nequeat (*per dem. n. 1.*): Illa nec oppignorare potest. *Q. e. 2.*

Demonstratio hic in genere traditur absque respectu, an arma militum propria sint, nec ne. Obtinuit enim olim, & adhuc forsan obtinet, ubi subditi non nisi in casu necessitatis ad militiam evocantur, ut armis instructi apparere debeant. Uti prætertim de vasallis constat. Si vero arma militibus suppeditentur, uti hodie solet, & pro statu militari præ enti fieri debet: Alia ratione statim elucet, eadem neque alienari neque oppignorari posse. Sunt enim non militum propria, sed aliena, auctoris nempe belli. Nemo vero rem non nisi propriam, neutiquam alienam nec alienare (§. 606. *Part. 2 Jur nat. W*), nec oppignorare potest (§. 1164. *Part. 5. l. c.*). Cum vero in casu priori arma militum propria esse possint: Eadem aliena esse, supponere non licuit in demonstratione. Adeoque hanc ita formandam duxi, quo utrique casui adaptaretur.

§. 288.

Quamdiu in militia manere debeant, *Milites tamdiu in militia manere debent, quamdiu ad eandem obligantur.*

Cum enim obligatio in necessitate morali consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Necesse est, ut qui ad militiam obligatur, eandem etiam præstet, adeoque in ea maneat. Ut itaque quis miles esse debeat, rationem suam habet in obligatione ejus ad militiam. Quare cum posita ratione sufficiente poni etiam debeat, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol. W.*): Quamdiu ponitur obligatio cujusdam ad militiam, tamdiu etiam ponendum est, ut in militia, sive miles, manere debeat.

§. 289.

quamdiu milites lecti, *Milites lecti tamdiu in militia manere obligantur, quamdiu casus necessitatis adest.*

Cum enim milites propter casum necessitatis legantur (§. 23.); Milites vero lecti ad militiam obligentur (§. 38.): In casu necessitatis continetur ratio sufficiens, cur milites lecti ad militiam obligentur (§. 56. *Ontol W.*). Quamdiu itaque ponitur casus necessitatis, ponitur etiam ratio obligationis militum lectorum ad militiam. Posita vero ratione sufficiente poni etiam debet, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. l. c.): Quamdiu igitur casus necessitatis adest, tamdiu milites lecti ad militiam obligantur. Quare cum eousque in militia quis manere

manere debeat, quam ad eandem obligatur (§. 288.): Milites lecti in militia manere obligantur, quamdiu casus necessitatis existit.

§. 290.

Milites itaque lecti invito auctore belli a militia discedere non possunt. *invito auctore belli discedere nequeunt,*

Quod enim milites a militia discedere nequeant, quamdiu in eadem manere obligantur, cuivis perspicuum erit. Quare cum milites lecti tamdiu in militia manere obligentur, quamdiu casus necessitatis adest (§. 289.): Illos etiam tamdiu discedere non posse, facile apparet. Judicium vero de necessitate casus necessitatis militibus ipsis relinqui nequit, sed est penes auctorem belli (§. 783. *Jur. gent. WOLF.*). Quamdiu itaque non consentit, ut milites lecti discedant, tamdiu præsumendum est, quod casum necessitatis adhuc adesse existimet; Adeoque tamdiu discedere non possunt. Qui vero non consentit in id, quod alter vult vel facit, invitus est. Patet itaque, quod milites lecti invito auctore belli discedere nequeant a militia.

§. 291.

Milites conductitii tamdiu in militia manere obligantur, quamdiu ad eandem contractu militari, sive capitulatione se adstrinxerunt. *quamdiu conductitii obligentur,*

Militum enim conductitiorum obligatio ex contractu militari sive capitulatione est (§. 57.). Quare cum contractus militaris vel ad dies vitæ vel ad certum tantum tempus vel bellum iniri possit (§. 54.), & in posteriori casu capitulatio dicatur (§. 55.): Milites conductitii ad militiam tamdiu obligantur, quamdiu contractu militari sive capitulatione se ad eandem adstrinxerunt. Cum itaque milites tamdiu manere debeant in militia, quamdiu ad eandem obligantur (§. 288.): Milites tamdiu manere debent, quamdiu contractu militari sive capitulatione se adstrinxerunt.

§. 292.

Quodsi vero subditus vel ad certum tantum tempus miles factus sive si capitulatus sit: Casu necessitatis ingruente tamen tamdiu manere debet miles, quamdiu casus ille existit, si vel maxime tempus capitulatione expressum fuerit elapsum. *subditi sint,*

Licet enim subditus miles etiam conduci (§. 56.); Adeoque et ad certum tantum tempus miles fieri sive capitulari possit (§. 54.): Et cum milites conductitii ex contractu saltem sive capitulatione obligentur (§. 57.); Etiam tamdiu saltem in militia manere debeat, quamdiu se adstrinxit (§. 291.): Fieri tamen potest, ut subditus, qui sponte sua miles

 factus

factus, adeoque conductitius saltem est, & ex pacto obligatur (§. 52.), postea tamen, casu nempe necessitatis ingruente, obligetur etiam naturaliter (§. 58.). Quoniam itaque obligatio subditorum ad militiam ad casum necessitatis restricta est (§. 749. *Juris gent. WOLF.*): Obligatio subditi, qui ad certum tempus saltem capitulatus est, necessitatis casu superveniente tamdiu, quam hic adest, durat. Licet itaque tempus, ad quod capitulatus est, elapsum, adeoque obligatio ejusdem ex capitulatione sublata sit (§. 291.): Alia tamen adhuc ejusdem obligatio, naturalis nempe, superest (*per dem.*). Quare cum milites tamdiu in militia manere obligentur, quamdiu ad hanc tenentur (§. 288.): Subditus, qui ad certum tantum tempus capitulatus est, casu necessitatis superveniente, tamdiu tamen in eadem manere obligatur, quam hic subsistit, licet tempus illud fuerit elapsum.

Hinc iterum apparet, obligationi subditorum naturali ad militiam eo nihil derogari, quod etiam conduci saltem se pati possint; Adeoque si hoc ad certum demum tempus factum sit, eo elapso liberari etiam debeant. Casu enim superveniente, quo subditi ad militiam naturaliter obligantur, obligatio alia in locum illius ex pacto succedit. Atque adeo capitulatio obligationem naturalem minime tollit.

§. 293.

Si tempus nullum expressum, *Si in contractu militari tempus, ad quod militia duret, non fuit expressum, milites conductitii invito auctore belli ab ea discedere nequeunt.*

Cum milites belli causa constituantur (§. 14.); Adeoque per eosdem auctor belli jus suum persequi intendat (§. 1.): Si milites conducantur, adeoque inter illos et auctorem belli pactum intercedat (§. 51.), quod contractus militaris vocatur (§. 53.), hunc potissimum auctoris belli gratia celebrari, facile apparet. Cum vero non nisi volentes conducantur (§. 22.); Adeoque et liberum ipsis esse debeat, an ad certum tantum tempus conduci se velint: Jus illis est, contractui militari tempus adjiciendi, ad quod militia duret (§. 54.). Quodsi vero hoc non faciunt: Significant se jure hoc uti nolle; Adeoque eidem renunciant (§. 103. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*). Et cum renunciatio semper fiat in gratiam alterius (§. *cit.*); Hic vero cum auctore belli agatur (§. 51.): Renunciationem hanc juri suo ad tempus saltem certum sese obligandi in gratiam auctoris belli fieri, intelligitur; Cum ejusdem intersit potissimum contractus militaris (*per dem.*). In hoc casu itaque in arbitrium auctoris belli posuisse censendi sunt, quousque illos in militia retinere voluerit. Tamdiu itaque ad eandem obligantur, quamdiu auctor belli vult. Quamobrem

obrem cum milites tamdiu in militia manere debeant, quam ad eandem obligantur (§. 288.); Adeoque nec prius ab ea discedere (*Quod per se patet*): Milites etiam conductitii, tempore nullo in contractu militari expresso, a militia discedere non possunt, nisi auctore belli volente, adeoque non eodem invito.

Propositio præsens demonstrari equidem etiam potuerit ex eo, quod contractus militaris sit pactum (§. 53.); A pacto vero uni paciscentium altero invito recedere non liceat (§. 840. *Part.* 3. *Jur. nat. WOLF.*); Adeoque nec militi conductitio, si certum tempus stipulatus non sit, ad quod militia duret. Ex eo vero facile quis inferre potuisset, quasi sic nec auctori belli liceret, militem conductitium ipso invito dimittere. Cum vero dubitandum non sit, quod, quemadmodum fœdera, ita & pacta dentur inæqualia (§. 398. *Jur. gent W.*), in quibus ab una parte major obligatio esse possit, quam ab altera; Naturam vero contractus militaris pactum tale inæquale involvere, jam demonstratum fuerit: Non absonum erit, jus hoc auctori belli sive principi asserere. Uti suo loco evincetur. Contractui enim militari, cui certum tempus adjectum non fuit, clausula semper tacite subest, quod miles militiam continuare velit, ***quousque principi placuerit.***

§. 294.

Quare cum, si miles conductitius neque expresse ad dies vitæ, neque ad certum modo tempus capitulatus sit, facile appareat, contractui militari tempus, ad quod militia duret, adjectum non esse (§. 55.); In hoc casu vero illi a militia discedere invito auctore belli non liceat (§. 293.): *Etsi miles conductitius neque expresse ad dies vitæ, nec etiam ad certum saltem tempus capitulatus sit, pro lubitu ac invito auctore belli a militia discedere nequit.* *nec expresse ad dies vitæ capitulati sint,*

§. 295.

Si miles conductitius tempore capitulatione expresso elapso militiam sponte continuet, postea, aut saltem ante tempus æquale elapsum, invito auctore belli ab ea discedere nequit. *si tempore elapso sponte continuent,*

Cum enim suo loco demonstrabitur, militem conductitium ultra tempus, ad quod capitulatione se adstrinxit, retineri non posse: Evidens est, & etiam absque probatione forsan concedetur, quod miles conductitius tempore eo elapso, si discedere ipsi recusetur, etiam invito auctore belli, illud possit. Quod interea hic supponi liceat (*per hyp.*). Si itaque militiam ultra tempus illud sponte continuet, declarat, jure suo, quod ipsi ex contractu militari competeret, uti se nolle; Adeoque juri suo renunciat (§. 103. *Part. 3. Jur. nat. W.*). Pactum itaque, quo contractus

 militaris

militaris nititur, pro temporario amplius haberi nequit, sed idem est, ac si illi tempus certum adjectum non fuerit. Quare cum in hoc casu miles conductitius invito auctore belli a militia discedere non possit (§. 293.): Nec illud poterit, si militiam ultra tempus capitulatione expressum sponte continuet. *Q. e. 1.*

Cum vero si pacto temporario finito, ab uno contrahentium quid fiat, quod nonnisi vi ejusdem fieri poterat, altero conscio, nec dissentiente, pactum tacite renovetur (§. 820. *loco cit.*): Si miles conductitius ultra tempus capitulatione expressum militiam continuet, capitulatio sive contractus militaris, qui pactum est (§. 53.), tacite renovatur. Quare cum, si pactum tacite renovetur, illud per tantum temporis intervallum denuo valeat, quanto antea duraverat (§. 823. *ibidem*): Si miles conductitius tempore capitulatione expresso elapso militiam sponte continuet, ante tempus æquale saltem ab ea invito auctore belli discedere nequit. *Q. e. 2.*

§. 296.

absque permissione discedere nequeunt.

Milites in genere, sive lecti, sive conductitii, absque permissione auctoris belli a militia discedere nequeunt.

In militia enim continetur ratio omnium obligationum militarium (§. 130.); Adeoque vi ejusdem certis obligationibus tenentur milites in genere, sive lecti sint, sive conductitii. Quod si itaque a militia discedere, sive eadem solvi velint: Solvantur obligationibus istis, necesse est. Obligationes vero militares sunt erga rempublicam sive rectorem ejusdem (§. 132.), hoc est, auctorem belli (§. 10.). Cum itaque ex obligatione jus oriatur (§. 23. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Auctori belli jus competit, militibus, qua talibus utendi. Ut itaque milites ab obligationibus suis liberentur, jus illud remittere debet auctor belli (§. 97. *Part. 3. loc. cit.*). Quoniam itaque hoc facere censeri nequit, nisi illis permittat, ut a militia discedant: Apparet, quod milites in genere, sive lecti, sive conductitii, absque permissione auctoris belli a militia discedere nequeant.

Cum tam milites lecti (§. 290.), quam conductitii ad certum tempus non capitulati (§. 293.) invito auctore belli a militia discedere non possint: Vel ex eo patet, quod illud nec absque ejusdem permissione facere queant. De illis vero dubium enasci posset, qui ad certum tantum tempus capitulati sunt. Tempore enim illo elapso, obligationem illorum ad militiam simul finiri, constat, adeoque &, si illud recusetur, invito auctore belli discedere posse, negari non poterit (*per dem. §. 295.*). Alia vero plane quæstio est: An miles absque permissione discedere? Et: an auctor belli eandem in omni casu denegare possit? Quod enim illud militibus

litibus conductitiis, quorum tempus effluxit, denegari nequeat: Suo quidem loco demonstrabitur. Interim hoc non obstat, quo minus a militia absque permissione, rogata minimum, discedere nequeant.

§. 297.

Miles, cui a militia discedere permittitur, seu qui eadem solvitur, *dimitti* dicitur. Ita ut *missio* sive *Dimissio* sit permissio militi data discedendi a militia, sive solutio ab eadem. De qua ut constet, neque miles pro eo habeatur, qui invito auctore belli a militia discesserit, *Literæ dimissoriæ*, sive missionis testes, uti elegantiori locutione dicuntur, dari solent. Quæ itaque testimonium sunt de solutione a militia, sive de permissione militi data discedendi a militia. *Dimissionis & literarum dimissoriarum definitio.*

Missio jam olim, & ipso jure romano in honestam & ignominiosam, ut et alias etiam species, uti causariam, distingui suevit (*l. 2. §. 2. ff. de His, qui not.*). Quam vero differentiam, uti per se satis intelligitur, hujus saltem loci non est explicare. Suo etiam loco ostendetur, quod illa vel voluntaria, vel necessaria esse possit.

§. 298.

Milites tam lecti, quam conductitii in genere, si militia solvi vel ab eadem discedere cupiant, dimissionem petere sive exigere debent. *Milites ad dimissionem petendam obligantur,*

Milites enim in genere, sive lecti, sive conductitii, absque permissione auctoris belli a militia discedere nequeunt (§. 296.). Quodsi itaque discedere cupiant, ut permissionem illam consequi studeant, necesse est. Quare cum id fiat petendo, sive exigendo (*Quod per se patet*); Permissio vero, quæ militi datur discedendi a militia, dimissio vocetur (§. 297.): Patet, quod tam milites lecti, quam conductitii in genere, si discedere velint a militia, dimissionem petere sive exigere debeant.

Studio additur, quod aut *petere* aut *exigere* debeant dimissionem. Fieri enim posse, ut dimissio recusari non possit, jam indigitavimus in scholio ad §. 296. Hoc itaque casu dimissionis petitio jure perfecto fit. Fieri vero etiam potest, ut jure imperfecto saltem petatur, ita ut recusari possit. Quare cum priori casu *exigi*, posteriori saltem *peti* quid dicatur proprie, si curatius loqui velis (§. 795. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*): Utroque vocabulo non absque ratione nos uti, intelligetur.

§. 299.

Contractus militaris ita etiam iniri potest, ut militi conductitio a militia discedere liceat, quando ipsi libuerit. *an militi conductitio licere possit pro lubitu discedere.*

Contractus enim militaris pactum est (§. 53.); Adeoque a mutuo paciscentium consensu sive voluntate dependet (§. 788. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum paciscentes in eodem sint auctor belli & miles condu-

conductitius (§. 51.): Ab illorum etiam voluntate pendere debet, quomodo contractum illum celebrare, vel quasnam illi conditiones adjicere velint. Licet itaque, si tempus illi expresse non adjiciatur, in arbitrio auctoris belli positum sit, quousque militem conductitium retinere voluerit (*dem.* §. 293.): Non tamen repugnat, id etiam in arbitrium militis conductitii collocari, si auctor belli consentiat. Atque adeo patet, quod contractus militaris etiam sub hac conditione possit iniri.

§. 300.

Voluntariorum definitio, Qui ultro, & vel absque mercede, quousque tamen saltem ipsis libuerit, militiam subeunt, cum alias ad eandem cogi non possint, *Voluntarii* milites scilicet dicuntur.

Ita & olim voluntarios vocatos esse, ex LIVIO refert PET. MULLER in Diss. *de Mandatis ducum milit. cap. 2. §. 6.* Cum hic supponantur, qui ad militiam alias non obligantur, adeoque, qui si milites fieri debeant, conduci debent; Militibus vero, qui conducuntur, merces solvi soleat (*per hypoth.*): Additur in definitione, quod *absque mercede* militent voluntarii. Quod enim hoc possit, dubitandum non est. Mercedem enim saltem in gratiam militum solvi, ut nempe sustentationem, cui ipsimet prospicere nequeunt, inde accipiant, suo loco evincetur. Jure vero suo vel favori pro se introducto quemlibet renunciare posse, vulgati juris est. Quodsi & milites, si velint absque mercede, si eadem non indigeant, militare possint, dubitari nequit. Voluntarii plerumque esse solent personæ dignitate eminentiores, quæ artis militaris studio saltem eo ducuntur, ut in bello aliquantum versentur.

§. 301.

Consensu auctoris belli militant. *Auctor belli in militiam voluntariorum consentire debet.*

Cum enim milites a rectore civitatis sive superiore, utpote auctore belli (§. 10.), constituantur (§. 20.): Ab ejus voluntate dependet, an eum militem esse velit, qui miles esse cupit. Ut itaque voluntarius, qui ultro scilicet militiam subit (§. 300.), miles fiat, auctor belli velle debet, quod vult ille. Quare cum is, qui vult, quod vult alter, consentiat (§. 658. *Part. 1. Phil. pract. univ. IV.*): Auctor belli in militiam voluntariorum consentire debet.

Addenda fuit hæc propositio, ut intelligatur, neminem exercitui se pro lubitu associare, & cum ipso militare posse. Fieri itaque etiam solet, uti debet, ut ii, qui voluntariorum nomine in exercitu aliquo militare cupiunt, permissionem prius auctoris belli, sive, qui ejus nomine exercitui præest, ducis belli supremi nancisci debeant.

§. 302.

§. 302.

Quare cum consensus duorum in eandem promissionem pactum sit (§. 788. *Part. 3. Jur. nat. W*); Miles voluntarius vero militiam ultro quidem, sed quousque libuerit, promittat (§. 300.), & auctor belli in hanc promissionem consentire debeat (§. 301.): *Inter auctorem belli & militem voluntarium pactum intercedit de militia quousque huic libuerit, præstanda.* *Pactum ineunt cum auctore belli,*

§. 303.

Voluntarii itaque, quamdiu militant, ad omnia obligantur, ad quæ milites in genere. *ad omnia obligantur, ad quæ milites,*

Voluntarii enim pactum ineunt de militia præstanda (§. 302.); Adeoque eandem promittunt (§. 788. *cit.*). Quare cum ex promissione oriatur obligatio ea faciendi, quæ quis promittit (§. 362. *loco cit.*): Voluntarii ad militiam præstandam obligantur. In militia vero continetur ratio omnium obligationum militarium (§. 130.). Quare cum posita ratione sufficienti ponendum etiam sit, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol. W.*): Voluntariis omnes obligationes militares incumbunt. Quare cum obligationes militares dicantur, quibus milites, qua tales, tenentur (§. 120.): Voluntarii ad omnia obligari debent, ad quæ milites in genere. Sed cum militiam saltem promittant, quousque libuerit (§. 302.); Ex promissione vero obligatio eorum nascatur (*per dem.*): Eo usque etiam modo obligantur, quo militant, sive militare ipsis libuerit.

Cum milites jurato militiam promittere debeant propterea, ut eo fortius adstringantur, ne ab eadem discedant (§. 148.): Cum auctoris belli intersit, ne hoc fiat (§. 147.); Voluntariis vero hoc liberum relinquatur (§. 302.); Adeoque nec proprie numerentur, sed supra numerum habeantur: Cessat etiam ratio juramenti militaris. Hinc nec fieri solet, ut voluntarii illud præstent.

§. 304.

Voluntarii in militia diutius manere non obligantur, quam ipsis libuerit. *quamdiu manere debeant,*

Cum enim obligatio voluntariorum ex pacto veniat (§. 303.): Iidem ultra pactum non obligantur. Quare cum pactum ineant de militia saltem, quousque libuerit præstanda (§. 302.): Diutius etiam ad eandem non obligantur. Cum itaque milites eousque modo in militia manere debeant, quo ad eam obligantur (§. 288.): Voluntarii diutius manere non obligantur, quam ipsis libuerit.

Hoc tamen non obstat, quo minus illud indicare debeant, si discedere velint, & permissionem exigere. Licet enim milites ad certum tempus capitulati illo effluxo nec ulterius ad militiam obligentur: Nihilominus eosdem ad permissionem discedendi exigendam teneri, demonstravimus §. 296 & 298.

§. 305.

quamdiu milites sint,

Quamdiu miles ad militiam obligatur, miles esse non desinit.

Status enim militum, qua talium, militia dicitur (§. 83.). Quamdiu itaque milites ad militiam obligantur, tamdiu statum militum, qua talium, retinere debent. Quamdiu vero miles statum, qua talis, retinet, tamdiu eundem militem esse, adeoque non desinere, per se intelligitur. Quousque itaque miles in militia manere debet, eousque miles esse non desinit. Quare cum milites in militia manere debeant, quamdiu ad eam obligantur (§ 288.): Miles etiam esse non desinit, quamdiu ad militiam obligatur.

§. 306.

milites per captivitatem militia non solvuntur,

Si milites ab hoste capiantur, propterea milites esse non desinunt, sive a militia non solvuntur.

In bello enim captorum jura et obligationes non amittuntur, sed in suspenso relinquuntur (§. 905. *Jur. gent. WOLF.*). Quare cum hic milites ab hoste, adeoque in bello, capti supponantur (*per hyp.*); Milites vero in genere ad militiam obligentur (§. 38.): Hæc obligatio ipsorum ad militiam per captivitatem non tollitur. Quare cum milites esse non desinant, quamdiu ad militiam obligantur (§. 305.): Milites ab hoste capti milites esse non desinunt, sive a militia non solvuntur.

Quod hic generaliter ponatur, milites ab hoste captos non desinere esse milites, non ita sumendum est, quasi non detur casus, quo miles captus a militia sive obligatione ad eandem solvatur. Asseritur modo, per captivitatem in se eandem non solvi, seu hanc non esse causam solutionis a militia. Casus enim, quo miles captus solvitur, (§. seq.) statim quidem exhibebitur. In eo vero causa solutionis non est captivitas, sed alia quædam superaccedens.

§. 307.

nec ab obligationibus suis liberantur,

Milites ab hoste capti obligationibus suis non solvuntur, nisi in quantum per captivitatem impediuntur, quo minus iisdem satisfaciant.

Milites enim capti a militia non solvuntur (§. 306.). In militia vero continetur ratio omnium obligationum militarium (§. 130.). Licet itaque milites ab hoste capiantur, ratio tamen obligationum ipsorum adhue

huc subsistit; Neque adeo iisdem solvuntur. Quare cum posita ratione sufficiente ponendum etiam sit, quod propter eam est (§. 118. *Ontol. W.*): Patet, quod milites capti obligationibus suis non solvantur. *Q. e. 1.*

Cum vero per captivitatem impediantur obligationibus suis satisfacere (*Quod per se patet*); Hoc vero vi externa, qua capti detinentur, efficiatur: Impossibile physice quidem est, ut iisdem satisfaciant. Quare cum ad impossibile nemo obligari possit (§. 209. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Nec milites capti ad satisfaciendum obligationibus teneri possunt, quatenus per captivitatem impediuntur, adeoque eatenus iisdem solvuntur. *Q. e. 2.*

Consentit vir perillustris L. B. de WOLF, dum asserit, jura in bello captos non extingui, sed in suspenso saltem esse (§. 905. *Jur. gent.*). Cum enim jus ex obligatione nascatur (§. 23. *Part 1. Jur. nat.*): Hoc simul involvit, quod in bello capti obligationibus suis non solvantur, ex quibus jura in illos competunt. Apparet itaque, quod obligationes militares per captivitatem non tollantur penitus, sed suspendantur modo.

§. 308.

Si tempus, ad quod miles conductitius capitulatus est, durante captivitate exspiret, ille a militia solvitur. *quandonam vero conductitii.*

Cum enim miles conductitius ex contractu militari saltem ad militiam obligetur (§. 57.); Hic vero contractui illi certum tempus adjectum esse, ad quod militia duret, supponatur (*per hyp.*): Ultra illud tempus ad militiam non obligatur. Quare cum & hoc tempus durante captivitate exspirare supponatur (*per hyp.*): Miles conductitius ab hoste captus in hoc casu ad militiam amplius non tenetur. Cum itaque quamprimum miles ad militiam non obligatur amplius, miles esse desinat, sive quod perinde est, eadem solvatur (§. 305): Hoc etiam de milite conductitio intelligitur, si tempus, ad quod capitulatus est, durante captivitate exspiret.

Causam solutionis a militia hic non esse captivitatem, sed lapsum temporis, ad quod miles conductitius nomen suum militiæ dedit, cuivis erit perspicuum. Generalitati itaque asserti, quod milites capti militia non solvantur (§. 306.), præjudicium non affertur. Nec obstat, quod milites in genere, adeoque & conductitii ad certum tempus capitulati, si militia solvi cupiant, dimissionem petere sive exigere debeant (§. 298.). Militi enim capto aditus ad auctorem belli non patet. Per captivitatem itaque impeditur, quo minus dimissionem petere, adeoque obligationi huic suæ satisfacere possit: Cum vero eatenus milites capti obligationibus suis solvantur (§. 307.): Nec militi conductitio, cujus tempus durante captivitate elabitur, dimissionis defectus obesse potest, quo minus militia solvatur.

§. 309.

an milites capti hostis militiam amplecti possint,

Milites itaque ab hoste capti, apud eundem servitia militaria suscipere sive milites fieri nequeunt, nisi conductitii sint, quorum tempus capitulatione expressum effluxerit, aut alio modo a militia solvantur.

Cum enim milites ad bellum gerendum obligentur (§. 157.); Hostis vero sit, cum quo bellum geritur (§. 11.): Ad bellum contra hostem gerendum obligantur. Si vero milites militiam hostis amplecterentur: Huic potius obligarentur ad bellum pro ipso gerendum. Obligationi itaque militum illud repugnat. Licet vero milites capti obligationibus suis satisfacere nequeant: Non tamen iisdem solvuntur (§. 307.). Et hinc licet milites capti auctori belli militiam actu præstare & hosti bellum inferre non possint: Obligatio tamen eorum ad illam non tollitur, sed in suspenso saltem est. Quare cum obligatio in necessitate morali consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ W.*); Adeoque impossibile sit, moraliter nempe, ut contrarium ejus faciant, ad quod obligantur (§. 279. *Ontol. W.*): Impossibile etiam est moraliter, ut milites capti militiam hosti amplecti possint. Adeoque illud facere nequeunt. *Q. e. 1.*

Cum vero miles conductitius militia solvatur, si tempus, ad quod capitulatus est, durante captivitate exspiret (§. 308.): Ejusdem amplius in eo casu, aut si quis alio modo militia solvitur, nulla ad militiam obligatio est. Quare cum hæc obstet, quo minus milites capti hostis partes sequi possint (*per dem. n. 1*): Illa sublata tollitur hujus ratio sufficiens. Sublata vero ratione sufficiente poni nequit id, quod propter eam esse deberet (§. 118. *loc. cit.*). Neque adeo asseri potest, quod miles conductitius, cujus tempus effluxit, aut si quis alio modo solvatur a militia, captivitate impediatur, quo minus hostis militiam amplecteretur. *Q. e. 2.*

In genere hic rursus saltem demonstratur, militem captum propterea hostis militiam amplecti non posse, quia captus est. Dari enim casus, quibus militi capto id impune licere debet, vel ex adducto militis conductitii exemplo, cujus tempus exspiravit, intelligitur. & ex sequentibus apparebit. Toties enim illud fieri posse debet, quoties miles captus obligatione ad militiam solvitur. Hinc vero simul elucet, captivitatem ejus causam non esse, sed solutionem a militia. Cum vero ingratum admodum videatur, arma stringere contra eum, pro quo modo illud factum est, licet ad hoc nulla amplius obligatio sit: Quæri utique posset, an salva conscientia miles captus, cujus obligatio solvitur, hostis partes amplecti queat. Cum vero hic de jure saltem externo agatur: Decisio quæstionis illius hujus loci non est. Militi etiam conductitio alia superaccedere potest obligatio, quæ obstat, quo minus apud hostem militiæ se

se dare possit, licet vel maxime tempus effluxerit; Nimirum, si subditus sit. Subditis enim sive civibus vi obligationis generalis, qua tenentur, salutem civitatis promovendi, nec quicquam faciendi, quod ei contrariatur (§. 24. *Part.* 8. *Jur. nat. WOLF.*), nec arma in propriam civitatem inferre licere potest. Quare cum ab obligatione hac civili per captivitatem non liberentur (§. 905. *Jur. gent. W.*); & cives maneant, licet vel a militia solvantur: Nec miles conductitius, si subditus sit, impune hostilem militiam amplecti poterit, licet tempus capitulatione expressum effluxerit. Cum vero hoc impedimentum ex alia prorsus ratione, quam lapsu temporis resultet; Et lapsus hic saltem per se impunitatem illam concedat (*per dem. n.* 2.): Nec universalitati asserti illud derogat. Qua miles enim conductitius posset; Qua civis vero prohibetur.

§. 310.

Obligationes militares cessant, quamprimum milites tales esse desinunt. *quando obligationes militares cessent,*

In militia enim continetur ratio omnium obligationum militarium (§. 130.). Quare cum cessante ratione sufficiente, cessare etiam debeat, quod propter eam est (§. *118. Ontol. W.*): Quamprimum militia sive obligatio ad eandem cessat, cessare etiam debent obligationes militares. Cum vero militia dicatur status militum, qua talium (§. 83.): Si milites tales esse desinant, militiam etiam & obligationem ad eandem cessare, facile intelligitur. Patet itaque, quod obligationes militares cessent, quamprimum milites tales esse desinunt.

Aliter.

Obligationes enim militares militibus, qua talibus, incumbunt (§. 120.); Adeoque propterea, quod milites sint. Ratio itaque sufficiens, cur iis incumbant, in eo continetur, quod milites sint (§. *56. Ontol. WOLF.*). Quamprimum itaque milites tales esse desinunt, cessat ratio, propter quam ipsis obligationes militares incumbunt. Quare cum uti posita ratione sufficiente, ponendum sit, quod propter eam est (§. *118. l. c.*); Ita cessante eadem illud cessare debeat: Patet, quod obligationes militares cessent, si milites tales esse desinant.

§. 311.

Quare cum militia solvantur, adeoque milites esse desinant, qui quovis modo dimittuntur (§. 297.): *Obligationes militares dimissione finiuntur.* *dimissione,*

§. 312.

Morte itaque *militum civili, quæ dicitur, obligationes militares finiuntur.* *morte civili,*

 Mor-

Mortem enim civilem stilo juridico, pati dicuntur, qui capitis deminutionem patiuntur (HOTOMANNI *Comment. verb. jur. p. 227.*). Capitis vero mutatio in prioris status mutatione consistit (*princ. Inst. de capit. demin.*). Mors itaque civilis in mutatione status consistit. Et milites mortem civilem patiuntur, si statum suum amittunt. Cum igitur status militum, qua talium, militia dicatur (§. 83.): Mortem civilem subeunt, si militia solvantur, adeoque milites esse desinant. Quare cum obligationes militares cessent, si milites desinant esse tales (§. 310.): Easdem morte civili militum finiri apparet.

Hæc locutio juris saltem civilis est, & idem exprimit, quod jam §. 310. verbis simplicibus enunciatum fuit. Propterea vero eadem uti libuit, ut appareat, quomodo ea, quæ juris naturalis sunt, applicentur ad ea, quæ jure civili continentur.

§. 313.

sunt personales, *Obligationes militares sunt personales.*

Obligationes enim militares militibus, qua talibus, incumbunt (§. 120.), & hinc si milites tales esse desinant, cessant (§. 310.). Personæ itaque militum ita inhærent, ut ab eo in alium nullo modo transire possint. Quare cum illud, quod dicto modo personæ inhæret, in genere personale dicatur (§. 543. *Part. 3. Jur. nat. W.*): Patet, quod obligationes militares personales sint.

§. 314.

morte naturali exspirant. *Obligationes militares morte militum naturali exspirant, nec ad heredes eorum transmittuntur.*

Obligationes enim militares cessant, quamprimum milites tales esse desinunt (§. 310.). Quare cum milites, si moriantur, in genere, adeoque & qua tales in specie esse desinant (*Quod per se patet*): Morte militum naturali eædem exspirant. Et cum per se intelligatur, id, quod morte alicujus exspirat, ad heredes ejus non transire: Hoc etiam de obligationibus militaribus elucet.

Aliter.

Obligationes militares personales sunt (§. 313.). Ea vero, quæ personalia sunt, morte personæ extinguuntur, consequenter in heredes ejus non transmittuntur (§. 865. *Part. 8. loc. cit.*). Obligationes itaque militares morte militum naturali exspirant, nec ad heredes eorum transmittuntur.

Hæc quidem ea sunt, quæ de obligationibus militum, qua talium, quotquot earum ipso jure naturæ noscuntur, dicenda nobis obvenere, & ex

ex quibus, specialia si quæ supersunt, levi opera deduci poterunt. Non enim omnia exhausta credimus: Principia tamen forsan non deerunt, quæ ceteris demonstrandis sufficient. Occurrent etiam in sequentibus, quæ ad obligationes militum adhuc referri potuerint; Reponenda tamen fuerunt, quoniam hoc loco nondum datur eadem demonstrare, sed alia antea præmittenda sint, quibus ad illa deducenda tanquam principiis uti, necesse est.

FINIS CAPITIS SECUNDI.

JURIS MILITUM
NATURALIS
CAPUT III.
DE JURIBUS MILITUM.

§. 315.

Militibus ea omnia facere, liberum esse debet, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt. *Quæ facere militibus liberum esse debeat.*

Dantur enim variæ militum obligationes, quæ hactenus fuere expositæ (*cap. 2.*). Quare cum in genere cuilibet liberum esse debeat ea facere, sine quibus obligationi suæ satisfacere nequit (§. 45. *Instit. jur. nat. & gent. WOLF*): Necesse est, ut militibus etiam liberum sit, ea facere, sine quibus obligationibus suis nequeunt satisfacere.

§. 316.

Militibus itaque *jus esse debet ad omnia, sine quibus satisfacere nequeunt obligationibus suis.* *Ad quæ jus ipsis esse debeat.*

Militibus enim liberum esse debet ea facere, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt (§. 315.). Facere itaque ea posse debent. Quare cum possibilitas agendi facultas dicatur (§. 716. *Ontol. W.*): Ipsis competat facultas ea faciendi, sine quibus obligationes suas adimplere nequeunt, necesse est. Facultas vero agendi, moralis nempe, jus dicitur (§. 954. *Part. 1. Theol. nat. W.*): Militibus itaque jus esse debet ad ea, sine quibus obligationibus suis nequeunt satisfacere.

§. 317.

§. 317.

Quæ licere debeant. Quare cum ad ea, ad quæ nobis jus est, licita dicantur (§. 170. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): *Militibus licere debent ea, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt.*

§. 318.

Jura quæ talibus competunt. *Militibus* itaque, *qua talibus, jura competere debent, quæ paganis non competunt.*

Militibus enim jus est ad ea omnia, sine quibus obligationibus suis satisfacere non possunt (§. 316.); Obligationes vero militares militibus, qua talibus, competunt (§. 120.): Ipsis itaque etiam qua talibus jus ad eadem competere debet. Et cum plures obligationes militares sint; Unicuique vero satisfaciendum sit (*quod per se patet*): Plura etiam jura militibus, qua talibus, competere debent. Cum vero jura hæc militibus, qua talibus, competant (*per dem.*); Pagani vero dicantur cives reliqui, qui milites non sunt (§. 80.); Et dentur jura militum a juribus paganorum diversa (§. 81.): Jura hæc, quæ militibus, qua talibus, competere debent, paganis non competunt.

§. 319.

Jurium militarium definitio. *Jura*, quæ militibus, qua talibus, competunt, sive eorum propria sunt, *militaria* dicuntur.

De juribus militum singularibus præter alias dissertationem scripsit ERN. FRID. SCHROETER, qui tamen, uti reliqui, qui hoc argumentum attigerunt, maxime ea saltem jura singularia sive privilegia, quæ militibus in causis civilibus jure romano indulta sunt, recenset; De iis, quæ ex obligationibus militum, qua talium, fluunt, parum sollicitus: Cum tamen hæc potiora sint.

§. 320.

Ea perfecta sunt. *Jura militaria perfecta sunt.*

Jura enim militaria propter obligationes militares competunt (§. 316.); Obligationes vero militares ex promisso veniunt (*per dem.* §. 133.): Jura itaque & militaria ex promisso sunt. Jura vero ex promisso perfecta sunt (§. 364. *Part. 3. Jur. nat. W.*): Jura itaque & militaria perfecta sunt.

Jure itaque perfecto milites exigunt ea, quæ ipsis, qua talibus, debentur. Et cum quisque ipso jure naturæ obligetur, neminem in exercitio juris sui impediendi (§. 66. *Inst. jur. n. & g. W.*); Huic perfectæ obligationi vero respondeat jus perfectum non patiendi, ut impediamur (§. 81. l. c.); Milites etiam pati non tenentur, ut in usu jurium militarium impediantur, sed cogere possunt eos, qui eos impedire voluerint.

§. 321.

§. 321.

Ratio jurium militarium continetur in militia. *eorum ratio.*

Jura enim militaria militum propria sunt (§. 319.). Jura vero militum propria per statum ipsorum peculiarem constituuntur (§. 82.). Jura itaque militaria militibus propterea competunt, quia statum peculiarem sortiuntur. Ex statu itaque eorum intelligitur, cur obligationibus istis teneantur. Quare cum id, ex quo intelligitur, cur alterum sit, ratio hujus dicatur (§. 56. *Ontol. W.*): Status militum, qua talium, rationem in se continet jurium militarium. Status vero militum, qua talium, militia dicitur (§. 83.). Patet itaque, quod in militia contineatur ratio jurium militarium.

§. 322.

Iura militaria, sine quibus nempe milites obligationibus suis satisfacere nequeunt, necessaria sunt, sive necessario ipsis competunt. *Necessaria sunt,*

Cum enim obligatio in necessitate agendi consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Necessarium esse facile apparet, ut milites ea faciant, ad quæ obligantur, sive ut obligationibus suis satisfaciant. Facere vere hoc non possunt sine juribus militaribus (*per hyp.*). Impossibile itaque est, ut hæc jura militaria ipsis non competant. Quare cum illud, cujus contrarium impossibile est, necessarium sit (§. 279. *Ontol.*): Jura militaria, sine quibus nempe obligationibus suis satisfacere nequeunt, necessaria sunt, sive necessario ipsis competunt.

Cum privilegia militum etiam ad jura militaria referri soleant; Dentur vero privilegia militum, quæ rationem necessariam in militia non habent; Neque adeo necessaria, sed arbitraria tantum sint; Uti in sequentibus demonstrabitur: Videri posset, quasi jura militaria saltem non omnia, necessaria non sint. Ut itaque eo minus dubium oriatur: Dixi quod jura militaria, sine quibus milites obligationibus suis satisfacere non possunt, necessaria sint. Talia vero proprie sunt omnia jura militaria; Jura enim & privilegia militum arbitraria proprie militaria non sunt. Hæc enim militibus, qua talibus, competere & eorum propria esse debent (§. 319.). Utrumque vero de illis dici nequit. Sic ex. gr. beneficium restitutionis in integrum privilegium quidem militum est (*per hyp.*): Non tamen illis, qua talibus, sed qua reipublicæ causa absentibus competit; Et adeo cum omnibus, qui reipublicæ causa absunt, illis commune, neque ipsorum proprium est.

§. 323.

Jura militaria, sine quibus nempe milites obligationibus suis satisfacere nequeunt, ipso jure naturæ competunt. *Jure naturæ competunt.*

Ratio enim jurium militarium in militia continetur (§. 321.). Posita itaque militia, ponantur etiam jura militaria, necesse est (§. 118. *Ontol. WOLF.*). Cum vero militia dicatur status militum, qua talium (§. 83.): Posita notione militum ponitur etiam militia; Adeoque & ponuntur jura militaria. Jura itaque militaria ex notione militum deduci possunt. Quæ vero ex notione militis deduci queunt, juris naturæ sunt (§. 110.). Jura itaque militaria, sine quibus nempe milites obligationibus suis satisfacere nequeunt, ipso jure naturæ ipsis competere debent.

Simili ratione, quam in scholio ad §. præced. adduximus, apparet, cur juribus militaribus, quæ jure naturæ competunt, determinationem addiderimus, sine quibus milites obligationibus suis satisfacere nequeunt. Dantur enim quidem jura & privilegia militum, quæ jus naturæ ignorat, & quæ solo jure positivo ipsis conceduntur. Hæc vero proprie militaria non sunt. Uti in sequentibus suo loco evincetur.

§. 324.

Militibus competunt jura naturalia,

Militibus jura ea competere debent, quæ hominibus, qua talibus, in genere, ipsa natura competunt, sive naturalia.

Hominibus enim, qua talibus, ipsa natura jura competere, & competere debere, per se notum est (§. 45. *Instit. jur. n. & g. WOLF.*), utpote quæ in jure naturæ traduntur & naturalia dicuntur. Milites vero non desinunt esse homines propterea, quod milites fiant (*dem.* §. 118.). Patet itaque, quod militibus etiam competere debeant jura ea, quæ hominibus in genere, qua talibus, competunt.

Hoc vero supponit, quod eorum jurium quoddam vel quædam specialiter ipsis jure positivo ademta non sint. Cum enim in genere in civitate ex naturaliter licito lege civili fieri possit illicitum (§. 977. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*); Milites autem civitatem supponant (§. 18.); Et leges militares sint etiam civiles (§. 97.): Quod lege etiam militari ex naturaliter licito fieri possit illicitum, dubium esse nequit. Cum vero licitum dicatur, ad quod nobis jus est (§ 170. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Et legibus militaribus teneantur milites (§ 135.): Jura etiam iisdem adimi posse apparet, quæ natura ipsis, sive qua hominibus, competerent. Uti suo loco demonstrabitur. Jura etiam naturalia militibus competere non posse, si quæ obligationibus illorum contrariantur, mox evincetur.

§. 325.

ut & civilia.

Similiter militibus ea jura competere debent, quæ civibus, qua talibus, in genere, competunt, sive civilia.

Cum enim cives, qua tales, statum peculiarem sortiantur, qui civilis dicitur (§. 127. *Part. 1. Jur. nat. W.*); Status autem, moralis nempe, uti obligationes, ita & jura peculiaria involvat (§. 123. *loco cit.*): Civibus

bus etiam, qua talibus, jura peculiaria competere, apparet & per se notum est, quæ civilia dicuntur. Quare cum & milites sint cives (§. 77.): Militibus etiam jura ea competere debere, quæ in genere civibus, qua talibus, competunt, sive civilia, intelligitur.

Pari vero ratione ut in scholio ad §. præc. patet, militibus etiam adimi posse jura, quæ aliis civibus competunt. Cum enim dentur jura militum diversa a juribus civium reliquorum (§. 81.); Illa vero per statum ipsorum determinentur (§. 82.): Jura civium, quæ statui eorum repugnant, ipsis competere nequeunt. Id quod & §. statim sequenti demonstrabitur. Suo vero loco etiam ostendetur, militibus jura ea adimi posse.

§. 326.

Si quæ jura naturalia vel civilia repugnant obligationibus militaribus, eadem militibus competere non possunt. *Quænam competere non possint.*

Jus enim saltem in facultate agendi consistit (§. 954. *Part. 1. Theol. nat. W.*). Quare cum facultas sit possibilitas agendi (§. 716. *Ontol. W.*): Possibile saltem est, ut agas, ad quod tibi jus est. Quare cum militibus jura naturalia (§. 324.) & civilia competant (§. 325.): Possibile saltem est, ut agant ea, quæ homines, aut cives reliqui agere possunt; Ut vero agant, necessitas non adest. Obligatio contra in necessitate agendi consistit (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Necessarium itaque est, ut agas, ad quod obligaris. Quare cum necessarium dicatur, cujus contrarium impossibile est (§. 279. *Ontol. W.*): Impossibile est, ut agas contrarium ejus, ad quod obligaris. Quare cum hic jura naturalia aut civilia obligationibus militaribus repugnare supponantur (*per hyp.*); Obligationes militares vero militibus, qua talibus, incumbant (§. 120.): Impossibile est, moraliter nempe, ut ea faciant, quæ vi illorum jurium facere possent. Patet itaque, quod jura naturalia et civilia militibus competere non possint, si quæ obligationibus militaribus repugnant.

§. 327.

Jura, quæ militibus, tam qua hominibus, quam qua civibus competunt, militaria non sunt. *Ea militaria non sunt.*

Jura enim, quæ militibus, qua hominibus, vel qua civibus competunt, tribui etiam debent hominibus & civibus in genere (*dem. §. 324. 325.*). Militum adeo non propria, sed illis cum aliis communia sunt. Quare cum jura militaria dicantur, quæ militum propria sunt, sive, quæ ipsis, qua talibus, competunt (§. 319.): Facile apparet, quod jura, quæ militibus, qua hominibus, aut qua civibus, competunt, militaria non sint.

§. 318.

Ad quanam ipsis jus sit in genere.

Militibus jus esse debet ad omnia, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt.

Milites enim obligantur ad bellum gerendum, adeoque ea omnia, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt (§. 157.). Quare cum militibus jus esse debeat ad omnia, sine quibus satisfacere nequeunt obligationibus suis (§. 315.): Ipsis etiam jus esse debet ad omnia, sine quibus obligationi huic bellum gerendi satisfieri nequit, sive, quæ ad illud gerendum necessaria sunt.

Est hoc jus militum generale, quod specialia sub se eo comprehendit.

§. 329.

Ad quanam in specie.

Simili modo, cum milites ad vim hosti inferendam (§. 158.), vim ejusdem arcendam (§. 160.), adeoque ad ministerium belli (§. 163.) actus bellicos committendos, operationes bellicas & hostilitates suscipiendas (§. 236.) & alia huc facientia obligentur, sine quibus bellum geri nequit, sive, quæ ad illud gerendum necessaria sunt: *Militibus jus esse debet ad ea facienda, sine quibus vis hosti inferri, sive vis ejusdem arceri nequit, & adeo, ad ea quæ ministerium belli exigit, & sine quibus actus bellici committi, operationes bellicæ & hostilitates suscipi nequeunt.*

Nonnulla hic saltem recensentur, ad quæ militibus in specie jus esse debet, quæ vero reliqua omnia involvunt. Sic ad vim hosti inferendam etiam requiritur, ut cum illo pugnent, prælia committant, obsidiones suscipiant, & alia; Ad vim ejus arcendam, ut ipsi resistant, urbem obsessam defendant, et alia. Facile itaque patet, militibus etiam jus esse debere ad ea, sine quibus hæc fieri nequeunt. Quæ vero singula recensere operæ pretium non erit: Cum statim intelligantur, modo obligationes eorum cognoveris.

§. 330.

Quousque jus illorum procedat.

Milites tamen *non majorem vim hosti inferre, nec plures aut majores hostilitates committere queunt, quam fieri vult auctor belli.*

Milites enim in bello gerendo alia facere non possunt, quam quæ auctor belli ad idem gerendum necessaria judicat, & fieri vult (§. 174.). Ut vero hosti vis inferatur, hostilitates committantur, reliqua, ab bellum gerendum pertinere, per se patet. Milites itaque & in vi hosti inferenda, hostilitatibus exercendis, reliquis, alia facere nequeunt, sive ulterius procedere nequeunt, quam auctor belli necessaria judicat, & fieri vult.

Rursus

Rursus hoc de quibusdam saltem juribus exempli loco demonstratur, quod milites in eorum exercitio ultra voluntatem auctoris belli procedere non possint. Facili autem applicatione parebit, idem etiam de reliquis omnibus valere.

§. 331.

Milites itaque *hostilitates committere nequeunt sine jussu aut concessione expressa vel tacita auctoris belli sive præfectorum* (§. 912. *Jur. gent.* *WOLF.*). *Quousque hostilitates committere possint,*

Milites enim alias hostilitates committere nequeunt, quam quas vult auctor belli (§. 330.). In hostilitatibus itaque exercendis sequi debent voluntatem ejusdem. Voluntas vero verbis vel factis declarari, adeoque vel expressa, vel tacita esse potest (§. 3. *Part. 3. Jur. nat. W.*). Quare cum significatio voluntatis de eo, quod ab altero fieri volumus, jussus dicatur (§. 983. *Part. 1. Theol. nat. W.*); Concessione vero sive permissione significetur voluntas de eo, quod alius facere possit, licet facere non obligetur: Patet, quod milites absque jussu sive concessione expressa vel tacita auctoris belli hostilitates committere nequeant. *Q. e. 1.*

Et cum facile quisque largietur, hoc ex imperio illo provenire, quod auctori belli in milites competit (§. 176.); Auctor vero belli per præfectos militum imperium hoc exerceat (§. 185.); Facile patet, quod pro voluntate ipsius auctoris belli habenda sint, quæ a præfectis jubentur sive conceduntur. Quare cum & milites ad ea obligentur, quæ a præfectis ipsis mandantur (§. 221.): Nec hostilitates committere queunt absque jussu sive concessione tacita vel expressa præfectorum. *Q. e. 2.*

In exercitio tamen eorum, quæ in bello licent, officia naturalia observanda esse, jam alibi monuimus. Licet enim, si superior illicita, naturaliter nempe talia, permittat, impunitatem quidem det agendi (§. 975. *Part. 8. Jur. nat. W.*); Non tamen conscientia eo salvatur.

§. 332.

Quare cum contributiones militares (§. 843. *Jur. gent. WOLF.*), direptiones (§. 845. *loc. cit.*). & deprædationes (§. 849. *ibid.*) ad hostilitates referantur; Milites vero hostilitates ultra voluntatem auctoris belli sive præfectorum exercere non possint (§. 331.); Et præfecti militum imperio aliorum, & tandem ducis summi, uti & hic, auctoris belli, subsint (§. 201. 205.): *Milites & eorum præfecti contributiones militares exigere, direptiones & deprædationes committere nequeunt absque expressa vel tacita voluntate sive concessione auctoris belli & præfectorum, quorum imperio subsunt.* *ut & direptiones, deprædationes & contributiones exigere,*

Legi sane merentur, quæ de restricta militum & præfectorum libertate, hostilitates committendi monuit vir perillustris L. B. de WOLF in scholio ad §. 912. egregii operis Juris gentium.

§. 333.

& pugnare cum hoste. *Milites absque mandato pugnare cum hoste non possunt.*

Pugnare enim cum hoste ad hostilitates sine dubio referendum est (§. 235.); Hostilitates vero sine jussu aut concessione expressa vel tacita committere, militibus non licet (§. 331.). Pugnare itaque etiam licere nequit, nisi voluntas sufficienter declarata adsit (§. 3. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*); Nec eandem præsumere licet (*schol.* §. 912. *Juris gent.*). Quare cum voluntas de eo, quod a militibus fieri debeat, mandato demum sufficienter declaretur (*schol.* §. 222.): Apparet, milites absque mandato pugnare non posse.

§. 334.

Res hostiles capere. *Militibus etiam jus esse debet, res mobiles hostium abripiendi sive capiendi.*

Militibus enim jus esse debet ad omnia, quæ ad vim hosti inferendam necessaria sunt (§. 329.). Vis vero non semper immediate personæ hostis, sed & rebus ejusdem inferre datur (§. 250.). Quod cum & fiat, si res ejusdem mobiles abripiantur sive capiantur: Militibus quoque illud faciendi jus esse debet.

Quod naturaliter licitum sit, res hostiles in bello capere, demonstratur §. 849. *Jur. gent. WOLF.* Hic vero supposita permissione juris naturæ, saltem deducitur, quod & militibus hoc jus competere debeat. Nec hoc frustra fieri crediderim. Licet enim in genere hostilitates in bello licitæ sint: Non tamen a quovis committi possunt; Sed hoc jus militibus solis vindicandum est. Cum vero milites jura sua hostilitates committendi absque permissione auctoris belli, sive præfectorum exercere nequeant; Illud etiam de hoc valere, me etiam non monente intelligitur.

§. 335.

Prædæ definitio. Res mobiles hostiles, quæ in bello abripiuntur sive capiuntur a militibus, *Præda* dicuntur.

Quomodo a *manubiis* differat, & quænam ad eam referenda sint, pluribus explicatur §. 848. *Jur. gent. W.* & *scholio* ad eundem.

§. 336.

Milites prædam facere possunt, Quare cum militibus jus sit res mobiles hostium capiendi (§. 334.); Res vero hostiles mobiles præda dicantur (§. 335.): *Militibus jus etiam esse debet prædam faciendi.*

Quæ vero in scholio ad §. 334. monentur, huc etiam debent applicari.

§. 337.

§. 337.

Milites tamen prædam suam facere sive sibi retinere non possunt, nisi & quatenus illud ab auctore belli permittitur. *non vero sibi retinere.*

Præda enim est summarum potestatum, quorum est bellum (§. 852. *Juris gent WOLF.*), hoc est auctoris belli (*§.* 9.); Neque jus ullum ad eandem militibus sive eorum præfectis competit (§. 853. *loco cit.*). Quodsi itaque auctor belli non consentiat, ut milites illam retineant: Si hoc faciant, illo invito rem, quæ ejusdem est, sibi attribuunt. Quoniam vero nemo alteri invito rem suam auferre debet (*§.* 497. *Part.* 2. *Jur. nat. W.*): Nec milites absque consensu auctoris belli prædam suam facere, sive sibi retinere possunt. Cum vero invitus non sit, si vel quatenus illud permittit: Quod milites prædam retinere possint, si & quatenus auctor belli illud permittit, simul intelligitur.

Deprædatio enim, etsi fiat a militibus, non tamen fit jure militum, sed jure summæ potestatis, quæ iisdem utitur tanquam instrumentis in actibus bellicis, seu juris sui executione in bello (*schol.* §. 852. *cit.*). Jure quidem romano, ea quæ ex hostibus capiuntur, asseruntur, & jure quasi gentium, capientibus (*l.* 5. *§* 7 *ff. de Adq. rer. dom.*), & GROTIUS disputationem illam, cui res hostium acquirantur, propter dissensum juris interpretum pro graviori reputat (§. 8. *Cap.* 6. *lib.* 3. *de J. B. & P.*). Omnem vero difficultatem inde evenire, quod non ex ipsis rerum notionibus quæstiones definire soleant, sed per rationes extrinsecas opiniones defendant præconceptas, monuit L. B. de WOLF *in scholio ad* §. 854. *loc. cit.* Si praxin spectes, variam eam invenies: Plerumque tamen præda, vel certa quædam ejus pars militibus concessa, aut inter eos distributa fuit. Quorum plura exempla recenset GROTIVS loco citato. Res privatas, capientibus relinqui, publicas vero auctori belli reservari, plerisque legibus militaribus constitutum est; Quarum summam dedit CHRIST. WILDVOGEL in *Diss. de Præda militari*, *habita Jenæ* 1713. *& recusa* 1745 Quibus & consentiunt Hassiacæ art. 75. Licet itaque jure naturæ præda non nisi auctori belli asseri queat: Ab ejus tamen arbitrio dependet, quomodo de eadem disponere velit, cum illud pro lubitu possit (§. 855. *l. c. WOLF.*). Et cum in sequentibus evincetur, quod conveniat, militibus præmia etiam constitui: In præmium illam militibus aliquatenus relinqui, maxime convenit.

§. 338.

Militibus ab auctore belli ea præstari debent, sine quibus obligationibus sive officiis suis satisfacere nequeunt. *Quænam ab auctore belli præstanda sint.*

Militibus enim jus est ad omnia ea, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt (*§.* 316.). Quodsi itaque ad satisfaciendum obligationibus suis requiratur, ut quædam ipsis præstentur (*per hyp.*): Ad eadem

dem etiam illis jus esse debet. Cum vero jus ex obligatione oriatur (§. 23. *Part. 1. Jur. nat. W.*): Jus illud etiam competere debet contra eum, cui obligantur. Obligantur vero populo sive ejus rectori, cujus milites sunt (§. 129.), hoc est, auctori belli (§. 10.): Jus itaque illud contra auctorem belli competit. Jus vero obligationem supponit (§. 23. *cit.*): Auctor itaque belli obligari debet ad militibus ea præstanda, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt. Atque adeo patet, quod militibus ab auctore belli præstari debeant ea, sine quibus obligationibus, sive officiis suis satisfacere non possunt.

Idem itaque est, ac si assereretur, auctorem belli ad ea præstanda obligari. Quoniam vero hic jura militum explicantur; Illud potius per modum juris militibus competentis, quam obligationis auctori belli incumbentis enunciari, e re visum fuit. Quod etiam de sequentibus notandum erit.

§. 339.

Sustentatio illis præstanda est.

Militibus itaque sustentatio debet præstari ab auctore belli.

Milites enim operas suas ad ministerium belli impendere debent (§. 173.). Aliis itaque rebus ipsis vacare non datur, quibus aliquid acquirere, adeoque sustentationem sibi acquirere possent. Per ministerium itaque ipsum belli impediuntur, quo minus de sustentatione sibimet ipsi prospicere queant. Absque tamen sustentatione ministerium belli præstari non posse, nullo negotio intelligitur. Quare cum ad illud obligentur (§. 163.): Milites absque sustentatione obligationi huic satisfacere nequeunt. Si itaque hoc fieri debeat: Sustentatio ipsis porrigenda est. Quare cum ea, quibus milites indigent ad satisfaciendum obligationibus suis, ipsis præstanda sint, ab auctore belli (§. 338.): Et sustentatio illis præstari debet.

Pro statu militiæ fieri equidem etiam potest, ut milites proprio sumtu se alere debeant; Prout de Romanis veteribus & Germanis illud comprobat Sam. STRYCK in *Diss. de Provisione militum* §. 2. Et quod Vasalli propriis sumtibus militare debeant, nemo ignorat. Pactis etiam hoc effici posse, si ei, qui militat, bona sint, ex quibus de sustentatione sibi prospicere queat; Vel etiam statu reipublicæ alia ratione constituto, cives, si hoste imminente tantum ad arma vocentur, quantum possunt, semet ipsos alere teneri, dubium esse nequit. Cum vero casus hic specialis non supponatur, ubi de jure in genere agitur: Aliud asseri nequit, quam quod si homines quidam militiæ se dedant, eoque impediantur acquestum facere eorum, quæ ad eorum sustentationem requiruntur, eadem ipsis suppeditari debere. Hodiernæ militiæ ratio, quæ mercenaria et perpetua est, præsertim vero hoc exigit. Et eo res rediit, ut per militiam sustentationem quærant homines, qui alia ratione illam sibi comparare aut non possint, aut non æque commodum reputent.

§. 340.

§. 340.

Militibus provincialibus sustentatio non præstanda est, nisi actu ad servitia militaria adhibeantur. *Quando militiæ provinciali.*

Militibus enim sustentatio propterea dari debet, quia propter ministerium belli ab illis præstandum, ipsimet eidem prospicere, & aliquid acquirere nequeunt (*dem.* §. *339.*). Milites vero provinciales ad servitia militaria continuo non adhibentur (§. 258.). Adeoque etiam aliis negotiis, quibus quid acquirere licet, vacare ipsis datur. In militibus itaque provincialibus cessat ratio, cur sustentatio militibus continuo dari debeat. Quare cum uti posita ratione sufficiente ponendum sit, quod propter eam est (§. *118. Ontol. W.*); Ita & cessante eadem, etiam hoc cesset: Patet, quod militibus provincialibus sustentatio continuo præstanda non sit. *Q. e. 1.*

Cum vero si ad servitia actu adhibeantur, impediantur, aliquid acquirere, quo ipsimet sustentationi suæ consulere possint (*dem.* §. *339.*); Ratio adest, cur militibus sustentatio porrigi debeat (*per dem. n. 1.*). Quare cum posita ratione sufficiente ponendum etiam sit, quod propter eam est (§. 118. cit.): Sustentatio etiam militibus provincialibus in illo casu præbenda est. *Q. e. 2.*

§. 341.

Sustentatio militibus vel in natura sive specie præberi, vel ad ejus comparationem pecunia solvi potest. *Quomodo sustentatio præbeatur.*

Cum enim sustentatio hominis requirat, tam ut corpus alatur, quam contra injuriæ temporum tegatur (*per not.*): Ea, quæ ad alendum corpus vel tegendum faciunt militibus, vel in natura præstari, vel aliud quid ipsis dari debet, quo eadem comparari possint. Quare cum res ea, qua res aliæ comparari possunt, pecunia dicatur (*per hyp.* & §. *290 Part. 4. Jur. nat. W*): Sustentatio militibus vel in specie potest præberi, vel ad eandem comparandam pecunia solvi.

Quodnam præstet, hujus loci proprie non est, definire, ubi de prudentia militari non agitur. Unum tamen vel alterum indigitandi forsan occasio dabitur, si ad specialia venerimus. Romani jam olim partim cibaria, partim pecuniam dabant (de LUDEWIG in *Differ. juris rom. & germ. in re militari Differ. 1. nota b. pag. 4.*

§. 342.

Aes sive pecunia, quod vel quæ militibus sustentationis, victus præsertim, gratia datur, *Stipendium* dicitur (§. *760. Jur. gent. WOLF.*). *Stipendii definitio.*

Ab initio quidem militibus stipendia non præbebantur, ita ut Romanis illud saltem anno U. C. 359. receptum fuerit. Nec apud Germanos olim militia mercenaria fuit. Uti jam monui ad §. 339. Postea vero stipendium adeo proprium factum fuit militum, ut stipendia mereri idem sit, ac militare, & apud nos milites a stipendio, *Solde*, denominationem *Soldaten*, desumserint (LUDEWIG *loco cit.* §. 1. *nota b.* & *e. p.* 4 & 12. Stipendium vero non pro omni sustentatione, sed quædam hujus pars etiam in natura dari solet, uti apud Romanos jam obtinuisse, ad §. præced. adnotavimus.

§. 343.

Pecuniæ diurnæ definitio.

Stipendium, quod militibus provincialibus, si actu ad servitia adhibeantur, solvi solet, cum in singulos dies solvatur, in specie *diurnum*, sive *pecunia diurna*, *Tagegeld*, dici suevit.

Militibus provincialibus enim, si actu serviant, sustentatio etiam præbenda est (§. 340.). Et cum id vel in natura, vel mediante pecunia fieri possit (§. 341.); Pecunia vero, quæ sustentationis gratia militibus solvitur, stipendium dicatur (§. 342.): Iis etiam vel sustentatio reipsa porrigenda, vel stipendium solvendum est. Cum ad sustentationem re ipsa præstandam apparatus requirantur qui non statim adsunt, ac milites provinciales servitiis adhiberi, necesse est; Cum id inopinato sæpe eveniat: Eo casu stipendium potius illis solvi solet, & quidem, cum servitia eorum pacis præsertim tempore paucis sæpe diebus absolvantur, in singulos dies, per quos servierunt. Præfectis vero eorum, cum rei militaris gnari esse debeant, adeoque ex veteranis sumi soleant, qui acquæstum alium facere nequeunt, stipendia continua solvi quidem suevit Quæ vero cum sint exigua: Nonnunquam, si actu serviant, diurna adduntur.

§. 344.

Stipendium merces est.

Cum sustentatio militibus propter operas militares, quas nempe ministerium belli requirit, præbeatur (*dem.* §. *339.*); Sipendium vero sustentationis gratia militibus solvatur (§. 342), & pretium operarum merces dicatur (§. *327 Part. 4. Jur. nat. W.*): *Stipendium merces est, quæ pro operis militaribus, sive labore militari solvitur* (§. *760. Jur. gent. W.*).

§. 345.

Contractus milit. est locatio conductio.

Contractus itaque *militaris est locatio conductio.*

Milites enim ad certas operas, militares nempe, præstandas obligantur (§. 173.), & conductitii quidem vi contractus militaris (§. 57.). Pro illis vero ipsis merces quædam datur (§. 344.). Ex contractu itaque militari certæ operæ præstandæ sunt pro certa mercede. Quare cum contractus, quo certa opera pro certa mercede præstatur, locatio conductio

ctio vocetur (§. 1194. *Part.* 4. *Jur. nat. W.*): Contractum militarem locationem conductionem esse apparet.

Hinc etiam est, quod miles, qui ex contractu militari talis fit, conductitius appelletur (§. 37). Professor quidem in academia Rinteliensi cel. PAUL. PHIL. WOLFHARD in programmate, quod *de locatione militum* inscripsit, *pag.* 3. contractum militarem, locationem conductionem esse, propterea negavit, quod operæ militares, cum periculo vitæ & membrorum sint conjunctæ; Libertas vero, vita & membra pro rebus taxari solitis censeri nequeant; Neque adeo pretium recipiant. Si tamen rem curatius inspicias: Facile elucescet, objectionem hanc nullam esse. Non enim libertas, vita & membra locantur, sed operæ militares. Hæ vero non necessario vitæ aut membrorum privationem involvunt. Quod autem cum ipsorum periculo connectantur, hoc saltem ex accidenti est. Dantur enim etiam aliæ operæ, quæ cum eodem periculo conjunctæ sunt, quas tamen nemo locati posse negabit. Exemplum vulgare habemus in contegulatoribus, qui tecta ædium exstruunt, vel reficiunt, & aliis. Hoc equidem certum esse existimo, contractum militarem, secundum regulas juris civilis de locatione conductione dijudicari non posse, & in eo lubens accedo. Si vero ex notionibus ratiocinari velis, eundem locationem conductionem esse, qualem ipso jure naturæ obtinere evincitur, negari nequit. Determinationes enim, quæ notionem hujus ingrediuntur, insunt etiam contractui militari. Cui vero definitio competit, ei & competat definitum, necesse est (§. [illegible]6. *Log. WOLF.*). Et cum de specie valere debeant, quæ de genere (§. 235. *ib.*): De contractu militari etiam valere debent, quæ de locatione conductione juris naturæ sunt: Nisi quatenus forsan determinationes peculiares accedant. Quare & vir supra laudatus eundem jure gentium, quod ipsi dicitur, locationem appellare ipse non dubitat.

§. 346.

Stipendia militibus præcise sive promte solvenda sunt. *Stipendia promte solvenda.*

Stipendia enim militibus sustentationis gratia solvuntur (§. 342.). Cum itaque milites propter ministerium belli impediantur, sustentationem alio modo acquirere: Si stipendia ipsis non præcise seu promte, hoc est, debito tempore solverentur, evenire facile posset, ut sustentatione carerent. Militem vero, ut in genere quemque, sustentatione carere & obligationibus suis satisfacere non posse, facile intelligitur. Quoniam itaque militibus ea præstanda sint, sine quibus obligationibus suis satisfacere non possent (§. 338.): Militibus etiam stipendia præcise seu promte solvenda sunt (§. 761. *Jur. gent. WOLF.*).

Incommoda, quæ ex non præcisa sive negligenti solutione stipendiorum emergunt, recensentur in scholio ad *loc. cit.* Simul vero patet, pro promta solutione stipendiorum militibus nihil detrahendum esse. Pro

ſtipendiis enim milites operas militares præſtant (§. 344.). Adeoque cum illa ipſo jure præciſe ſive promte ſolvenda ſint (*per dem.*): Ratio non adeſt, cur præter operas militares aliud quid adhuc pro eorum ſolutione darent. Quare cum absque ratione ſufficienti nihil admittendum ſit (§. 70. *Ontol W.*): Nec pro promta ſtipendiorum ſolutione militibus aliquid derrahendum eſt, utpote quæ ipſis ipſo jure competit.

§. 347.

Quando quid præter ſtipendia.

Si milites pacis tempore ad exſtructionem vel reparationem munimentorum, aut alios etiam labores graviores, qui ad miniſterium belli non pertinent, adhibeantur, ipſis præter ſtipendia mercedem aliquam ſolvi convenit.

Milites enim quidem & pacis tempore ad exſtructionem vel reparationem munimentorum (§ 284.), vel alias etiam functiones, quas miniſterium belli proprie non exigit, adhiberi poſſunt (§. 280.). Proprie tamen ad operas modo militares obligantur (§. 173.), & pro his ipſis ſtipendia ſolvuntur (§. 344). Si itaque ad alia, præſertim labores graviores adhibeantur: Operas præſtant, pro quibus ipſis nihil ſolvitur, & ad quas non proprie, nec ex alia cauſa, obligantur. Quod hic ſupponitur. Quare cum nemo teneatur alteri gratis dare, vel facere, ſi is viciſſim dare vel facere poſſit (§ 268. *Part. 4. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod utique conveniat, militibus præter ſtipendia mercedem aliquam ſolvi, ſi pacis tempore ad exſtructionem vel reparationem munimentorum, vel alios labores graviores adhibeantur, qui ad miniſterium proprie non pertinent.

Aequitatem hanc naturalem praxis etiam agnoſcit. Fieri enim ſuevit, ut in ejusmodi caſibus tam pani, quam ſtipendio militum additamentum aliquod fiat. In levioribus negotiis vero, & quæ brevi tempore peraguntur, extraordinariam mercedem jure exigere poſſe non apparet. Ex eodem enim principio jam allegato, quod nemo gratis quid dare vel facere teneatur, ſi alter viciſſim quid dare vel facere poſſit, ſimili modo elucet, quod, cum ſtipendia militibus pacis æque atque belli tempore ſolvantur, iisdem etiam extra functiones belli proprias alia etiam committi poſſint. Cum enim functiones bellicæ tempore pacis aut plane ceſſent, aut frequentes adeo non ſint, ut milites ſatis occupent (*per dem.* §. 280.): Pro mercede, quam recipiunt, aut nihil aut parum viciſſim facerent. Quod æquitati naturali repugnat.

§. 348.

Quando ſtipendia augenda.

Militibus tempore belli ſtipendia augeri, vel majora exſolvi, quam pace, convenit.

Quoniam is, qui aliquid dat vel facit, tantundem ab altero recipere debet

debet (§. *270. loc. cit.*), si nempe ille gratis dare vel facere nolit; Quod hic non supponitur: Et adeo ratio rerum & operarum determinanda sit (§. *271. ibid.*): Qui operas plures vel majores præstat, plus etiam seu majorem mercedem ab altero recipiat, necesse est. Milites vero tempore belli plures & graviores operas præstare, quisque facile concedet. Quare cum militibus pro operis militaribus stipendia solvantur (§. 344.): Hæc etiam tempore belli augeri, vel majora exsolvi, quam pace, convenit.

Hoc etiam praxi rursus comprobatur. Militibus enim actu militantibus pinguiora solvi stipendia, cuivis constat. Hinc etiam est, quod tempora belli militibus adeo sint exoptata. Præter rationem illam juris intrinsecam vero aliæ externæ etiam accedere possunt. Tempore enim belli pretia rerum augeri solent. Non itaque eadem pecunia ea, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur, comparari possunt. Quare cum stipendia sustentationis gratia dentur, & in pecunia consistant (§. 342.): Eadem etiam ex hac ratione augeri necesse est. Imo etiam illud nonnunquam propterea fieri solet, quia pretia rerum majora sunt in ea provincia, in qua militatur. Sic v. gr. copiis germanicis, quamprimum Rhenum transgressæ fuerint, stipendia in ejusmodi pecuniæ specie solvi solent, qua illa ad tertiam usque partem augentur.

§. 349.

Militibus victus & amictus, qui dici solent, dari debent, & quidem vel in specie vel pecunia ad eorum comparationem. *Victus & amictus præbendus.*

Victus enim & amictus ad sustentationem requiruntur (*per exper.*). Quare cum militibus sustentatio præbenda sit (§. 339.): Iisdem etiam victum & amictum præberi debere, apparet. *Q. e. 1.*

Et cum sustentatio vel in specie præberi, vel pecunia ad ejus comparationem solvi possit (§. 341.): Idem quoque de victu & amictu facile intelligitur. *Q. e. 2.*

§. 350.

Præstat militibus victum, saltem præcipuum, in specie, adeoque frumenta sive panem ex iis coctum dari, quam pecuniam ad ejus comparationem. *Victum in specie dari præstat.*

Milites enim ad ministerium belli (§. 162.), & operas, quas illud involvit, sive militares obligantur (§. 173.). Ut itaque in eo statu conserventur, quo illas præstare possint, maxime interest auctoris belli. Ad operas vero militares robur corporis requiri, nemo est, qui negabit. Hoc autem cum sanitate admodum connexum est. Ut adeo milites ad ministerium belli, sive operas militares apti maneant, requiritur, ut sanitas

 nitas

nitas eorum conservetur; Et cum hæc etiam a cibo magnam partem dependeat (*per not.*), ut cibo sano utantur. Tutius itaque est, ut ipsis talis, præcipuus saltem, præbeatur, quam ut arbitrio eorum relinquatur, quo uti velint; Præterea, cum pecunia, quæ ipsis ad ejus comparationem datur, facile alio modo dilapidare & dein cibo necessario plane egere possent. Cum itaque cibus præcipuus, apud nos saltem, & qui sanum se exhibet, sit panis, qui ex frumentis coquitur; Coctio vero panis varios apparatus, quibus milites, præsertim in expeditione constituti carent, & labores, quibus propter negotia bellica vacare ipsis non datur, requirat (*per exper.*): Nemini dubium erit, quod præstet, militibus, præsertim in expeditione constitutis, victum saltem præcipuum, in specie, adeoque frumenta sive panem ex iis coctum præbere, quam pecuniam ad ejus comparationem.

Maxima hinc etiam apud Romanos cura fuit, ut annonæ militari, quæ dicitur, rite prospiciatur. Quo faciunt toti tituli Cod. *de Erogatione*, ut & *de excoctione & translatione militaris annonæ*. Quare & in formando exercitu a ventre incipiendum esse, illustrem Galliæ Admiralem, COLINIUM dixisse, ex THUANI Lib. 42. memorat BEIER in *Juris milit. prud.* §. 1065. *p. m.* 473. Propter alias quidem rationes convenientius equidem haberi potest, ut annona militibus non in specie præbeatur, v. gr. si per agros nimis sparsi sint. Quod vero casus saltem particularis est, & præstantiam generaliorem non tollit Hujus autem loci non est, ad specialiora descendere. Cum hæc quasi in transitu dicantur.

§. 351.

Annonæ militaris definitio. Quæcunque militibus ad eorum sustentationem in specie præbentur, præsertim vero frumenta, sive panis, qui ex iisdem coquitur, ***Annona militaris*** dicuntur.

Commeatus equidem etiam dici solet. Quoniam vero hoc vocabulum & in alio significatu sumitur, pro literis nempe veniæ testibus (§. 278.): Consultius erit, ab eodem hic abstinere, & voce annonæ uti.

§. 352.

Vestes dandæ sunt, Cum militibus sustentatio (§. 339.) & in specie amictus præberi debeat (§. 349.); Vestes vero ad sustentationem pertineant, & amictus nomine præsertim veniant (*per notoria*): *Militibus* etiam *vestes dandæ sunt.*

§. 353.

uniformes sint. *Vestitum militum uniformem esse convenit.*

Refert enim in acie præsertim, ut milites tam ab hoste, quam milites cohortis sive classis unius a ceteris distingui possint. Diffusi enim ita

ita facilius in unum colligere se possint, & ne in proprios, hostes eos putantes, arma sua convertant, cavetur. Quare cum milites tam ab hostibus, quam diversarum classium inter se distingui possint, si vestitus eorum uniformis, hoc est, ejusdem coloris & structuræ sit; Nequeant vero, si varius, aut pro lubitu cujusque sit (*quod per se patet*): In ipsa re ratio aliqua invenitur, cur uniformis potius, quam varius sit; Adeoque & illud convenit.

§. 354.

Vestes itaque militibus in natura sive specie dari præstat, quam pecuniam ad earum comparationem. *in specie dandæ sunt.*

Cum enim sustentatio (§. 341.) & in specie amictus vel re ipsa, vel pecunia ad ejusdem comparationem dari possit (§. 349.): Vestes quoque vel in ipsa specie, vel pecunia ad eas comparandas dari possent. Si vero posterius fieret, adeoque militibus cura vestes ipsimet sibi comparandi relinqueretur: Facile apparet, uniformitatem earundem aut difficiliorem saltem evadere obtentu aut plane impossibilem; Quare cum conveniat, ut vestitus militum uniformis sit (§. 353): Patet, quod præstet, vestes militibus dari in ipsa specie, quam pecuniam ad earum comparationem.

Accedit, ut & in victu, ratio alia, quod gregariis aurum non tuto committatur. Fieri itaque facile posset, ut pecuniam vestitui destinatam, dilapident, & hoc deinde careant, adeoque ad servitia præstanda inhabiles reddantur. Jure hinc etiam romano constitutum est, ut minoribus gregariisque militibus vestis in ipsa specie præbeatur (*l. 4. Cod. de Veste militari.*).

§. 355.

Militibus habitacula sive hospitia personalia debentur. *Habitacula debentur,*

Ad vitæ enim sustentationem opus quoque est, ut corpus contra injurias temporum tegatur (*per not*). Quare cum ad hoc præter vestes requiratur commoda habitatio (*per exper.*): Milites æque ac alios homines, eadem indigere, si alicubi locorum commorantur, per se patet. Cum itaque ipsis sustentatio præbenda sit (§. 339.): Habitacula etiam iisdem debentur.

Licet enim sustentationis gratia stipendia solvantur (*per hyp.*): Hoc tamen victus potissimum causa fit (§. 342.). Et cum militibus liberum esse nequeat, ubi velint, commorari; Sed id ab voluntate auctoris belli dependeat; Et ministerium belli requirat, ut milites certo loco, modo hic, modo illic juxta se invicem certo quodam ordine degant: Habitacula illorum arbitrio relinqui non possunt, sed ipsis assignanda sunt. In

repu-

republica itaque etiam singuli ædium possessores obligantur milites personali hospitio suscipere (§. 752. *Jur. gent WOLF*), nisi forsan casæ aut ædes ipsorum habitationi destinatæ peculiares sint, quæ tamen publicis sumtibus sustineri solent & *Baraquen* vel *Casernen* dicuntur (*schol. ad loc. c.*).

§. 356.

ut & lecti & ligna, *Militibus quoque lecti & ligna præberi debent.*

Ad vitæ enim sustentationem requiritur, ut corpus tam quiescat, quam contra injurias temporum tegatur (*per exper.*). Inter has vero etiam frigus præsertim hyemale est. Quare cum contra hoc se tueri detur mediante lignorum usu, uti ad quiescendum lecti faciant (*per not.*): Lecti etiam & ligna ad sustentationem pertinent. Quare cum hæc militibus debeatur (§. 339.): Et illa ipsis præstari debent.

§. 357.

non alia ab hospitibus. *Milites ab hospitibus præter ea, quæ ad habitationem faciunt, alia, ad victum præsertim pertinentia, poscere nequeunt, nisi lex aut observantia comprobata illud permittat.*

Militibus enim hospitia tantum personalia, sive habitacula debentur (§. 355.): Victus vero iisdem vel in specie præbetur, vel ejus comparandi gratia pecunia solvitur (§. 349.). Quare cum ex obligatione demum jus oriatur (§. 23. *Part. 1. Jur. nat. WOLF*); Adeoque nemo ab altero poscere possit, nisi ad quod hic illi obligatur: Milites etiam præter habitationem ab hospitibus alia poscere nequeunt. *Q. e. 1.*

Cum vero cives onera reipublicæ ferre debeant (§. 775. *Part. 8. Jur. nat. W.*); Et hinc vel extraordinaria iisdem imponi possint (§. 925. l. c.); Ad onera reipublicæ vero sine dubio sustentatio militum referenda sit: Dubium esse nequit, civibus, milites hospitantibus, injungi etiam posse, ut iisdem præter habitationem & alia præbeant, si illud e re esse videatur. Cum vero onera a superiore imponantur (§. 925. *cit.*); Voluntas hujus ad illud requiritur. Quare cum hæc prout vel expressa, vel tacita est, legem aut observantiam constituat (*per notoria*): Patet, quod si lex aut observantia illud permittat, nihil obstet, quo minus ab hospitibus præter habitationem alia etiam poscere queant milites. *Q. e. 2.*

Usus quidem, minime tamen approbatus, obtinuit, ut milites etiam alia præter habitationem, ab hospitibus exigendi jus sibi arrogent, uti v. gr. sal, acetum, ligna, ad coquendum scilicet, luminaria; Quales præstationes Romanis salgama dicebantur. Solent ejusmodi exactiones in transitu præsertim militum per territorium alienum duriores subinde esse, & vel plerumque ad illicitas usque res, uti meretrices extendi. Multus in

in hac re est Vir ill. JO. GEO. ESTOR in der *Vorstellung der Geschæffte bey einem Reichskriege* §. 37. 38. & 46. ut & BEIER in *Juris milit. prud.* §. 1078. *seqq.* Cum vero cavendum sit, ne hospitia militum malitia nimis evadant molesta, nec præter necessitatem sint sumtuosa (§. 763. *Jur. gent. IV.*); Transeuntes vero etiam ab omni injuria abstinere debeant (§. 687. l. c.): Nec injustæ tales exactiones comprobari, aut concedi possunt. Quare & legibus prohiberi solet, ne hospites ultra quam par est, onerentur. Uti in ipso jure civili passim sancitur.

§. 358.

Militibus in expeditione constitutis tentoria præbenda sunt. *Tentoria in expeditionibus.*

Militibus enim ut contra injurias temporum tegantur, habitacula debentur (§. 355.). Adeoque cum habitationis gratia ædes comparatæ sint: In ædes recipiendi sunt. Aedium vero usus in expeditionibus non datur (*per exper.*). Interim, cum ad sustentationem requiratur, ut corpus contra injurias temporum tegatur (*dem. §. cit.*); Sustentatio autem militibus debeatur (§. 339.): Alio modo prospiciendum est, ut ab injuriis temporum, quantum potest, liberentur. Quare cum eo faciant tentoria (*per hyp.*): Militibus tentoria suppeditanda esse apparet.

§. 359.

Habitacula militum sive exercitus totius sub tentoriis uno nomine *Castra* dicuntur. *Castrorum definitio.*

§. 360.

Militibus in expeditione constitutis prospiciendum est, ut quantum datur, commode quiescere, & contra frigus tueri se possint. *De quibusnam militibus in expeditione prospiciendum.*

Ad sustentationem enim etiam requiritur, ut corpus quiescat, & contra frigus tegatur; Propterea que militibus & lecti & ligna præberi debent (§. 356.). Lectos vero, qui tam ad commode quiescendum, quam frigus avertendum faciunt, pro singulis militibus in expeditionibus secum duci non posse, facile apparet. Cum vero militibus ea præbenda sint, quæ ad eorum sustentationem necessaria sunt (§. 339.): Prospiciendum est alio modo, ut milites in expeditione constituti, quantum datur, commode quiescere, & contra frigus se tegere queant.

Hinc militibus in expeditione sive castris constituris, stramen & tegumenta solent suppeditari. Non tamen & hoc semper procedit. Fieri enim etiam solet, ut nec illud possit; Sed milites & vel absque tentoriis humi saltem jacere debeant. Quare ad virtutes militum refertur, ut & necessitate exigente, absque ullis subsidiis vitam sub diu agere possint. Additur itaque, ut, *quantum datur*, ipsis prospiciendum sit.

§. 361.

Ad sustentationem necessaria exigi possunt.

Milites sustentationem, & quæ ad eandem necessaria sunt, veluti stipendia, annonam, vestes, hospitia & quæ huc faciunt, ab auctore belli exigere possunt.

Militibus enim sustentatio (§. 339.) & quæ ad eandem necessaria sunt, veluti stipendia (§. 342.), annona (§. 351.), vestes (§. 352.), hospitia (§. 355.) & quæ huc faciunt (§. 356.), ab auctore belli debentur. Quare cum debitum dicatur, ad quod agendum vel præstandum obligamur (§. 170. *Part. 1. Phil. pract. univ W.*): Auctorem belli ad ea præstanda obligari militibus apparet. Ex obligatione vero jus oritur (§. 23. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Militibus itaque etiam jus ad eadem competit, quæ ipsis ab auctore belli debentur. Cum vero eadem illis, qua militibus debeantur (*per dem.*): Jus ad eadem illis etiam qua militibus competit; Adeoque ad jura militaria referendum est (§. 319.), Jura militaria vero perfecta sunt (§. 320.). Jus itaque illud perfectum esse debet. Quare cum id, ad quod alteri jus perfectum est, perfecte etiam debeatur (§. 401. *Part. 3. loc. cit.*): Militibus sustentatio, & quæ ad eandem necessaria sunt, perfecte debentur. Cum itaque ea, quæ perfecte debentur, exigi possint (§. 795. *Part. 3. loc. cit.*): Patet, quod milites eadem ab auctore belli exigere possint.

Hic aliud nihil asseritur, quam ut milites jure perfecto velle possint, ut ipsis ea præstentur, quæ ipsis debentur, adeo ut eadem denegari nequeant ab auctore belli, & quod justam conquerendi causam habeant, si eadem ipsis denegentur. Ceterum cum inter milites & auctorem belli, qui simul superior est in civitate (§. 10.), judex non constituatur, qui hunc impellere possit ad faciendum, si non præstet, ad quod obligatur: Milites vero simul cives sive subditi sint (§. 77.), qui ad obedientiam cum patientia obligantur (§. 1043. *Part. 8 l. c.*): Apparet, quod jus cogendi, cum jure perfecto alias connexum (§. 235. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*) in militibus admodum restrictum sit.

§. 362.

Quid juris, si a præfectis debita non præstentur.

Si militibus a præfectis vel aliis, quibus auctor belli præstationem eorum committit, quæ ad sustentationem ipsorum requiruntur, eadem non præstentur, illi exigere possunt, ut hi vi adigantur ad præstandum.

Militibus enim ea, quæ ad sustentationem necessaria sunt, jure perfecto debentur (*dem.* §. 361.). Quare cum jus perfectum involvat jus cogendi (§. 235. *cit.*): Militibus etiam jus esse debet cogendi eos, qui ipsis ea non præstant, quæ debentur. Quod quatenus quoad auctorem belli restrictum sit, modo ostendimus (*schol. ad* §. 361.). Quodsi itaque

que præfectis militum vel aliis præstatio eorum, quæ ad sustentationem requiruntur, commissa sit (*per hyp.*): Si eadem non præstent, ad præstandum cogi possunt. Si quis vero cogitur, vi impellitur ad præstandum, quod alteri debetur, sed denegatur. Si itaque milites cogerent illos, qui ipsis denegant, quæ ipsis debentur: Jus suum vi persequerentur adversus eos, qui illud denegant; Adeoque bellum (§. 1.), & cum hic non nisi privati supponantur, privatum (§. 7.) oriretur. Milites vero civitatem supponunt (§. 18.). Quare cum in civitate bellum privatum tolerari nequeat (§. 560. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*) & in ejus locum judicia successerint (§. 561. *ibid.*): Milites ipsimet vi adigere nequeunt eos, qui ipsis non præstant, quæ debentur, exigere vero possunt, ab auctore scilicet belli, ut ad præstandum vi adigantur.

Per se patet, quod hoc fieri debeat ab iis, quorum imperio sive jurisdictioni subsunt illi, quibus cura sustentationis militum commissa est. Quoniam vero materiam de jurisdictione militum supponere nondum licet: In genere saltem diximus, quod exigere possint, ab auctore nempe belli, qui ad sustentationem militum obligatur. Cum enim ejusdem, qua superioris in republica (§. 10.), sit curare, ut unicuique jus suum tribuatur (§. 535. *loco cit.*): Ab ejus arbitrio dependet, quidnam de modo constituerit, quo & ii, qui militibus non præstant, quæ ipsis debentur, ad illud vi adigi possint.

§. 363.

Præfectis militum jus competit cogendi milites, ad satisfaciendum obligationibus suis, militaribus nempe, qui idem non faciunt. *Præfectis militum jus cogendi competit.*

Cum enim obligationes militares perfectæ sint (§. 133.): Milites ad iisdem satisfaciendum cogi possunt (§. 134.). Obligationes vero militares sunt erga rempublicam aut ejusdem rectorem (§. 132.), seu quod perinde est, auctorem belli (§. 10.); Et propter easdem huic imperium in milites competit (§. 176.). Vi hujus imperii itaque auctori belli competere debet jus cogendi milites ad satisfaciendum obligationibus suis. Quare cum præfectis militum imperium militare commissum sit ab auctore belli (§. 185.): Præfectis etiam militum idem jus competere debet.

§. 364.

Equitibus equi suppeditandi & pabulum eorum præbendum est. *Quid equitibus præstandum sit.*

Equites enim milites sunt, qui equo militant (§. 195.). Quare cum milites ad ministerium belli obligentur (§. 163.): Equites ad illud equo præstandum obligantur. Absque equis itaque obligationibus suis satisfacere

facere nequeunt. Cum igitur militibus ea præstanda sint, sine quibus obligationibus suis satisfacere non datur (§. 338.): Equitibus equi dari debent. *Q. e. 1.*

Equi vero absque pabulo conservari nequeunt. Quod per se patet. Equis itaque mox carerent equites, si pabulum deficeret. Cum vero absque equis obligationibus suis satisfacere non possint (*per dem. n. 1.*): Ex eadem etiam ratione, qua ante patet, quod equitibus pabulum equorum præberi debeat. *Q. e. 2.*

Non obstat, quod vasalli equis instructi ad militiam sistere se debeant, aut olim potius debuerint. Licet enim & hodienum obtineat, quod v. gr. status imperii tempore belli certum equitum equis instructorum numerum Imperatori subministrare debeant: Equi tamen non ab ipsis equitibus, sed a Statibus, qui eos sistunt, comparantur. Hæc vero omnia specialibus pactis nituntur, quæ hic non supponuntur. Propter pinguiora stipendia, quæ præfectis equitum solvuntur, obtinet equidem, ut hi ipsimet equis sibi prospicere teneantur. Sed cum in militiam tali modo subeundam consentiant: Itidem speciali pacto hoc efficitur. Et cum ea, quæ militibus præstanda sunt, vel ipsa re, vel ære præstari possint (§. 341.): Pabulum equitibus etiam hoc vel illo modo præstari posse apparet. Unde & præfectis illorum pacis præsertim tempore certa pecunia pro eodem comparando solet exsolvi.

§. 365.

Arma præbenda sunt.

Militibus arma præberi debent.

Milites enim ad vim in bello inferendam (§. 158.) & arcendam obligantur (§. 160.). Quare cum vis bellica sine armis inferri nequeat (§. 231.): Absque armis obligationibus suis satisfacere non possunt. Quare cum ea, sine quibus milites hoc nequeunt, ipsis præbenda sint (§. 338.): Quod et arma militibus debeant præstari, facile intelligitur.

Monenda tamen itidem veniunt, quæ ad §. præced. jam monuimus.

§. 366.

Quid competat in excubiis positis.

Milites in excubiis & custodiis positi tuti & securi reddendi sunt, ab omni injuria aliorum.

Milites enim in excubiis et custodiis positi ad certa observanda & facienda obligantur (§. 265. 269.). Quare cum militibus ea omnia competere debeant, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt (§. 316.): Et ea competant necesse est, sine quibus facere aut observare non possent, quorum gratia in excubiis & custodiis ponuntur; Nec adeo pati tenentur, ut alii faciant talia, quibus impedirentur obligationibus istis satisfaciendi: Cum vero qua milites ad excubias & custodias obligentur

gentur (§. 266. 270.); Jus quoque hoc militare (§. 319.) adeoque perfectum est (§. 320.). Qui itaque aliquid agunt, quo minus milites in excubiis vel custodiis constituti obligationibus suis satisfacere possint, agunt contra jus illorum perfectum; Et cum quævis actio contra jus alterius, injuria sit (§. 859. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Illis injuriam faciunt. Patet itaque, quod ab omni injuria aliorum tuti & securi reddendi sint.

Hinc legibus etiam civilibus maxima ipsis securitas præstatur, ita ut graviter puniantur & vel capite plectantur, qui milites in statione positos violant. Quod pluribus recenset MANZEL in Diss. *de Excubiis* §. 34.

§. 367.

Militibus itaque *in excubiis vel custodiis positis jus esse debet arcere omnes, qui eosdem in officio suo quocunque modo turbant.* *Jus arcendi turbatores.*

Cum actio, quatenus ad eam ita determinandam obligamur, officium dicatur (§. 224. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Milites vero excubitores vel custodes ad certa agenda obligentur (§. 265. 269.): In eo officium eorum consistit, ut ea agant. Qui itaque aliquid faciunt, quo minus milites illa agere possint, hos in officio suo turbant; Quoniam vero pati non tenentur, ut alii faciant talia, quibus impedirentur obligationibus suis satisfaciendi (*per dem.* §. 366.); Adeoque ab injuria aliorum securi reddendi sint (§. *cit.*): Arcere posse debere omnes, qui ipsos in officio suo quocunque modo turbant, facile intelligitur.

§. 368.

Militibus in excubiis vel custodiis positis licere hinc *debent omnia, quæ faciunt ad arcendos alios, qui ipsos in officio suo turbant.* *Quænam hinc liceant.*

Cui enim jus est ad rem quandam, illi etiam jus esse debet ad ea, sine quibus re illa potiri nequit; hoc est: Cui jus est ad finem, illi etiam jus esse debet ad media finem illum consequendi necessaria (§. 46. *Instit. I. N. & G. WOLF.*). Quoniam itaque militibus excubitoribus vel custodibus jus est arcendi eos, qui illos in officio suo turbant (§. 367.); Ea vero, quæ ad alios arcendos faciunt, pro mediis habenda sint (§. 937. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Ad eadem etiam illis jus esse debet. Quare cum ea licere dicantur, ad quod nobis jus est (§. 170. *loc. cit.*): Ipsis etiam ea licere debent, quæ ad alios arcendos faciunt, qui ipsos in officio suo turbant.

§. 369.

Turbatores vi arceri possunt.

Quodsi itaque absque vi arcere non possint eos, qui ipsos turbant, militibus in excubiis vel custodiis positis & illud licere debet.

Cum media leniora durioribus præferenda sint (§. 982. *Part. 1. Jur. nat. W.*): Quamdiu absque vi arceri possunt turbatores excubitorum vel custodum, a vi abstinendum esse facile patet. Cum vero omnia licere debeant, quæ ad arcendum turbatores faciunt (§. 368.): Si absque vi arceri nequeant, etiam hanc militibus licitam esse debere apparet.

Jura excubitorum & custodum satis late patent, ita ut pro ratione circumstantiarum etiam occidere possint eos, qui eos turbant. Uti pluribus explicat MANZEL in Diss. *de Excubiis* §. 34.

§. 370.

Usus juris civium competit.

Militibus usus juris civium communis concessus esse debet, nisi quatenus ille per obligationes militares limitatur.

Militibus enim in genere omnia ea jura competunt, quæ civibus in genere (§. 325.). Quare cum jura civium, qua talium, jus civium commune vocari soleant (*per hyp.*): Patet, quod hoc jure civium communi uti militibus etiam concedi debeat. *Q. e. 1.*

Quum uero milites iis juribus civilibus, quæ militaribus obligationibus contrariantur, uti nequeant (§. 326.): Simul apparet, quod usus juris civium communis militibus concessus per obligationes militares limitatus sit. *Q. e. 2.*

§. 371.

Privilegia competere debent,

Militibus privilegia competere debent.

Milites quidem ad ea obligantur, ad quæ cives in genere tam concivibus suis, quam reipublicæ sive ejusdem rectori (§. 124.). Quodsi tamen obligatio quædam, quæ reliquis civibus incumbit, contrarietur obligationi militari: Milites illa non tenentur (§. 127.). Milites itaque ab obligationibus quibusdam, quæ civibus reliquis incumbunt, liberari debent. Quare cum obligatio in necessitate aliquid faciendi, adeoque & non faciendi, consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pr. univ. W.*): Militibus liberum esse debet, aliquid non facere, aut facere, ad quod alii faciendum vel non faciendum tenentur. Jus aliquid faciendi, positivum; Jus vero aliquid non faciendi, quod ab aliis faciendum est, negativum dicitur (§. 851. *Part. 8. Jur. nat. W.*). Militibus itaque jura tam positiva, quam negativa concedi debent, quibus alii carent. Quare cum concessio juris cujusdam sive positivi, sive negativi, uni vel pluribus, aut

certo

certo personarum ordini facta, quo ceteri carent, privilegium dicatur (§. 853. *loc. cit.*): Patet, quod militibus privilegia concedenda sint.

Privilegia militum etiam reipsa adeo numerosa sunt, ut integri de iisdem tractatus extent, quales sunt ENENCKELII, COTEREI, LANFRANCI, MARCI MANTUAE, qui posterior invenitur in *Tract. tract. vol. 12. aut edit. nov. vol. 16.*

§. 372.

Dantur adeo privilegia militum, quæ rationem suam habent in militia, seu quæ militibus, qua talibus, sive propterea competunt, quia milites sunt. *& quidem qua talibus.*

Militibus enim ideo privilegia competere debent, quia peculiares eorum sunt obligationes, ab obligationibus civium reliquorum diversæ (*dem.* §. 371.): Per jura vero & obligationes militum diversa ab iis, quæ reliquis civibus adhærent, status eorum peculiaris constituitur (§. 82.), qui militia dicitur (§. 83.). Ex statu itaque militum sive militia intelligitur, cur iisdem privilegia competere debeant. Quare cum id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit, ratio ejusdem sufficiens dicatur (§. 56. *Ontol. W.*): Dari debent privilegia militum, quæ rationem suam habent in militia; Sive, cum militia sit status militum, qua talis (§. 83.), quæ militibus, qua talibus, sive propterea competunt, quia milites sunt.

§. 373.

Privilegia, quæ militibus, qua talibus, competunt, ***militaria*** dicuntur. *Privilegiorum militarium definitio.*

Cum militibus etiam alia privilegia concedi soleant, quæ rationem in militia, saltem necessariam non habent; Eadem nec proprie militaria esse apparet.

§. 374.

Privilegia militum, quæ rationem suam in militia habent, necessaria sunt. *Quænam necessaria sint.*

Posita enim ratione sufficiente ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol. W.*). Quare cum dentur privilegia militum, quæ rationem suam in militia habent (§. 372.): Posita militia eadem etiam ponantur, necesse est. Fieri itaque nequit, ut posita militia eadem privilegia absint; Adeoque contrarium eorum impossibile est. Cum igitur illud, cujus contrarium impossibile est, necessarium dicatur (§. 279. *loc. cit.*): Patet, quod privilegia militum, quæ rationem suam in militia habent, necessaria sint.

§. 375.

§. 375.

& jure naturæ competant, *Privilegia militum, quæ rationem ſuam in militia habent, ipſo jure naturæ competunt.*

Privilegia enim hæc rationem ſuam habent in militia (*per hyp.*): Poſita itaque militia & eadem ponuntur (§. 118. *Ontol. W.*). Et cum militia dicatur ſtatus militum, qua talium (§. 83.): Poſita notione militum, ponitur etiam militia; Adeoque & ponuntur privilegia, quæ in eadem rationem ſuam habent. Hæc itaque ex notione militis deduci poſſunt. Quæ vero ex notione militis queunt deduci, juris naturæ ſunt (§. 110.): Privilegia itaque militum, quæ rationem ſuam habent in militia, ipſo jure naturæ competere debent.

§. 376.

nec lege poſitiva auferri poſſint. *Jura & privilegia militum, quæ rationem ſuam in ipſa militia habent, lege poſitiva auferri nequeunt.*

Jura enim & privilegia militum hic ponuntur, quæ rationem ſuam in ipſa militia habent (*per hyp.*); Et cum militia, ſive ſtatus militum per jura & obligationes eorum conſtituatur (§. 82.): Sine quibus adeo obligationibus ſuis ſatisfacere nequeunt. Ea vero jura, ſine quibus obligationibus ſuis ſatisfacere nequeunt milites, (§. 322.), ut & ea privilegia, quæ in ipſa militia rationem ſuam habent, neceſſaria ſunt (§. 374.). Quare cum contrarium ejus, quod neceſſarium eſt, impoſſibile ſit (§. 279. *Ontol. W.*): Impoſſibile eſt, ut poſita militia jura & privilegia eadem non ponantur (§. 118. *loc. cit.*). Quod cum fieret, ſi lege civili auferrentur (*per hyp.*): Patet, quod eadem lege civili auferri nequeant.

§. 377.

Milites bene merentur de rep. *Militum in rempublicam ſingularia ſunt merita; Sive: Milites de republica peculiariter bene merentur.*

Milites enim ad bellum publicum gerendum adhibentur (§. 14.); Et cum bellum publicum inter gentes geratur (§. 7.): Non ſolum jus reipublicæ ſive ejusdem rectoris vi perſequuntur (§. 1.); Sed & eandem contra vim hoſtilem defendere (§. 250.), & propterea vitæ & membrorum periculum ſubire debent (§. 240.). Hæc inter ſumma merita in rempublicam referenda eſſe, nemo negabit. Quare cum cives alii ſive pagani eadem non agant (*per hyp.*): Militum hæc propria ſunt. Patet itaque, quod militum ſingularia in rempublicam ſint merita; Sive, quod milites de republica peculiariter bene mereantur.

§. 378.

§. 378.

Intereſt reipublicæ, ut a militia homines non deterreantur, ſed ad eandem potius alliciantur. *Homines alliciendi ad militiam.*

Cum enim bellum publicum abſque militibus geri nequeat (§. 17.); Bellum publicum autem pro gente, ſive ejusdem rectore geratur (§. 7.): Nec abſque militibus jus populi ſive rectoris ejusdem perſequi datur (§. 1.). Cum vero cujusvis interſit, ut jus ſuum ipſi tribuatur (§. 922. *Part. 1. Jur. nat. W.*); Adeoque ſi non tribuatur, ut ipſe vi illud perſequi poſſit (§. 1101. *loco cit.*): Maximam ex militibus reſpublica percipit utilitatem. Quare cum illud, ex quo nobis obvenit utilitas, noſtrum interſit: Reipublicæ etiam maxime refert, ut milites non deſint. Licet itaque caſu neceſſitatis exigente vel inviti milites conſcribi poſſint (§. 749. *Jur. gent. WOLF.*): Evenire tamen poteſt, ut eorum, qui legi poſſunt, numerus ſufficiens non detur. Exactior etiam ſervitiorum præſtatio expectanda eſt ab iis, qui ſponte ſua militiæ nomen dant, quam qui hoc invito animo faciunt. Ut vero tales adſint, qui ſponte militiam amplectantur, requiritur ut ad militiam alliciantur potius homines, quam ab ea deterreantur; Patet itaque, quod reipublicæ interſit, homines a militia non deterreri, ſed potius ad eandem allici.

§. 379.

Militibus præmia conſtituenda ſunt.

Intereſt enim reipublicæ, tam ut homines ad militiam ſponte ſubeundam alliciantur (§. 378.), quam ut obligationibus ſuis ſatisfaciant, ſive officiis ſuis recte fungantur (§. 140.). Quoniam vero abſque motivis nulla datur in anima volitio (§. 889. *Pſych. emp. W.*); Quo magis refert, ut, quid faciant homines, eo majora ſive plura motiva ipſis etiam præbenda ſint. Convenit itaque etiam, ut quantis poteſt motivis tam homines ad militiam ſuſcipiendam, quam milites ad rite fungendum officiis ſuis, ducantur. Quare cum præmia motivum præbeant actionum committendarum (§. 296. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Et præterea in genere meritis in rempublicam præmia conſtituenda ſint (§. 659. *Part. 8. Jur. nat. W.*). Militum vero ſingularia in rempublicam ſint merita (§. 377.): Patet, quod conveniat, militibus præmia conſtitui. *Præmia conſtituenda.*

§. 380.

Militibus itaque etiam privilegia per modum præmiorum conſtitui poſſunt. *privilegia in præmium.*

Præmium enim bonum eſt, quod in alterum confertur (§. 295. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Bona itaque quæcunque in præmium dari ſive conſtitui poſſunt. Quare cum bonum ſit, quod nos vel ſtatum noſtrum perfectiorem reddit (§. 554. *Pſych. emp. W.*): Jura etiam, utpote quibus ſtatus noſter perfectior redditur, ad bona referenda ſunt. Et hinc intelligitur, quod in præmium etiam concedi poſſint jura, quæ aliis non competunt. Conceſſio vero juris cuidam facta, quo alteri carent, privilegium dicitur (§. 853. *Part. 8. Jur. nat. W.*). Patet adeo, quod militibus etiam privilegia per modum præmiorum concedi poſſint.

§. 381.

Ea neceſſaria non ſunt,

Dantur itaque etiam privilegia militum, quæ rationem neceſſariam in militia non habent.

Privilegia enim militibus etiam per modum præmiorum conſtitui poſſunt (§. 380.). Cum vero præmium ſit bonum, quod propter actionem quandam confertur in alterum ab eo, qui ad id conferendum eidem non obligatur (§. 295. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Ad præmium is non obligatur, qui idem concedit. Si itaque militibus privilegia per modum præmiorum conſtituantur: Nec adeſt obligatio ad ea concedenda; Et cum obligatio in neceſſitate agendi conſiſtat (§. 118. *loc. cit.*): Nec neceſſitas, illa concedendi, adeſt, adeoque eadem neceſſario concedenda non ſunt. Quare cum privilegia illa, quæ rationem ſuam in militia habent, neceſſaria ſint (§. 374.): Patet, quod & dari debeant privilegia militum, quæ rationem neceſſariam in militia non habent.

Sunt hæc nimirum ipſa ea privilegia, quæ per modum præmiorum conſtituuntur. Uti ex ipſa demonſtratione apparet. Hinc etiam dici poteſt, quod privilegia, quæ militibus in modum præmiorum conſtituuntur, rationem neceſſariam in militia habere non debeant.

§. 382.

ſed arbitraria.

Privilegia militum, quæ per modum præmiorum conſtituuntur, ſive, quæ rationem neceſſariam in militia non habent, arbitraria ſunt.

Privilegia enim militum, quæ per modum præmiorum conſtituuntur, rationem neceſſariam in militia non habent; Nec adeo neceſſaria ſunt, ſive neceſſario non conſtituuntur (*per dem. §. 381.*). Cum itaque neceſſarium dicatur, cujus contrarium impoſſibile eſt (§. 279. *Ontol. W.*): Contrarium eorum impoſſibile non eſt; Sed æque poſſibile eſt, ut eadem conceſſa non ſint. Quare cum illud, cujus contrarium æque poſſibile eſt, contingens ſive arbitrarium dicatur (§. 294. *Part. 1. Phil. pract. univ.*): Patet, quod ea militum privilegia, quæ per modum præmiorum conſti-

constituuntur, sive, quæ rationem necessariam in militia non habent, arbitraria sint.

Dependet nimirum ab arbitrio auctoris belli, an & quænam privilegia militibus in præmium constituere velit.

§. 383.

Concessio privilegiorum, quæ rationem necessariam in militia non habent, militibus facta *Favor militiæ* dicitur. *Favoris militiæ definitio.*

Multa quidem loquuntur de favore militum & militiæ JCti, & plura afferunt, quæ ex favore militibus jure civili concessa sint. Confusis vero plerumque notionibus innituntur, neque satis explicant, quid per favorem illum intelligendum sit. Ejusdem itaque notionem distinctam suppeditare, necessarium visum fuit; Et eam ita formatam speramus, ut & rei naturæ & usui loquendi conveniat. Notionem etiam favoris in genere inde abstrahere facile licebit, quod nempe sit concessio privilegiorum certo cuidam ordini hominum, aut etiam causarum facta, quæ rationem necessariam in illorum statu, sive harum conditione non habent. Privilegiorum dico, non jurium. Licet enim & privilegia jura sint; Non tamen sunt, nisi ea, quibus alii promiscue non æque gaudent. Rationem vero etiam necessariam in ipso statu hominum, vel conditione rerum, quibus indulgentur, habere non debent. Sic v. gr. cum subditi in genere ad militiam obligentur, quod feminæ tamen legi non possint, hoc quidem privilegium earum est, cum jure negativo nempe gaudeant, quo subditi reliqui sive mares carent; Sed cum in ipso eorum statu, sive sexu rationem suam habeat, necessarium est (§. 16.); Neque adeo ad favorem illarum referri poterit. Quod vero ex fidejussione non obligentur, cum hoc necessariam in statu ipsarum rationem non habeat, ad privilegia earum ex mero favore concessa referendum erit.

§. 384.

Quare cum militibus multa privilegia in legibus positivis concedi soleant, & ipso jure civili concessa inveniantur, quæ in militia necessariam rationem non habent (*per hyp.*): *Militum sive militiæ singularis in legibus favor est.* *Favor militum in legibus est.*

Per modum hypotheseos hoc saltem sumitur. Cum vero in sequentibus inquirendum erit, quænam privilegia militibus ipso jure naturæ competant: Simul videbitur, quænam ex mero juris civilis favore ipsis concessa sint; Et quænam eorum, quæ militibus jure civili indulta sunt, ad hæc vel illa referri debeant.

§. 385.

Privilegia, quæ militibus ex mero favore conceduntur, juris saltem positivi sunt. *Quæ privilegia juris positivi sint.*

Privilegia enim, quæ militibus ex mero favore conceduntur, rationem necessariam in militia non habent (§. 383.): Privilegia vero, quæ ratio-

rationem necessariam non habent in militia, arbitraria sunt (§. 382.). Quare cum jus privilegia concedendi in civitate, qualem milites supponunt (§. 18.), superiori competat (§. 855. *Part. 8. Jur. nat. W.*): Ab arbitrio superioris in civitate dependere debet, quænam privilegia, præter necessaria nempe, militibus adhuc concedere velit superior. Privilegia itaque ista superioris voluntate constituuntur. Quare cum jus, quod voluntate superioris constituitur, positivum dicatur (§. 147. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Privilegia vero jura sint (§. 853. *loc. supra cit.*): Patet etiam, quod privilegia, quæ militibus ex mero favore conceduntur, juris saltem positivi sint.

Jure quidem positivo militibus etiam firmari solent & possunt privilegia, quæ ipso jure naturæ ipsis competere debent. Et ut hoc fiat, expedit. Cum enim non cuivis detur, nosse jura, quæ ex ipsa essentia & natura rerum consequuntur: Non etiam agnosci, adeoque in dubium vocari possent privilegia ea, quæ militibus necessario competere debent. Optime itaque militibus consulitur, si ipsis eadem jure etiam positivo stabiliantur, & adeo aliis positiva etiam inducatur obligatio, in exercitio eorundem ipsos non turbandi. Non abs re tamen erit, ea simul indagare, ut pateat, quanta sit eorum necessitas, nec vel lege positiva eadem auferri posse (§ 376.).

§. 386.

An privilegia juris romani competant. *Privilegia militum jure romano ipsis concessa, hodie adhuc militibus competere debent, nisi legibus imperii vel constitutionibus provincialibus aliud statutum sit.*

Jus enim romanum ex receptione apud nos hodienum etiam adhuc valet instar legis, & vel in subsidium saltem (*per hyp. & not.*): Valere itaque etiam debent ea, quæ eodem constituta sunt. Quare cum jure romano militibus plura privilegia concessa deprehendantur (*per hyp.*): Eadem etiam apud nos adhuc hodie, & vel in subsidium saltem valere debere, dubium esse nequit. *Q. e. 1.*

Cum vero ex unanimi fere omnium consensu leges imperii & constitutiones provinciales juri romano derogent (*per hyp.*): Ea quæ hoc jure constituta sunt, valere nequeunt, si istis aliud sit statutum. Atque hinc etiam patet, militibus nostris privilegia juris romani competere non posse, si legibus imperii vel constitutionibus provincialibus aliud statuatur. *Q. e. 2.*

In demonstratione hujus theseos non supponimus, nisi quod omnes facile largientur, jus nempe romanum vel in subsidium saltem apud nos valere. Jam enim litem, quæ inter doctores de auctoritate juris romani agitatur, non ingredimur. Eandem vero cum aliis contra dissentientes defend.

defendit LAURENTIUS in tractatu *von der Jurisd. über die excedirenden Soldaten §. 8. pag.* 11. SCHOEPFER in Diss. *de milite desertore cap.* 1. *§.* 33. *seq.* & quoad testamenta in specie BEYER in *Juris milit prud. §.* 1123. *p.* 498. alii. Nos vero ejusdem veritatem propterea hic stabiliendam duximus, quoniam in sequentibus jura & privilegia militibus jure romano concessa ad examen revocantur. Supervacaneum enim laborem eo ageremus, si privilegia ista nullius amplius valoris essent hodienum.

§. 387.

Privilegia militum eos liberant ab obligationibus, quæ paganis incumbunt. *Effectus privilegiorum.*

Privilegia enim militum consistunt in concessione juris positivi aut negativi, quo ceteri carent (§. *853. Part. 8. Jur. nat. W.*). Quare cum jus positivum in facultate aliquid faciendi; Negativum vero in facultate non faciendi consistat (§. *851. loc. cit.*): Si privilegia ipsis conceduntur; Aliquid facere possunt, quod alii nequeunt; Et non facere, quod alii debent; Sive, quod idem est, ad quod non faciendum, vel faciendum alii obligantur. Quare cum ab obligatione liberetur, si quis facere potest, ad quod non faciendum alias obligaretur, & non facere debet, ad quod faciendum alias obligaretur (*Quod per se patet*): Patet, quod per privilegia milites liberentur ab obligationibus, quæ ipsis alias qua paganis incumberent.

§. 388.

Si milites ad legem quandam civilem sive præceptivam sive prohibitivam, servandam obligari non debeant, privilegium illis concedendum est. *Quando concedenda sint.*

Milites enim ad observantiam legum civilium in genere obligantur (§. 128.). Quare cum leges, vel præceptivæ, quibus aliquid fieri (§. *164. Part. 1. Phil. pr. univ. W.*), vel prohibitivæ sint, quibus aliquid non fieri injungitur (§. *163. l. c.*): Milites vi obligationis hujus ad leges civiles servandas aliquid facere aut non facere debent, ad quod nempe cives reliqui obligantur. Quod si itaque lege quadam civili obligari non debent milites: Si illa præceptiva sit, non opus est, ut faciant; Si prohibitiva, facere possunt, ad quod faciendum aut non faciendum alii obligantur. Quare cum in facultate non faciendi aliquid, jus negativum; In facultate vero faciendi, jus positivum consistat (§. *851. ante cit.*): In casu priori jus negativum; in posteriori vero jus positivum militibus concedendum est, quo ceteri carent. Quoniam itaque concessio juris negativi vel positivi, quo ceteri carent, privilegium dicitur (§. *853. loc. cit.*): Patet, quod militibus privile-

vilegium concedendum sit, si lege quadam civili præceptiva aut prohibitiva teneri non debeant.

Hinc statim apparet, cum milites ad leges civiles servandas non obligentur, quam quatenus illæ obligationibus militaribus non repugnant (§. 128.). militibus privilegia esse concedenda, quam primum lex quædam civilis cum obligatione militari colliditur.

§. 389.

Se habent per modum exceptionum.

Privilegia militum se habent ad obligationes paganorum per modum exceptionum.

Si enim militibus privilegia conceduntur, liberantur ab obligationibus paganorum (§. 387.). Concedi vero illa debent, si milites ad legem quandam civilem non teneantur (§. 388.). Id quod fieri nequit, si lex civilis obligationi cuidam militari contrarietur, sive cum ea collidatur (§. 12..). Privilegia itaque militibus concedenda sunt, si lex quædam civilis cum obligatione seu lege militari, ex qua illa venit, colliditur. In hoc casu vero a lege civili, sive ab obligatione, quæ ex ea venit, exceptio facienda est (§. 100.): Patet itaque, quod privilegia militum ad obligationes civiles sive paganorum se habeant per modum exceptionum.

§. 390.

Ad quæ milites obligari nequeunt.

Milites ad ea obligari nequeunt, quibus a servitiis suis detinerentur.

Milites enim ad servitia militaria præstanda obligantur (§. 182.). Quare cum obligatio in necessitate agendi consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ W.*): Necesse est, ut milites eadem præstent. Cum itaque contrarium ejus, quod necessarium est, impossibile sit (§. 279. *Ontol. W.*): Impossibile etiam est, moraliter nempe, ut eadem non præstent. Non vero illa præstarent, si ab iisdem detinerentur. Quod per se patet. Quare, cum ad impossibile obligari nemo possit (§ 209 *loc. ab initio cit.*): Nec milites ad ea queunt obligari, quibus a servitiis suis detinerentur.

§. 391.

A servitiis non detinendi.

Interest reipublicæ, ut milites a servitiis suis non abstrahantur sive detineantur.

Cum milites ad servitia militaria præstanda obligentur (§. 182): Si ab iisdem abstraherentur sive detinerentur, obligationi suæ non satisfacerent. Quare cum intersit reipublicæ, ut milites obligationibus suis satisfaciant (§. 140.): Interesse etiam debet, ut a servitus non detineantur.

§. 392.

§. 392.

Milites deterioris conditionis esse nequeunt, sed melioris esse debent, quam pagani. *Melioris conditionis esse debent quam pagani.*

Milites enim, dum corpus & vitam periclitantur (§. 240.), peculiariter de republica merentur (§. 377.). Quare cum in præclara de republica merita adeoque & militibus (§. 379.), præmia constituenda sint (§. 659. *Part. 8. Jur. nat. W.*): Ii qui magis de republica merentur, deterioris conditionis esse nequeunt, quam ii, qui minus de eadem merentur. Et hinc patet, quod milites deterioris conditionis esse nequeant, quam pagani. *Q. e. 1.*

Cum vero quilibet homo statum suum reddere studeat meliorem, & obligetur (§. 128. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Si militum conditio melior non sit, pagani ad militiam amplectendam non allicerentur. Quare cum reipublicæ intersit, ut alii ad militiam vel sponte subeundam alliciantur (§. 378.): Milites melioris potius conditionis esse debent, quam pagani. *Q. e. 2.*

§. 393.

Cum actualis belli illatio expeditio bellica dicatur (§. 237.): Milites *in expeditione constitui* dicendi sunt, si bellum actu inferant, adeoque hostis adsit, aut invasio ab eodem metuatur. *In expeditione quando constituantur,*

§. 394.

Quare cum, si proelia vel pugnæ cum hoste committantur, quod confligere dicitur, aut milites castra hostilibus opposita habeant, urbem obsideant, aut obsessam defendant, bellum actu geratur, hostis adsit & ejus invasio metuenda (*Quod per se patet*): *Si milites in conflictu, in castris, quæ hostilibus opponuntur, coram vel in urbe obsessa sunt, in expeditione constituuntur.* *in quibus casibus in specie.*

§. 395.

Cum operationes bellicæ æstate, quantum potest, absolvi soleant, & hyeme militibus a laboribus bellicis quiescere detur: Milites hyeme in talia hospitia mitti solent, quibus ipsis ab hoste metuendum non est. Hospitia hæc, quæ militibus hyeme ad quiescendum a laboribus bellicis conceduntur, *Hiberna* vocantur. *Hibernorum definitio.*

§. 396.

In hibernis milites in expeditione constituti dici nequeunt. *Ad expeditionem non referenda,*

Hiberna enim hospitia militum supponunt, in quibus ipsis ab hoste metuendum non est (§. 395.): In hibernis itaque hostem non adesse,

aut

aut invasionem ejusdem non metuendam, aut saltem præsentaneam non esse, apparet. Quare cum in expeditione constitui milites dicantur, si bellum actu geratur, & hostis adsit, vel ejus invasio metuatur (§. 393.): Facile patet, quod in hibernis milites dici nequeant in expeditione constituti.

§. 397.

nec induciæ.

Similiter, cum induciæ dicantur, suspensio actuum bellicorum ab utraque parte belligerantium intra tempus conventum (§. 913. *Jur. gent. W.*); Adeoque induciarum tempore bellum actu non geratur, & cum hostis adesse quidem possit, invasio tamen ab eo metuenda non sit: *Nec induciarum tempore milites in expeditione constituti dici queunt.*

§. 398.

Quatenus milites ignorantia juris excusentur,

Naturaliter milites ignorantia juris civilis nempe, non excusantur, nisi in expeditione constituti sunt.

Ignorantia enim invincibilis non est, quæ evitari potest, modo velimus (§. 28. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Si itaque detur tempus & copia eorum, qui de jure consuli possint: Ignorantia juris invincibilis dici nequit. Militi vero, quamdiu in expeditione non constituitur, sed vel in hibernis, vel pacis etiam tempore in præsidiis commoratur, tempus & occasionem esse alios consulendi, si ipse jura ignoret; In expeditione vero eadem deesse, constat. Pacatis itaque temporibus & in hibernis militis ignorantiam quoad jura vincibilem; In expeditione vero constituti pro invincibili habendam esse apparet. Quare cum naturaliter ignorantia non excuset, nisi invincibilis sit (§. 550. *loc. cit.*): Naturaliter milites ignorantia juris, civilis nempe, non excusantur, nisi in expeditione constituti.

§. 399.

quatenus jure civili.

Quod jure civili milites ignorantia juris in genere sive indistincte excusentur, privilegium eorum, sed juris saltem positivi est, & ipsi analogiæ juris contrarium.

Cum enim jure civili constitutum sit in genere absque ullo discrimine, ut milites ignorantia juris excusentur (*l. 1. Cod. de jur. & facti ignor.* & *l. 9. §. 1. ff. eodem*); In genere vero ignorantia juris cives non omnes, neque adeo paganos, excuset (*l. 11. §. 5. ff. de His, qui not. inf.*): Militibus concessum est jus, quo ceteri carent. Quare cum concessio juris, alicui facta, quo alii carent, privilegium dicatur (§. 853. *Part. 8. Jur.*

Jur. nat. W.): Patet, quod hoc sit privilegium militum, quod jure civili ignorantia juris in genere excusentur. *Q. e. 1.*

Cum vero naturaliter milites non, nisi in expeditione constituti, ignorantia juris excusentur (§. 398.): Privilegium hoc in militia rationem necessariam non habet (§. 375.). Quare cum concessio privilegiorum, quæ rationem in militia necessariam non habent, favor militum dicatur (§. 383.): Illud ex mero favore concessum est. Cum itaque privilegia, quæ militibus ex mero favore constituuntur, juris positivi sint (§. 385.): Juris etiam saltem positivi est, quod milites ignorantia juris in genere excusari debeant. *Q. e. 2.*

Quoniam autem ipso jure civili simul statuitur, ignorantiam juris tunc non prodesse, si jureconsulti copia habere possit (*l. 9. §. 3. ff de Jur. & facti ignor.*); Adeoque in dijudicatione, an ignorantia juris alicui prosit, respiciendum sit, an jureconsulti copia haberi potuerit: Dispositio hæc pro principio juris sumenda est. Cum vero milites jure civili in genere excusari debeant ignorantia juris (*per allegata*): Et tunc excusabuntur, etsi jurisconsulti copia haberi potuisset. Privilegium itaque hoc militum cum principio quodam juris alibi stabilito non consentit. Quare cum in consensu cum principiis juris analogia juris ponenda sit (*per def.*): Patet, quod ipsa dispositio juris civilis de excusatione ignorantiæ militibus indistincte concessa, analogiæ juris non conveniat; Adeoque eidem contraria sit. *Q. e. 3.*

Hinc etiam dispositionem juris civilis ad eos casus restringendam esse putamus, quibus copia juris periti haberi nequit, vel, si miles in expeditione constituatur. Militibus equidem in jure nimia imperitia (*princ. Inst. de mil. test.*), & simplicitas tribuitur (*l. ult. §. fin. Cod. de Jure delib.*), & in specie hæc pro ratione dispositionis illius allegatur (*l. 1. Cod. de Jur. & f. ignor.*). Arma enim potius, quam leges scire existimatur. Cum vero ratio imperitiæ cesset, quamprimum detur tempus & occasio alios de jure consulendi: Illam pro ratione adæquata haberi posse non videtur. Aliud tamen sentit ADR. BEYER (*n. 1125. & seq. Jur. mil. prud.*).

§. 400.

Juris vero militaris, sive legum militarium ignorantia milites nullo modo excusantur, nisi tyrones. *Ignorantia juris militaris non excusantur.*

Cum enim milites actiones suas tam secundum leges militares scriptas (§. 135.), quam observantias determinare obligentur (§. 136.); Adeoque easdem callere debeant (§. 137.); Necesse est, ut milites eas sciant, & si vel ignorent, peritiam earum sibi comparent. Ut vero hoc eo facilius

lius fiat, illæ iisdem publicari debent (§. 143.) & prælectio earum sæpius repeti solet (§. 145.). Ignorantia itaque eorum quoad leges militares invincibilis nullo modo dici potest. Quare cum ignorantia non excuset nisi invincibilis (§. 549. 550. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Nec milites ignorantia juris militaris ullo modo excusantur. *Q. e. 1.*

Cum vero leges militares numero plures esse soleant (*per hyp.*), & observantiæ militares ex usu demum addisci debeant (§. 146.): Facile apparet, tempus aliquod requiri, ut miles has addiscere & illas retinere possit. Tyro vero miles noviter lectus sive conductus est (§. 37.). Ut itaque tyro leges & observantias militares statim calleat, impossibile fere, adeoque ignorantia ejusdem vix invincibilis est. Quare cum ignorantia invincibilis excuset (§. 550. *loc. cit.*): Tyrones etiam ignorantia juris militaris excusari debent. *Q. e. 2.*

Cum itaque hoc modo tyronibus competat jus, quod aliis militibus non competit (*per dem.*): Hoc eorum privilegium est (§. 853. *Part. 8. Jur. nat. W.*). Rationem vero illud in statu tyronum, sive militia eorum, brevi scilicet, habet (*per dem. n. 2.*); Concessio vero demum privilegiorum, quæ rationem in militia non habent necessariam, favor dicitur (§. 383.). Privilegium itaque hoc ad favorem tyronum proprie referri nequit, sed necessarium potius est (§. 374.). Ceterum ipsum jus civile quoad thesin in genere adsentit. Turpe enim reputatur jus, in quo quis versatur, ignorare, (*l. 2. §. 43. ff. de O. J.*).

§. 401.

Ad subtilitates juris non tenentur,

Milites in expeditione constituti ad subtilitates juris observandas teneri nequeunt.

Subtilitates juris enim dicuntur consequentiæ ex principiis juris civilis mere arbitrariis fluentes, jure civili approbatæ (*per def.*). Profundior itaque juris scientia ad subtilitates juris cognoscendas requiritur. Quare cum in genere ignorantia juris excusentur milites in expeditione constituti (§. 398.): Multo magis iidem subtilitatum ignorantia excusari debent. Patet itaque, quod nec ad subtilitates juris observandas teneri queant.

Id quod jus etiam civile agnoscit (*l. 22. §. ult. Cod. de Jure delib.*).

§. 402.

nec ad solennitates juris tenentur.

Milites in expeditione constituti ad observantiam solennitatum juris civilis teneri nequeunt.

Cum enim solennitates juris dicantur circumstantiæ mere arbitrariæ ad validitatem actus cujusdam jure civili requisitæ (*per def.*): Si milites

in

in expeditione constituti ad observantiam illarum obligarentur, omnes illas circumstantias observare deberent, sine quibus actus, ad quos requiruntur, irriti redderentur. Quodsi vero bellum actu geratur, & hostis adsit, aut ejus invasio metuatur, hoc est, si milites in expeditione constituantur (§. 393.): Illi continuo invigilare & quovis tempore parati esse debent ad vim hostis arcendam (§. 279.); Adeoque aliis rebus vacare nequeunt. Si itaque nihilominus ad observantiam solennitatum juris obligarentur: Aut a servitiis militaribus detineri, aut per omissionem cujusdam illarum actus eorum irriti facile reddi possent. Si vero per militiam fieret, ut actus eorum, quos & in expeditione suscipere opus esse potest, irriti redderentur, deterioris eosdem fore conditionis, quam paganos, apparet. Quare cum milites obligari non possint ad ea, quibus a servitiis suis detinerentur (§. 390.), nec deterioris, sed melioris potius conditionis esse debeant, quam pagani (§. 392.): Patet, quod milites in expeditione constituti ad solennitates juris civilis observandas teneri nequeant.

§. 403.

Milites itaque in expeditione constituti ad solennia testamentorum adstringi nequeunt, si quæ jure civili præcipiuntur. *& solennia testamentorum.*

Milites enim in expeditione constituti ad solennia juris civilis in genere teneri nequeunt (§. 402.). Quare cum & testamenta ad eos actus referenda sint, quos & in expeditione suscipere opus esse potest; Et ad eorum confectionem solennia varia requiri queant (*per hyp.*); Milites etiam si in expeditione constituantur, ad eadem teneri non posse, intelligitur.

Hinc ipso quoque jure civili romano militibus solennitates testamentorum remissæ sunt, uti plenius constituitur *tot. tit. Inst. de Militari test.*; *ff. & Cod. præsertim l.* 17. *de Test. militis.* Et jam antiquissimis temporibus ante decemviros testamenta in procinctu, quæ dicuntur, facta inveniuntur, quibus milites in procinctu stantes, 3. aut 4. testibus audientibus heredem suum nuncupabant. Uti ex PLUTARCHO refert HEINECCIUS in *Synt. antiq. h. t.* §. 1. & 3. Ab ipso quidem Imperatore ratio remissionis solennitatum militibus in testamentis condendis nimia eorum imperitia adducitur. Cum vero si vel maxime scirent solennia ad testamenti factionem necessaria, eadem tamen ipsis propter servitia militaria observare non detur (*per dem.* §. 402.): Imperitia pro ratione adæquata remissionis haberi nequit. Et cum uti posita ratione sufficienti, ponendum, ita etiam sublata eadem tollendum sit, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol. W.*): Remissio solennitatum cessaret, ubi imperitia cessat. Cum itaque inveniantur etiam mili-

tes aut præfecti juris periti, qui jura calleant: Illi privilegio hoc militum non fruerentur; Cum in ipsis ratio ejusdem non adsit. Quia vero multum refert & expedit, militari modo testari posse; Cum tale testamentum non adeo facile possit impugnari (*per not.*): Milites juris periti deterioris essent conditionis non modo aliis jurium ignaris, sed & paganis. Quod cum fieri non possit (§. 392.): Vel ex hoc patet, quod imperitia pro ratione adæquata haberi nequeat. Accedit SCHROETER in *Diss. de Iur. milit. sing. sect.* 1. *cap.* 8. §. 1.

§. 404.

Hoc privilegium necessarium est.

Quod milites in expeditione constituti absque omni solennitate testari possint, privilegium eorum & quidem necessarium est.

Paganos enim in testamentis condendis ad certas solennitates teneri, aperti juris est, & per hypothesin hic supponitur. Cum vero milites ad has solennitates teneri nequeant (§. 403): Concedi militibus debet jus aliquid non faciendi, quod alii facere debent. Jus aliquid non faciendi, negativum vocatur (§. 851. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*). Quare cum concessio juris tam negativi, quam positivi, quo alii carent, privilegium dicatur (§. 853. *l. c.*): Patet, quod remissio solennitatum in testamento condendo, militibus facta privilegium sit. *Q. e. 1.*

Cum vero ad solennia testamentorum ideo non obligentur, quia ad solennitates juris in genere teneri nequeunt (*per dem.* §. 403); Ad solennitates vero in genere propterea adstringi non possint, quia a servitiis detineri, & adeo obligationibus suis satisfacere non possent: Et in eo ratio hujus privilegii continetur. Obligationes vero militum ad statum eorum pertinent (§. 82.); Privilegium itaque hoc rationem suam habet in statu militum, sive militia (§. 83.). Quare cum privilegia militum, quæ rationem suam in militia habent, necessaria sint (§. 374.): Patet, quod & illud necessarium sit. *Q. e. 2.*

Hinc consequitur, quod milites hodierni seculi privilegiis testamentariis priscæ militiæ indultis adhuc gaudere debeant. Quæ quidem quæstio alias moveri solet. Cum enim privilegia, quæ in militia rationem suam habent, adeoque necessaria sunt, militibus auferri nequeant lege positiva (§ 376.): Nec illa poterunt; Adeoque militibus cujuscunque temporis competere debent; Licet vel maxime jure positivo indulta non sint specialiter. In genere etiam jam demonstravimus, quod privilegia militibus jure romano concessa ipsis adhuc hodie competere debeant (§. 386.). Quoad testamenta in specie affirmativam quoque tuetur BEIER *in Iur. mil. prud.* §. 1123. *p.* 498.

§. 405.

§. 405.

Milites itaque in expeditione constituti privilegiato modo testari possunt. *Privilegiato modo testari possunt.*

Cum enim milites in expeditione constituti ad solennia testamentorum non obligentur (§. 403.): Absque omni solennitate testari posse debent. Et cum hoc privilegium eorum sit (§. 404.): Eosdem privilegiato modo testari posse facile apparet.

§. 406.

Quare cum milites, si in conflictu, in castris, quæ hostilibus opponuntur, coram vel in urbe obsessa sint, in expeditione constituantur (§. 394.): *Milites in conflictu, in castris, quæ hosti opponuntur, coram vel in urbe obsessa privilegiato modo, hoc est, absque omni solennitate testari possunt.* *Ubinam.*

§. 407.

Testamentum a milite in expeditione constituto sine omni solennitate conditum, *militare* dicitur. *Testamenti militaris definitio.*

Est hæc testamenti militaris definitio, quam dedit LAUTERBACH *Comp. ff. de Test. milit.* Quam, cum omnes rei notas necessarias contineat, eo magis retinendam credidimus, ut videatur, a terminorum significatu, qualis ab ipsis JCtis tribuitur, nos quantum potest, in ipsa juris militaris theoria naturali non recedere.

§. 408.

Testamentum itaque militare privilegiatum est. *Illud privilegiatum est.*

Quod enim milites in expeditione constituti absque omni solennitate testari possint, privilegium eorum est (§. 404.), Quare cum testamentum a milite in expeditione constituto sine omni solennitate conditum, militare dicatur (§. 407.): Facile patet, quod testamentum militare privilegiatum sit.

§. 409.

In testamento militari subtilitates locum non habent. *Subtilitates non admittit.*

Testamentum enim militare a milite in expeditione constituto conditur (§. 407.). Quare cum milites in expeditione constituti ad solennitates juris non teneantur (§. 401.): Patet, quod nec in testamento militari locum inveniant.

§. 410.

Quaenam in eodem cessent. *Testamentum itaque militare valet, etiamsi illud uno contextu non fuerit conditum, non praecise 7. testes adhibiti, vel iidem non fuerint rogati, aut testamenti tabulas non subscripserint & subsignaverint.*

Quod enim testamentum uno actu confici, septem praecise testes adhiberi, iidem rogati esse, & tabulas testamenti subscribere & subsignare jure civili debeant, aut ad subtilitates, aut ad solennitates juris referendum est. Uti per vulgata juris constat & ex notionibus earundem §§. 401. & 402. traditis demonstrari facile poterit. Quare cum milites, si in expeditione constituantur, in testamentis suis condendis neque ad solennitates juris civilis teneantur (§. 403.); Neque in testamento militari subtilitates juris locum habeant (§. 409.): Testamentum militare valere etiam debet, licet illud non uno contextu fuerit conditum, non praecise 7. testes adhibiti, aut iidem non rogati fuerint, vel tabulas testamenti non subscripserint & subsignaverint.

§. 411.

Quaenam ad illud requirantur. *Milites in expeditione constituti ad plura in testamentis suis condendis non tenentur, sive, ad testamentum militare plura non requiruntur, quam quae ipso jure naturae ad testamenta requiruntur.*

Cum enim subtilitates juris sint consequentiae ex principiis juris civilis mere arbitrariis, (*dem.* §. 401.), & solennitates sint circumstantiae mere arbitrariae jure civili ad validitatem actus cujusdam requisitae (*dem.* §. 402.); Milites vero in expeditione constituti neque ad has (§. 403.), neque ad illas in testamentis suis condendis teneantur (§. 409.); Illos ad ea, quae juris mere civilis sunt in testamentis, non adstringi, facile apparet. Cum vero milites ad omnia obligentur, quae juris naturae sunt (§. 122.): Ad ea etiam teneri, quae ipsum jus naturae circa testamenta constituit, absque opera intelligitur. Patet itaque, quod milites in testamentis suis condendis ad plura non teneantur, quam quae jure naturae ad eadem requiruntur.

Litem hic non ingredimur, quae moveri alias solet, an testamenta sint juris naturalis. Cum enim affirmativa tam a GROTIO asserta (§. 14. *cap. 6. lib. 2. de J. B. & P.*), quam a Viro perillustri, L. B. de WOLF. demonstrata (§. 999. *Part. 7. Jur. nat.*), & ab objectionibus PUFENDORFII & FELDENI liberata sit (*schol. ad §. cit.*): Eandem hic supponere licebit.

§. 412.

§. 412.

Ut itaque testamentum militare, quoad modum scilicet testandi validum sit, plus non requiritur, quam ut quocunque modo constet, banc esse voluntatem defuncti. *Quid ad ejus validitatem requiratur.*

Naturaliter enim testamentum validum est quoad modum testandi, si quocunque modo hoc constet (§. 1026. *loc. cit.*). Quare cum ad testamentum militare plura non requirantur, quam quæ juris naturæ sunt (§. 411.): Facile etiam patet, ad testamenti militaris validitatem quoad modum testandi plus non requiri, quam ut de voluntate defuncti quocunque modo constet.

Licet itaque jure etiam civili militis testamentum sola voluntate perficiatur, adeoque & si miles testamentum imperfectum relinquat, scriptura, quæ profertur, perfecti testamenti potestatem obtineat (*l. 35. ff. de Test. mil.*): Utique tamen prius constare debet, testamentum factum esse (*l. 24. & 40. ff. eod.*). Et in ipsum favorem eorum, qui privilegiato modo testantur, hoc constitutum est, ne ipsis præter opinionem heredes existant (*§. 1. Inst. de Mil. test.*).

§. 413.

Testamentum militare validum est, si miles vel in schedula aut alibi voluntatem suam de herede scripserit, vel ab alio scriptam subscripserit, vel coram testibus declaraverit. *Quot modis condatur.*

Ad testamentum enim militare plura non requiruntur, quam quæ juris naturæ sunt (§. 411.), Quare cum naturaliter ad testamenti factionem non requiratur, quam ut testator voluntatem suam vel declaret coram testibus, vel in scripturam redigat, vel ab alio in scripturam redactam subscribat (§. 1027. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Testamentum etiam militare validum esse debet, si unum vel alterum horum fiat.

Jure hinc etiam civili statutum est, ut quocunque modo voluntas militis in expeditione occupati inveniatur sive scripta, sive sine scriptura, valere testamentum ex ejus voluntate (*pr. Inst. de Mil. test.*), & ut, si quid in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverit, aut in pulvere inscripserit gladio suo, ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquit, hujus etiam voluntatem stabilem esse (*l. 15. Cod. de Test. mil.*). Imo Doctores tuentur, quod, si miles in conflictu vel globulum plumbeum applanet, & in eo nomen heredis ita inprimat, ut manus ejusdem agnosci possit, illud valeat.

§. 414.

Testamentum militare vel scriptum vel nuncupativum esse potest. *Quotuplex esse possit.*

Testamentum enim militare condi potest, vel voluntatem suam coram testibus declarando, vel illam in scripturam redigendo (§. 413.). Quare

Quare cum in priori casu testamentum dicatur nuncupativum, in posteriori scriptum (§. 1028. *Part. 7. Jur. nat. W.*): Facile intelligitur, testamentum militare vel scriptum vel nuncupativum esse posse.

Hæc differentia jure etiam civili nititur (*l. 24. ff. de Test. mil.*).

§. 415.

Quid ad scriptum requiratur.

Ad validitatem testamenti militaris scripti requiritur, ut constet, hanc esse scripturam testatoris.

Ad validitatem enim testamenti militaris in genere requiritur, ut constet, hanc esse voluntatem defuncti (§. 412.). Quare cum in testamento scripto voluntas per scripturam declaretur (*per hyp.* & §. 414.); Quæ vel ab ipso conficitur, vel ab alio confecta subscribitur (§. 413.): Facile apparet, quod ad validitatem testamenti militaris scripti opus sit, ut constet, hanc esse scripturam, vel subscriptionem saltem testatoris.

§. 416.

Quotuplici modo probetur.

Quare cum de scriptura alicujus constet, si vel chirographum ejusdem notum sit, vel testes inveniantur, qui probent, illam ab eodem esse confectam (*Quod per se patet*): *Testamentum militare scriptum valet, modo scriptura pro chirographo defuncti agnoscatur, aut testes adsint, per quos probetur, illud a defuncto scriptum vel subscriptum esse.*

Quoniam tamen fraus facile in subornando testamento per imitationem chirographi committi posset; Ipsorum autem militum intersit, ut de eorum voluntate ultima certitudo, quanta potest, obtineatur (*schol. §. 412.*). Ab Imp. MAXIMILIANO optime cautum est, ut ad testamentum militare etiam scriptum extra conflictum in castris duo adhibeantur testes (*ordin. Notar. de ao. 1512.*).

§. 417.

Quid ad nuncupativum requiratur.

Ad testamentum militare nuncupativum ipso jure naturæ duo requiruntur testes.

Ad validitatem enim testamenti militaris in genere requiritur, ut constet, hanc esse voluntatem defuncti (§. 412.). Quare cum in testamento nuncupativo voluntas coram testibus declaretur (*dem. §. 414.*): Per hos etiam constare, adeoque probari debet, hanc esse voluntatem defuncti. Ad testamentum itaque nuncupativum tot testes requiruntur, quot ad aliquid probandum sufficiunt. Quare cum ipso jure naturæ per unum testem sufficienter non probetur (§. 1037. *Part. 5. Jur. nat. W.*); Sed ad minimum duo requirantur (§. 1044. *ib.*); Ad testamentum vero militare ea requirantur, quæ juris naturæ sunt (§. 411.): Patet, quod

&

& ad validitatem teſtamenti militaris nuncupativi ipſo jure naturæ duo teſtes requirantur.

Id quod etiam jus civile ſaltem requirere videtur, ut nempe duo ſufficiant. Convocatis enim hominibus voluntatem ſuam teſtari debere militem, dicitur (§. 1. *Inſt. de Mil. teſt. & l. 24. ff. eod.*). Ubi vero numerus non adjicitur, etiam duos ſufficere, ipſo jure civili cenſetur. Cum pluralis elocutio duorum numero contenta ſit (*l. 12. ff. de Teſtibus*). Idem ſentit SCHROETER *Diſſ. de Jur. milit. ſing. ſect. 1. cap. 8. §. 2.*

§. 418.

In teſtamento militari teſtimonio heredis credendum non eſt, ſive heres teſtis eſſe nequit. *Heres nequit eſſe teſtis.*

Cum enim per teſtamentum in heredem bona defuncti transferantur (§. 958. & 994. *Part. 7. Jur. nat. W.*): Heres ex teſtamento commodum percipit. Heres itaque in teſtamento teſtis in propria cauſa eſſet. Quare cum ipſo jure naturæ nemo in propria cauſa, ex qua commodum percipit (§. 1048. *Part. 5. loc. cit.*), nec adeo heres in teſtamento heres eſſe poſſit (§. 1027. *Part. 7. ib.*); Ea vero, quæ juris naturæ ſunt, in teſtamento militari obtineant (§. 411.): Facile apparet, nec in teſtamento militari heredis teſtimonio credendum, ſive eundem teſtem eſſe poſſe.

Hoc etiam jure civili & quidem, uti additur, in favorem militum, ſtatutum eſt, ne ſcilicet heredi credatur (§. 1. *Inſtit. de Milit. teſt.*). Cum vero illud ipſius juris naturæ ſit (*per dem.*); Quæ vero ex favore conceduntur, juris ſaltem poſitivi eſſe debeant (§. 385.): Ex favore ſaltem introductum proprie dici nequit, ſed neceſſarium potius eſt.

§. 419.

Si milites in expeditione conſtituti non ſint, ad ſolennitates juris civilis, uti in genere, ita & in teſtamentis condendis obligantur, adeoque privilegiato modo teſtari ſive teſtamentum militare conficere non poſſunt. *Quando ad ſolennitates obligentur.*

Ratio enim, cur milites ad ſolennitates juris civilis tam in genere quam in ſpecie circa teſtamenta non obligentur, in eo continetur, quod in expeditione conſtituantur (§. 402. & 403.). Quodſi itaque in expeditione conſtituti non ſint, ceſſat ratio remiſſionis ſolennitatum. Quoniam vero uti poſita ratione ſufficiente ponatur, ita & ceſſante eadem ceſſet id, quod propter eam eſt (§. 118. *Ontol. WOLF.*): Si milites in expeditione non ſint conſtituti, ad ſolennitates eos tam in genere, quam in ſpecie circa teſtamenta condenda obligari apparet. *Q. e. 1.*

Quare cum propterea milites, quod absque ſolennitate teſtari poſſint, privilegiato more teſtari dicantur (§. 405.): Si in expeditione non conſtituan-

ſtituantur, eos nec privilegiato modo poſſe teſtari, facile intelligitur. *Q. e. 2.*

Hoc rurſus conſtitutioni juris civilis conforme eſt, quod nempe privilegia militibus in condendis teſtamentis conceſſa citra expeditionum neceſſitatem non extendantur (*l. 17. Cod. de Teſt mil.*), ſed iidem tunc juri communi adſtringantur (*princ. & §. 3. Inſt. eod.*). Quod etiam Receſſus imperii de ao. 1612. confirmat (*§. Und ſ llen* verbis: *die Ritter, ſo nicht in Uibung der Streites, noch zu Felde liegen* &c.). Ceſſat enim tunc ratio teſtamenti militaris: Cum majori otio vacent, & tempus facile inveniant, quo per obſervantiam ſolennitatum a ſervitiis non detrahantur; Nec illarum neglectus metuendus ſit. Cum ſi ipſimet ſolennia, quæ requiruntur, ignorent, alios conſulere poſſint.

§. 420.

in hibernis, Quare cum milites, ſi in hibernis commorantur, in expeditione non conſtituantur (*§.* 396.): *Milites in hibernis privilegiato modo teſtari nequeunt, ſed ad ſolennia juris civilis tenentur.*

§. 421.

ut & pacis tempore & in præſidiis. *Milites pacis tempore, vel ſi in urbe non obſeſſa præſidia agant, privilegiato modo teſtari nequeunt, ſed ad ſolennitates juris civilis obligantur.*

Cum milites in expeditione conſtitui dicantur, ſi bellum actu geratur, & hoſtis adſit, aut ejus invaſio metuenda ſit (*§.* 393.): Pacis tempore, vel ſi in urbe non obſeſſa, & invaſioni inopinatæ hoſtis non expoſita, quod hic ſupponitur, præſidia agant, in expeditione eosdem non conſtitui facile apparet: Quare cum milites, ſi in expeditione non conſtituantur, nec privilegiato modo teſtari poſſint (*§.* 419.): Nec pacis tempore & in urbe non obſeſſa hoc poſſe, ſed ad ſolennitates juris civilis teneri, elucet.

§. 422.

Quamdiu teſtamentum militare valeat. *Teſtamentum militare validum manere nequit, ſi conditor ejusdem in expeditione non moriatur. Optime tamen conſtituitur, ut aliquod ſaltem tempus poſt expeditionem finitam adhuc valeat.*

Quod enim milites privilegiato modo teſtari, ſive teſtamentum militare condere poſſint, propterea eſt, quod in expeditione conſtituantur (§. 405.): Ratio itaque teſtamenti militaris & ſolennitatum in eo remiſſarum in eo continetur (§. 56. *Ontol. W.*); Et eadem ceſſat, ſi in expeditione non conſtituantur amplius milites. Quare cum uti poſita ratione ſufficiente ponatur, ita ea ceſſante, ceſſet etiam id, quod propter eam eſt

eſt (§. 118. *l. c.*); Adeoque milites in expeditione non conſtituti ad ſolennia juris civilis circa teſtamenta obligentur (§. 419.): Si miles teſtator in expeditione, qua privilegiato modo teſtatus eſt, non moriatur, teſtamentum ejus etiam ceſſat, aut ſolennitates propter expeditionem omiſſæ, eidem addi debent. Quare cum per ſe intelligatur, quod, ſi teſtamentum ceſſet aut deſinat, illud validum manere nequeat: Nec teſtamentum militare validum manet, ſi teſtator in expeditione non moriatur. *Q. e. 1.*

Cum tamen expeditione finita militibus tempus aliquod concedi conveniat & ſoleat ad ſe reficiendum & a laboribus bellicis quieſcendum (*per hyp. & not.*): Ut eo ipſo momento, quo expeditionem finiunt, de ſolennitatibus ſupplendis ſolliciti ſint, ab ipſis exigi nequit. Quodſi itaque teſtamentum militare poſt expeditionem ſtatim corrueret: Facile fieri poſſet, ut absque teſtamento decederent. Cum vero eorum poſſit intereſſe, voluntatem ſuam, quam modo militari declararunt, ſalvam manere (*per hyp.*): Deterioris eſſent conditionis, quam pagani, ſi hoc fieret. Quare cum non deterioris ſed melioris potius conditionis eſſe debeant, quam pagani (§. 392.): Patet, quod aliquod adhuc tempus poſt expeditionem concedendum ſit, quo teſtamentum militare valeat. *Q. e. 2.*

Tempus hoc præciſe definire, non juris naturalis, ſed mere poſitivi eſt. Cum vero tempus, quod militibus expeditione finita ad ſe reficiendum & quieſcendum conceditur, ſufficiens ad minimum eſſe debeat; Temporis vero majus apud nos ſpatium annus ſit: E re eſſe videtur, ut anno poſt expeditionem finitam teſtamentum militare validum adhuc maneat. Jure itaque etiam civili conſtitutum eſt, ut anno poſt miſſionem valeat adhuc teſtamentum militare, ſi vel conditio, ſub qua heres inſtitutus, poſt annum elapſum demum extiterit (§. 3. *Inſt. de Milit. teſt. & l. 26 ff. eod.*). Eadem vero ratio eſt, ſive expeditione finita ſtatim mittatur, ſive miles adhuc maneat. Quare & in genere illud demonſtravimus.

§. 423.

Si miles vel durante adhuc expeditione, vel ante illud tempus, quo alias poſt expeditionem finitam teſtamentum militare validum adhuc manet, ignominioſe dimittatur, teſtamentum ejus militare amplius non valet, licet alias miſſis, honeſte ſcilicet, illud conceſſum ſit. ***An valeat ſi teſtator ignominioſe mittatur.***

Quod enim miles in expeditione conſtitutus abſque ſolennitatibus teſtari, hoc eſt, teſtamentum militare condere poſſit (§. 407.), privilegium, & quidem neceſſarium eſt (§. 404.): Privilegia vero militum neceſſaria in militia rationem ſuam habent (§. 374.). Quare cum uti

 poſita

posita ratione sufficiente ponatur, ita ea cessante cesset etiam, quod propter eam est (§. 118. *Ontol. W.*): Militia finita, cessare etiam debet testamentum militare. Cum itaque militia finiatur, si in genere miles, adeoque & si ignominiose dimittatur (§. 297.): In genere si miles ignominiose mittitur, testamentum ejus militare corruit, si vel expeditionem adhuc durare supponatur. *Q. e. 1.*

Cum vero conveniat, ut testamentum militare expeditione finita aliquod adhuc tempus valeat (§. 422.); Et ipso jure civili etiam constitutum sit, ut & militibus missis hoc privilegium concedatur (§. 3. *Inst. de Milit. test.*): Illud tamen necessarium non esse, sed per modum præmii saltem concedi, facile apparet. Quare cum præmia saltem in bene meritos conferenda sint (§. 659. *P. 8. Jur. nat. W.*); Militem vero, qui ignominiose dimittitur, deliquisse, adeo minus recte officio suo functum esse supponat (*per hyp.*); Adeoque pœnam potius, quam præmium, promeritus sit: Patet, quod militis ignominiose dimissi testamentum militare etiam statim corruat, licet alias tempus aliquod expeditione finita vel missione secuta adhuc valeat. *Q. e. 2.*

Jure itaque etiam civili hoc dispositum est, ut testamenta eorum, qui ignominiæ causa missi sunt, statim desinant militari jure valere (*l. 26. ff. de Test. mil.*). Ceterum cum hic de delictis & eorum pœnis, ut & de amissione jurium, & de præmiis in veteranos sive honeste missos conferendis nondum actum sit: Supponi aut omitti plane debuerunt, quæ suo loco demonstrabuntur, & demonstrationi præsenti inservirent.

§. 424.

An testamentum ante militiam vel expeditionem conditum valeat.

Si miles ante militiam vel etiam ante expeditionem testamentum omissis solennitatibus condiderit, & postea miles factus & in expeditione constitutus illud suam esse voluntatem declaraverit, testamentum hoc qua militare validum est.

Si enim miles in expeditione constitutus testamentum ante militiam vel etiam ante expeditionem conditum absque solennitatibus pro voluntate sua declaret, satis constat, quæ sit voluntas defuncti. *Quod per se patet.* Quare cum ad testamentum militare plus non requiratur, quam ut hoc constet (§. 412.); Militi vero in expeditione constituto absque solennitatibus testari liceat (§. 403.). Patet, quod testamentum ante militiam vel expeditionem absque solennibus conditum, a milite facto vero & in expeditione constituto pro voluntate sua declaratum, pro militari habendum, adeoque validum sit.

Est & hoc juris civilis, quod tale testamentum quasi ex nova militis voluntate valeat (*§. 4. Inst. de Milit. test.*).

§. 425.

§. 425.

Ut miles, qui filiusfamilias est, testari possit de peculio castrensi, ipso jure romano, non militum, sed peculii saltem castrensis privilegium est. *Miles filiusfam. testari potest.*

Licet enim ab initio non nisi filiisfamilias militibus concessum fuerit, ut de peculio castrensi testari potuerint (*princ. J. Quib. non est perm.*): Postea tamen hoc jus de peculio castrensi vel quasi castrensi testandi, ad omnes filiosfam. extensum fuit (*ibid. &* §. *6. J. de Milit. test.*). Militibus itaque filiisfamilias, aliud jus non competit, quam aliis; Sed hi eodem jure fruuntur. Quare cum concessio juris, quo ceteri carent, privilegium demum dicatur (§. 853. *Part. 8. Jur. nat. W.*): Patet, quod hoc privilegium militum non sit. *Q. e. 1.*

Cum vero filiofamilias sive militi, sive pagano, testari non liceat, nisi de peculio castrensi, vel quasi (*pr. J. Quib. non est perm.*). Cum his peculiis jus connexum est, quo reliqua pecula destituuntur. Quare cum si jus quoddam cum re quadam connectatur, quod intuitu rerum aliarum non competit, illud privilegium, reale scilicet, dicatur (*per def.*); Jus testandi filiisfamilias militibus concessum saltem privilegium est peculii castrensis. *Q. e. 2.*

Filiusfamilias jure civili dicitur, qui in patria potestate adhuc constitutus est (HERM. VULTEJI *Jurispr. rom. lib. 1. cap. 17.*). Quam ob rem cum jure naturæ patria potestas finiatur, quam primum liberi ad eum statum perducti sunt, quo educatione non amplius indigent (§. 775. *Part. 7. Jur. nat. W.*); Jure autem civili patria potestas eo non desinat, sed, nisi alia causa accedat, morte patris vel avi demum solvatur (*princ. Inst. Quib. mod. jus patr. pot. solv.*), adeoque persistat, quousque pater vel avus vixerit: Jure civili filiusfamilias adhuc esse potest, qui jure naturæ talis amplius non est. Filiofamilias itaque jure civili tali utique privilegium constitui potuit, ut de certis licet tantum bonis testari potuerit. Cum vero filiifamilias jure naturæ tales, sive minores, non absque consensu parentum alienare (§. 770. l. c.), neque adeo testari possint: Nec militi filiofamilias natura tali hoc concedi potest. Atque hinc apparet, quod juris naturæ non sit, filiofamilias naturali scilicet, in genere, neque adeo & militi, testamenti factionem concedere; Cum propria ipsorum utilitas in eo versetur (§. 769. *loco cit.*): Si vero natura talis esse desinat, eandem etiam cuilibet, sive militi sive pagano absque bonorum discrimine concedendam esse.

§. 426.

In hypothesi juris civilis, quod miles etiam filiusfamilias testari possit, principiis ejusdem convenienter testamentum militis irritum fieri non debet, si arrogetur. *Testamentum militis subsistit, licet arrogetur.*

Cum

Cum enim per adoptionem, adeoque & arrogationem, quæ ejusdem speeies est, jure civili patria potestas constituatur (*princ. J. de Adopt.*); Is, qui arrogátur, in patriam potestatem venit; Adeoque fit filiusfamilias (*schol.* §. 425.). Cum autem is, qui arrogatur, supponatur esse persona sui juris (§. 1. *Inst. loc. cit.*); Qui vero in patria potestate constituuntur, alieni juris sint (*princ. J. de His, qui sunt sui* &c.): Qui arrogatur, ex persona sui fit alieni juris; Adeoque capitis deminutionem, quæ jure civili dicitur, patitur (§. 3. *J. de Capit. dem.*). Quare cum capitis deminutione irrita fiant testamenta (§. 4. *J. Quib. mod. test. infirm.*); Principiis his convenienter, si quis, qui sui juris testamentum fecerit, postea arrogetur, testamentum ejus irritum fieri debet. Cum vero miles testari possit, licet filiusfamilias sit (*pr. J. de Milit. test.*); De peculio licet saltem castrensi vel quasi (*princ. Inst. Quib. non est perm.*); Adeoque etsi arrogetur, factionis testamenti tamen catenus capax maneat: Patet, quod secundum principia juris civilis testamentum militis de peculio castrensi vel quasi castrensi irritum fieri non debeat, licet arrogetur.

Non vero hoc militis proprium; Sed cum filiofamilias unicuique de peculio castrensi vel quasi testari liceat (*per add.*) cum aliis commune est. Hanc & alias propositiones mere civiles ideo addimus, ut appareat, quod certis principiis, licet vel maxime arbitrariis assumtis, alia inde necessaria consequentia fluant. Nec liberum sit, hypothesi quadam semel posita, reliqua pro arbitrio determinare. Ex eo vero perfectio juris positivi intelligitur, si omnes ejus leges inter se possint concatenari, & una posita ponendæ etiam sint reliquæ. Leges vero civiles ita sub examen rationis vocare, ad theoriam earum naturalem sine dubio spectat. Quæ cum partem juris naturæ constituat (§. 966. *Part. 8. Jur. nat. W.*); Non absonum videbitur, ejusdem etiam, quoad jura militum, si non totam absolvere, specimina tamen exhibere, ubi specimen juris militum naturalis dare allaboramus.

§. 427.

Miles capite damnatus testari potest.

Quod miles ex militari delicto capite damnatus testari possit, privilegium jure romano quidem fuit, hodie vero amplius non est, uti nec jure naturæ.

Jure enim romano ad ultimum supplicium damnatis, quia nempe civitatem & libertatem perdunt, in genere testari non licebat (*arg. l. 29. ff. de Pœnis*); Militibus vero ex militari delicto capite damnatis illud & modo quidem militari concedebatur, licet super bonis duntaxat castrensibus (*l. 11. princ. ff. de Test. mil. & l. 6. §. 6. ff. de Injusto, rupto* &c.). Militibus itaque ex delicto militari capite damnatis jus competebat, quo alii

alii supplicii ultimi rei non gaudebant. Quare cum concessio juris, quo ceteri carent, privilegium dicatur (§. 855. *Part. 6. Jur. nat. W.*): Illud etiam jure romano privilegium militum fuit. *Q. e. 1.*

Cum vero hodienum ad mortem damnatis in genere testari per observantiam permittatur (*§. 10. Tit. 4. lib. 2. O. con. jur.* BERGER.): Milites in eo amplius jure non gaudent, quo ceteri carent. Et hinc facile intelligitur, quod illud nec hodie pro privilegio haberi possit. *Q. e. 2.*

Cum porro dispositio juris civilis, quod ad mortem damnati testari nequeant, in principio mere civili rationem suam habeat, quia nempe iidem jure civitatis priventur; Cum hoc vero connexa sit facultas testandi: Ratio hujus prohibitionis mere civilis est, neque ulla naturalis apparet; Nec si vel maxime lege civili testamenti factio ad mortem damnatis in genere prohibeatur, cur eadem militibus in hoc casu licere debeat, in militia ulla ratio invenitur. Quare cum privilegia ea militum saltem sint juris naturæ, quæ rationem in militia habent (§. 385.): Facile apparet, quod uti prohibitio testamenti factionis capite damnatis in genere, ita & concessio ejusdem militibus speciatim facta, juris naturæ non sit. *Q. e. 3.*

§. 428.

Militem ad mortem damnatum jure militari testari posse, non consequitur, sed analogiæ juris repugnat. ***Non modo militari.***

Absque enim solennitatibus testari militibus propterea concedi debet, ne a servitiis militaribus detineantur & deterioris sint conditionis, quam pagani (*dem.* §. *402. 403.*). Deterioris vero conditionis propterea esse non debent, quia vitam & corpus periclitantur, & eo peculiariter de republica merentur (*dem.* §. *392.*). Miles autem capite damnatus ad servitia militaria amplius non tenetur, nec adeo periculis istis, reipublicæ saltem causa, subjicitur; Adeoque cum capite damnari non soleat, nisi qui graviter deliquerit; Tantum abest, ut talis de republica bene mereatur, quin potius eandem maxime læsisse facile videatur. Ratio itaque, cur militibus solennitates testamentorum remissæ vel remittendæ sint, cessat in capite damnatis. Cum vero, uti posita ratione sufficiente, ponendum sit, ita etiam ea cessante cesset, quod propter eam est (§. *118. Ontol.*): Patet, militem ad mortem damnatum jure militari testari non posse. *Q. e. 1.*

Et cum ratio solennitatum militibus, ut in genere, ita & in testamento remissarum (§. 403.), in eo contineatur, ne a servitiis detineantur & ne deterioris conditionis sint, quam pagani (*per dem.* §. *402.*); Id vero, quod

quod in se continet rationem alterius, ejusdem principium dicatur (§. *866. loco cit.*): Quod milites a servitiis distrahi & deterioris conditionis esse non debeant, principia juris sunt. Principiis vero his non convenit, ut miles capite damnatus jure militari testari possit (*per dem. n. t.*). Quare cum in consensu sive convenientia cum principiis juris analogia juris consistat (*per def.* §. *399.*): Apparet, quod & analogiæ juris repugnet. *Q. e. 2.*

Imperator itaque etiam hæsitavit in decidenda hac quæstione; Tandem vero militi capite damnato militari jure testari concessit, ex hac ratione, quod ei quasi militi tribuatur jus testandi. Addit tamen, quod hoc ita intelligi debeat, si sacramenti fides non sit rupta (*l.* 11. *princ. ff. de Test. mil. & l.* 6. *§.* 6. *ff. de Injusto, rupto &c.*). Cum vero ratio testamenti militaris cesset in capite damnatis (*per dem.* §. 427.): Ad mortem damnatis vero jus testandi, non qua militibus, sed in genere competere debeat (*dem.* §. 427. *n.* 3.); Et cum milites in leges militares jurent (§. 148.); Ad mortem damnatum vero deliquisse, adeoque has transgressum esse appareat; Et hinc etiam juramentum violasse necesse sit: Ratio ab Imperatore adducta sufficiens minime videtur.

§. 429.

Miles pro parte testari potest.

Militi in expeditione constituto concedendum est, ut ex parte testatus & ex parte intestatus decedere, adeoque pro parte saltem testari possit.

Quod enim quis ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere jure romano non possit (*l. 2. ff. de R. J.*), consequitur ex hypothesi illa seu principio juris illius, quod testamentum indicet dispositionem de universis bonis (BERGER *Oecon. jur. lib. 2. tit. 4. p. 455.*). Cum vero jure naturali testamentum non requirat dispositionem de tota hereditate (§. *994. Part. 7. Jur. nat.* WOLF.): Principium hoc mere juris civilis atque arbitrarium est. Quare cum consequentiæ ex principiis juris civilis mere arbitrariæ fluentes, subtilitates juris dicantur (*def.* §. *401.*): Thesis illa, quod nemo ex parte saltem testatus decedere queat, ad subtilitates juris referenda est. Quamobrem cum milites in expeditione constituti ad has non obligentur (§. 401.): Facile adparet, quod iisdem etiam concedendum sit, pro parte saltem testari, adeoque & pro parte ab intestato decedere posse.

Aliter.

Milites in expeditione constituti ad plura in testamentis suis condendis teneri nequeunt, quam quæ juris naturæ ad eadem requiruntur (§. 411.). Quare cum naturaliter etiam de quibusdam saltem testari liceat, & re-

& reliqua tunc cedant heredi ab inteſtato (§. *1046. loco cit.*): Etiam hoc modo patet veritas aſſerti.

Jure itaque etiam civili militibus hoc conceſſum eſt, ut pro parte teſtari, & pro parte inteſtati decedere poſſint (*l. 6. ff. de Teſt milit.*). Quod enim naturalem harum rerum pugnam eſſe dicatur (*l. 7. ff. de Reg. jur.*), hoc ex hypotheſi juris civilis intelligendum eſſe, optime monuit BERGERUS (*loco cit.*). Juri naturali non repugnare, ſed ejusdem potius eſſe, modo demonſtravimus. Ceterum facile intelligitur, quod cum hoc jus paganis non competat, illud ſit privilegium militum; Et quidem, cum rationem ſuam habeat in ipſa militia (*per dem.* §. 401.), neceſſarium (§. 374.).

§. 430.

Si miles de parte ſaltem bonorum teſtatus fuerit, pars reliqua cedit heredibus ab inteſtato. *Cui cedat pars reliqua.*

Cum enim miles pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere poſſit (§. 429.): Si de parte ſaltem bonorum teſtatus ſit (*per hyp.*), quoad reliquam partem teſtamentum non extat. Quare cum ab inteſtato ſuccedatur, ſi teſtamentum non adſit (§. *1021. Part. 7. Jur. nat W.*); Heres vero dicatur, qui in bona defuncti ſuccedit (§. *958. ibid.*): Patet, quod ſi miles de parte bonorum ſaltem teſtatus fuerit, pars reliqua cedat heredibus ab inteſtato.

Jure civili res aliter ſe habet cum paganis. Cum enim nemo paganorum ex parte teſtatus, & ex parte inteſtatus decedere queat, & teſtamentum eſſe debeat diſpoſitio de univerſitate bonorum (*per ſup.*): Si paganus de parte ſaltem bonorum teſtetur. Pars hæc, licet minima totam hereditatem trahit ad heredem inſtitutum (§. 5. *Inſt. de Hered. inſtit.*). Cum cauſa teſtati potior habeatur cauſa inteſtati. Illud vero ratione naturali deſtitui, commonſtrat SAM STRYCK (§ 13. *cap.* 1. *de Cautelis teſtam.*). Cum autem militi liceat de parte ſaltem teſtari (§. 429.); Adeoque partem ab inteſtato relinquere; Naturali etiam ratione patet, quod hæc non heredi inſtituto accreſcere, ſed potius heredibus ab inteſtato relinqui debeat. Uti etiam ſtatutis & moribus quorundam locorum hodie obtinere docet citatus auctor §. 8. *Lib.* 28. *Tit.* 5. *Uſ mod. pand.*).

§. 431.

Ut ex hereditate militis pars quædam ſive corpus quoddam cedat præfecto ejus, non juris naturæ, ſed mere poſitivi eſt. *Præfecto militis ex hereditate nihil competit.*

Cum enim naturaliter teſtamentum facere liceat (§. 999. *loco cit.*): Quod in hoc caſu ii ſuccedant in bona defuncti, qui heredes inſtituti ſunt, per ſe intelligitur. Si vero quis inteſtatus ſuccedat, ipſo jure naturæ ſuccedunt liberi, dein parentes, & ultimo denique agnati reliqui

(§. 1033. *seq. ibid.*). Quare cum præfectus militis inter hos referri, aut ipsi ex alia causa, veluti promisso, quid deberi, hic non supponatur (*per hyp.*): Jure etiam naturæ ratio non adest, cur ipsi aliquid ex hereditate militis cedere debeat. Quodsi itaque dispositum sit, ut hoc fiat: Illud juris mere positivi esse facile apparet.

§. 432.

Jus optimi caballi juris naturæ non est.

Jus itaque optimi caballi, quod dicitur, juris naturæ non est, sed mere positivi.

Jus enim optimi caballi dicitur, vi cujus præfecto militum superiori ex hereditate inferioris imperio suo subjecti sumere licet equum optimum & instructum (*per def.*). Quare cum juris naturæ non sit, ut pars quædam hereditatis militis defuncti cedat præfecto ejusdem (§. 431.): Facile apparet, quod nec jus optimi caballi sit juris naturæ, sed mere positivi.

Facile intelligitur, hic non supponi equum militi sive præfecto ab auctore belli in usus bellicos datum; sed proprium. Illum enim milite moriente jure suo vindicari, dubium esse nequit. Quare cum & equitibus gregariis equi suppeditari soleant: Hos illis mortuis domino rursus obvenire, per se liquet. Supponitur itaque miles, seu præfectus, qui equos proprio sumtu, ab auctore licet belli accepto, comparat & alit, adeoque eosdem proprios habet.

De hoc jure optimi caballi specimen nuperrime adhuc conscripsit GEO. AUG. RITTMEYER, a cognitionibus præsidii Lüneburgensis, editum Luneburgi 1749., qui sedulus admodum fuit in origine ejus indaganda. Ex qua satis patet, ejusdem neque naturalem rationem, neque & in militia necessariam adesse. Quanquam enim putet, quod illud præter consuetudinem ratione etiam bellica fulciatur (§. 10.): Hæc tamen minus sufficiens videtur, ut heredibus jus adimatur, quod illis competit. Cum enim equus bellator supponatur: Rationem bellicam ponit in raritate, usuque equorum in castris præsentissimo, talium nempe, qui ad suetos armorum strepitus loco stare sciant. Hos ex castris in manum heredum transire, qui forte vel apud ipsos hostes commorantur, forte domi in agris aut urbibus degunt, forte vendere plane nolunt, aut non nisi enormi pretio, id intolerabile dicendum esse existimat (*not. a*) *ad* §.*cit.*). Facile autem apparet, quod ad hoc, ut militiæ conserventur tales equi tractati, non requiratur, ut heredes iis absque pretio careant. Quodsi enim publica utilitas id requirat, hi utique ad eosdem in castris vendendos adstringi poterunt. Et ne pretium eorum stet arbitrio: Aequitas ejusdem vel judicio peritorum, vel plus licitando determinari poterit. Ex ipsa etiam, quam tradidit (§. 8), origine satis elucet, aut supponi equum illum militi ab auctore belli fuisse traditum, aut militem vasallum esse, a quo relevii loco servet eum dominus. Agnoscit itaque ipsemet

met etiam, quod hodie nexu clientari in milite cessante, ratio ejusdem juris proprie cesset, & illud saltem sub inveteratæ semel consuetudinis titulo passim remanserit (§. 9.). Quodsi itaque & hodie jus hoc concedatur: Restringi tamen illud solet tam ad casum expeditionis, quam præfecti absque vidua & liberis, ut & absque ære alieno vires hereditatis superante decedentis. Quod optime monuit auctor laudatus §. 2.

§. 433.

Milites etiam legata absque heredis institutione testamento relinquere posse debent. *Milites legata solum relinquere possunt.*

Cum necesse non sit, ut miles de tota hereditate sive universitate bonorum testetur, sed de parte etiam testari possit (§. 429.): Nec ad heredem instituendum teneri potest, sed partes etiam bonorum suorum, sive rem quandam, sive certam pecuniæ summam testamento relinquere posse debet. Quare cum donatio rei cujusdam sive certa pecuniæ summa ultima voluntate facta, legatum dicatur (*§. 1003. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod miles legata etiam sine heredis institutione relinquere possit.

Aliter.

Naturaliter in testamento tantummodo relinqui possunt legata, tumque heres est, qui ab intestato succedit (*§. 1046. loco cit.*). Jure naturæ itaque & legari potest absque heredis institutione. Quare cum milites in testamentis suis condendis ad plura non teneantur, quam quæ jure naturæ requiruntur. (§. 411.): Etiam hoc modo statim assertum probatur.

Hanc ut & alias, quæ sequuntur, propositiones de milite in expeditione constituto intelligendas esse, facile patet. Talis enim saltem pro parte (§. 429.) & alio privilegiato modo testari potest (§. 405.). Brevitatis studio vero hæc determinatio non semper adjicitur: Cum per se satis intelligatur. Singulare hic quidem proprie nihil tribuitur militibus, quod nec jure civili paganis competat, postquam legata fideicommissis exæquata sunt (*l. 1. ff. de Leg. I.*). Sic enim & legata codicillis relinqui possunt, (*l. 8. §. 1. ff. de Jur. codicill. & l. 43. de Manum. testam.*), adeoque cum hi absque heredis institutione conficiantur (§. 2. *Inst. de Codicillis*), & absque herede instituto: Quæ tamen dispositio jure civili testamenti nomine non venit. Licet jure naturæ, utpote quod discrimen testamentorum & codicillorum ignorat testamento relinqui posse legata absque heredis institutione, alienum non videatur (*per dem*).

§. 434.

Miles in expeditione constitutus plura testamenta facere posse debet. *Plura testamenta facere.*

Militi enim in expeditione constituto de parte saltem hereditatis testari

ſtari licet (§. 429.). Datur itaque teſtamentum militis in expeditione conſtituti de parte etiam hereditatis. Quare cum plures dentur partes hereditatis totius; Cum partes ſimul ſumtæ totum denique conficiant: Patet, quod miles in expeditione conſtitutus de partibus ſingulis hereditatis ſeparatim teſtari, adeoque plura teſtamenta condere poſſit.

Per ſe autem intelligitur, quod eadem ſimul valeant. Cum enim jure civili teſtamentum paganorum ſit diſpoſitio de tota hereditate: Facile patet, quod nemo paganorum plura teſtamenta ad eum ſcilicet effectum facere poſſit, ut valeant ſimul. Abſurdum enim videtur, ſi quis plus una de eadem re diſponere & utrumque valere vellet. Quoniam vero ipſum jus civile militibus facultatem pro parte teſtandi conceſſit (*l. 6. ff. de Teſt. mil.*): Opus etiam fuit, ut ipſis plurium teſtamentorum factionem indulgeret. Uti expreſſe factum eſt (*l.* 19. & 35. *eod.*).

§. 435.

Heredem ex tempore & ad tempus inſtituere.

Miles in expeditione ſcilicet conſtitutus, in teſtamento militari heredem vel ex certo tempore vel ad certum tempus inſtituere poſſe debet, tam jure naturæ, quam civili.

Heres enim in diem etiam, vel quod idem eſt, ex certo demum tempore jure naturæ poteſt inſtitui (§. *1039 Part. 7. Jur. nat. W.*); Et quod etiam ad certum ſaltem tempus poſſit, dubium eſſe nequit (*dem.* §. *1036. l. c.*). Quare cum milites in teſtamentis ſuis condendis ad plura non teneantur, quam quæ ſunt juris naturæ (§. 411.): Patet, quod miles jure naturæ heredem vel ex tempore, vel ad tempus inſtituere poſſit. *Q. e. i.*

Si quis vero ex certo demum tempore heres inſtituatur: Interea heres ex teſtamento non eſſet; Adeoque hereditas ad heredes ab inteſtato veniret (§. *1021 Part. 7. Jur. nat. W.*). Quod etiam fieret, ſi poſt aliquod tempus heres quis eſſe deſineret. Idem itaque eſt in utroque caſu, ac ſi quis ex parte teſtatus, ex parte vero inteſtatus decederet. Quod cum jure civili paganus non poſſit (*l. 7. ff. de Reg. jur.*): Jure quoque civili conſtitutum eſt, ut heres ex certo tempore vel ad certum tempus inſtitui non poſſit a pagano, ſed tempus adjectum pro ſupervacaneo habeatur (§ *9. Inſt. de Hered. inſtit. l. 34. & 88. ff. eod. l. 8 Cod. eod.*). Ex hoc itaque intelligitur, cur illud fieri nequeat (*JO. SAM. STRYCK ad* §. *9. Inſt. l. c.*). Quare cum id, ex quo intelligitur, cur aliquid ſit, ratio ejusdem dicatur (§. *56. Ontol. W.*): Ratio hujus conſtitutionis in eo continetur, quod paganus non poſſit ex parte ſaltem teſtatus decedere. Cum vero militi hoc liceat ipſo jure civili (*l. 6. ff. de Teſt. milit.*): In milite ceſſat ratio, cur heres ex die vel ad diem inſtitui non poſſit.

Quare

Quare cum uti posita ratione sufficiente ponatur, ita etiam eadem cessante cesset, quod propter eam est (§. 118. *Ontol.*): Militi ipso etiam jure civili licere debet heredem ex certo tempore, vel ad certum tempus instituere. *Q. e. 2.*

Iterum hinc patet, quomodo principio quodam, arbitrario licet, assumto, inde fluant alia, quæ licet expresse disposita non sint, propter convenientiam tamen cum principiis, admitti debeant. Quæ, cum analogia juris in convenientia propositionis vel asserti cujusdam cum principiis juris ponenda sit (*per def.* §. 399.), analogiæ juris conformia dicenda sunt.

§. 436.

Milites heredem etiam alias inhabilem instituere posse debent. *heredem inhabilem instituere.*

Milites enim in expeditione constituti, quales hic supponuntur (*schol.* §. 433.), ignorantia juris excusantur (§. 399.); Nec ad subtilitates juris civilis observandas tenentur (§. 401.). Quare cum id peritiam juris supponat, quis sit heres habilis, vel non; Et plerumque subtilitate quadam nitatur, quod quis heres esse non possit (*per hyp.*): Patet, quod milites instituere etiam posse debeant heredem alias inhabilem.

Jure itaque civili etiam constitutum est, ut deportati, & fere omnes, qui testamenti factionem, passivam scilicet, non habent, a milite heredes institui possint (l. 13. §. 2. *ff. de Test. milit.*) & liberum arbitrium ipsis concedi debeat, quibus velit quid relinquendi, nisi lex specialiter prohibuerit (*l 5. Cod. eod.*). Specialiter vero prohibitum est militibus instituere heredes servos pœnæ (*d. l* 13. §. 2.), mulierem in quam turpis suspicio cadit (*l.* 41 §. 1. *eod.*) & concubinam, sive quæ in contubernio militis fuit (l. 14. ff. *de His, quæ ut indignis auf.*). Cum vero ratio, cur militibus heredes etiam inhabiles instituere, concedi debeat, generalis sit (*per dem.* §): Quod tamen quidam excipiuntur, ratio adesse non videtur. Et quod mulieri turpi testamento aliquid relinquere non possint, eo magis mirandum est, cum paganis hoc licere ex *l.* 3. §. 1. *ff. de Donat. int. vir. & ux.* tuetur ULR. HUBER. *in Prælect. juris civ. ad Pand. de Test. mil.* §. 1. Favore quidem militaris disciplinæ hoc jus singulare constitutum esse putat BERGER *Oecon. jur. Lib.* 2. *Tit.* 4. §. 5. *nota* 6. Cum vero eadem ratio sit, & paganos a turpium mulierum consortio detinendi: Quodsi & in pœnam quasi militum hoc statutum sit, non tamen apparet, cur paganis in eo indulgeatur.

§. 437.

Ad testamentum militare sufficit, ut heres in eo institutus tempore mortis testatoris vel adeundæ hereditatis saltem habilis sit; Nec necesse est, ut etiam tempore facti testamenti habilis fuerit. *Habilitas heredis ex quo tempore æstimetur.*

Ipso enim jure naturæ obtinet, ut testamentum ante mortem testatoris validum non fiat (§. 998. *Part.* 7. *Jur. nat. W.*); & heres translatio-

nem dominii teſtamento factam non niſi poſt mortem teſtatoris acceptare poſſit (§. 994. *l. c.*). Quare cum in acceptatione translationis dominii teſtamento factæ hereditatis aditio conſiſtat (*per def.*): Ut tempore adeundæ hereditatis habilis ſit heres, requiritur. Cum vero tempore facti teſtamenti non ſtatim acceptare poſſit aut debeat heres translationem dominii (*per dem.*): Ratio naturalis non apparet, cur etiam tempore teſtamenti factionis habilis eſſe debeat heres. Quoniam itaque ad teſtamentum militare plura non requiruntur, quam quæ juris naturæ ſunt (*§.* 411.): Si vel jure civili ponatur dari etiam heredes reſpectu militum inhabiles (*ſchol.* §. 436.), ſufficere tamen debet ad teſtamentum militare, ut heres tempore mortis teſtatoris vel adeundæ hereditatis habilis fuerit. *Q. e. 1.*

Cum vero ratio naturalis non inveniatur, cur etiam teſtamenti conditi tempore habilis eſſe debeat heres (*per dem. n. 1.*): Quod hoc jure civili requiratur (*arg. l. 1. ff. de Reg. Caton.*), merito ad ſubtilitates ejusdem referendum eſt (*def.* §. 401.). Quare cum ad has milites in expeditione conſtituti non teneantur (*§. eod.*); Teſtamentum militare vero in expeditione condi ſupponatur (*§.* 407.): Nec neceſſe eſt in teſtamento militis, ut etiam teſtamenti facti tempore habilis fuerit heres. *Q. e. 2.*

Ipſum jus civile hanc conſequentiam agnoſcit. „Diſponit enim ſe„quenti modo ſi ſervum pœnæ heredem ſcribat miles: Inſtitutio non va„lebit. Sed ſi mortis tempore in civitate inveniatur: Inſtitutio incipit „convaleſcere, quaſi nunc data hereditate. Et generaliter in omnibus id „poterit dici, quos miles inſtituit, ut inſtitutio incipiat vires habere, ſi „mortis tempore talis inveniatur, ut a milite inſtitui potuerit (*l.* 13 *§.* 2. „*ff. de Teſt. milit.*).

§. 438.

Milites ſubſtituere & quidem ipſis pupillariter poſſunt abs-que teſtamento proprio.

Milites tam jure naturæ, quam civili liberis ſuis teſtamentum facere & quidem ipſis pupillariter ſubſtituere poſſe debent, etiamſi ſibimet ipſis non teſtentur.

Ipſo enim jure naturæ parentes liberis ſuis in eum caſum heredem ſubſtituere poſſunt, ſi infra pubertatem moriantur (*§.* 1061. *Part. 7. Jur. nat. W.*). Adeoque cum in hoc actu pupillaris ſubſtitutio conſiſtat, & hæc juris naturalis ſit, (*§.* 1062. *loco cit.*): Pupillariter ſubſtituere poſſunt. Cum vero naturaliter in teſtamento diſponi etiam tantum poſſit de aliis, quæ poſt mortem ſuam fieri vult teſtator, neque heredis inſtitutio neceſſaria ſit (§. 1046. *l. c.*): Naturaliter ſubſtitui etiam ſolum poteſt pupillariter, abſque herede ſibimet ipſi relicto, vel teſtamento proprio facto. Quare cum milites in teſtamentis ſuis condendis ad plu-

ra non teneantur, quam quæ sunt juris naturalis (§. 411.): Ipso etiam jure naturæ militibus licere debet pupillariter substituere, etsi sibimet-ipsis non testentur. *Q. e. 1.*

Jure vero civili, cum pupillare testamentum pro parte & sequela paterni habeatur, nemo liberis suis testamentum facere potest, nisi & sibi faciat (§. 5. *Inst. de Pupill. substit.*); Adeoque in pupillari substitutione duo quodammodo testamenta requiruntur (*§. 2. ibid.*). Cum vero principium illud juris naturæ non sit (*per dem. n. 1.*): Consequentia inde deducta principio mere civili innititur. Quare cum consequentia ex principio mere civili sive arbitrario deducta, & jure civili adprobata, ad subtilitates juris referenda sit (*def.* §. 401.); Milites vero vel ipso jure civili ad easdem non teneantur (*schol. §. cit.*): Jure etiam civili licere ipsis debet, absque testamento sibimet ipsis relicto, illud facere liberis in casum, si infra pubertatem decedant, sive pupillariter illis substituere. *Q. e. 2.*

Hoc utique jus civile expresse constituit (*l. 15. §. 5. & l. 41. §. fin. ff. de Test. milit.*). Et facile apparet, cum pagani eodem jure non fruantur (*dem. n. 2.*), quod sit privilegium militum.

§. 439.

Milites etiam liberis ultra pubertatem, imo & extraneo in casum, si intra certum tempus moriatur, substituere posse debent. *etiam ultra pubertatem & extraneis.*

Cum enim jure naturæ testator heredi instituto alium substituere possit, ut, illo quacunque de causa deficiente, hic succedat (§. 1058. *Part.7. Jur. nat. W.*): Naturaliter etiam substituere licere debet in eum casum, quo ante certum tempus heres moriatur. Si vero ejusmodi substitutio fiat: Idem est, ac si ad certum modo tempus vel ex certo demum tempore heres instituatur. Quod cum in testamento paganorum fieri non possit (§. 9. *Inst. de Hered. instit. l. 34. & 88. ff. eod.*): Nec hos liberis ultra pubertatem vel extraneo ad certum tempus substituere posse, intelligitur (*§. 9. Inst. de Pupill. substit. l. 7. & 14. ff. de Vulg. & pup. subst.*). Cum vero militi & jure civili illud liceat (§. 435.); Præterea vero ad testamentum militare plura non requirantur, quam quæ ad testamenta in genere (§. 411.): Milites etiam tam liberis ultra pubertatem, quam extraneo in casum, si intra certum tempus moriatur, substituere posse debent.

Quoad liberos ultra pubertatem eis etiam hoc privilegium expresse jure civili concessum est (*l. 15. ff. de Vulg. & pup. subst.*).

§. 440.

liberos præterire non possunt, *Quod jure civili liberi in testamento militari præteriri saltem possint, nec expresse exheredari debeant, juris naturæ non est.*

Ipsum enim jus naturæ requirit, ut liberi vel heredes instituantur vel justa de causa exheredentur (§. 1016. *Part. 7. Jur. nat. W.*), ita, ut testamentum quoad heredis institutionem non valeat, si liberi in eodem saltem præteriti sint (§. 1015. *loc. cit.*). Quare cum jure civili contrarium statuatur, quod nempe in testamento militari liberi quoad effectum scilicet exheredationis præteriri possint (§. 6. *Inst. de Exher. lib.*): Facile patet, quod hoc juris naturæ non sit; Et cum milites in condendis suis testamentis observare debeant ea, quæ sunt juris naturæ, (§. 411.), quod milites liberos suos quoad effectum exheredationis præterire non possint.

Rationem hujus dispositionis non invenimus, nisi forte in eo ponatur, quod juris mere civilis creditum fuerit, parentes liberos præterire non posse, sed nominatim eos exheredare debere; Milites vero ad ea in testamentis suis condendis non teneri, quæ juris mere civilis sunt. Cum vero jam demonstratum fuerit, hoc ipsius esse juris naturalis (*dem* §.); Et cum jus liberorum hereditarium, quod perfectum est (§. 985. *loc. cit.*), in eo versetur, quod absque justa causa exheredari non possint; Quod nec adeo citra injuriam adimi potest (*dem.* §. 1015. *cit.*): Ratio illa non sufficiens, sed nulla potius est. Alia forsan reddi posset, quod, si parentes saltem prætereant liberos, præsumendum sit, eos hoc non absque justa causa facere, licet eandem non exprimant. Cum adeo milites ignorantia juris civilis excusentur (§. 398.); Hoc vero disponat, liberos vel instituendos vel nominatim exheredandos esse (*princ. Inst. de Exher. lib.*): Militibus hoc remittendum, & justam saltem exheredationis causam in iis præsumendam esse, videri posset. Cum vero dispositio hæc de expressa liberorum exheredatione juris non mere civilis, sed naturalis etiam sit (*per add.*); Milites vero ad omnia maneant obligati, quæ sunt juris naturæ (§. 122.), præcipue etiam in testamentis suis condendis (§. 411.): Nec hanc adæquatam putaverim. Licet enim utique præsumi possit, parentes adeo non fore iniquos, ut liberos suos absque justa causa privent hereditate, quam ipsa natura tribuit: Fieri tamen æque potest, ut pro justa causa habeatur, quæ non est. Tutius itaque videbitur, tantum in eo non relinqui judicio militum, facile erroneo, sed eos etiam per expressam causæ allegationem ad ejus rationem reddendam obligari, uti juris naturæ est (§. 1018. *P. 7. Jur. nat.*).

§. 441.

nec posthumum. *Quod posthumus in testamento militari præteriri, adeoque quoad effectum exheredari possit, juris naturæ non est.*

Post-

Posthumus enim inter liberos etiam referendus est (*§.* 1017. *loc. cit.*). Quare cum in genere liberi ad effectum scilicet exheredationis præteriri non possint in testamento militari (*§.* 440.): Nec posthumum posse, facile intelligitur.

Hoc iterum repugnat dispositioni juris civilis (*§. 6. Inst. alleg.*). Quod tamen, uti si ignoraverit, se habere liberos (*§. cit. & l. 9. Cod. de Test. mil.*), ita & quoad posthumum eo restringitur, nisi ignoraverit, uxorem esse prægnantem (*l. 10. ibid.*). In utroque enim casu præteritio non habetur pro exheredatione, nec testamentum valet. Iniquitas vero illius constitutionis etiam ex iis facile perspicietur, quæ ad §. præced. monuimus.

§. 442.

Quod testamentum militare querela inofficiosi testamenti impugnari nequeat, juris quidem civilis, non vero naturalis est. *Querela inofficiosi locum habet.*

Cum enim jure civili in testamento militari quoad effectum exheredationis præteriri possint liberi (§. 6. *Inst. de Exher. lib.*): Multo magis in eodem vel sine vel falsa causa adjecta exheredari posse debent. Liberi itaque de iniqua exheredatione vel præteritione, in testamento militari facta, queri nequeunt. Quare cum querela inofficiosi testamenti detur liberis præteritis aut inique exheredatis (*princ. Inst. de Inoff. test.*): Facile patet, quod secundum principia juris civilis illa contra testamentum militare locum habere nequeat. *Q. e.* 1.

Cum vero juris naturæ non sit, ut in testamento militari liberi quoad effectum exheredationis præteriri possint (*§.* 440.); Sed jure naturæ liberi vel instituendi, vel justa de causa sint exheredandi (§. 1016. *Part.* 7. *Jur. nat. W.*); Et quidem causa exheredationis alleganda sit (§. 1018. *l. c.*): Liberi secundum jus naturæ utique conqueri possunt, si in testamento militari vel plane prætereantur, vel exheredentur quidem, causa vero vel nulla, vel iniqua adjiciatur. Quare cum querela inofficiosi ad hoc detur (*per sup.*): Patet, quod jure naturæ testamentum militare impugnari quoque posse debeat querela inofficiosi, si in eo nempe liberi aut plane præteriti, aut nulla vel iniqua causa adjecta exheredati fuerint. *Q. e.* 2.

Controversiam doctorum, an hodie indifferenter supersit querela inofficiosi, vel an eo casu, quo rite quidem, sed non juste facta est exheredatio, querela nullitatis competat, ingredi, & discrimen inter utramque, statuere, hic nostrum non est. Sufficit enim demonstrasse, quod liberis, in testamento militari sive præteritis saltem, sive nulla plane aut injusta causa adjecta exheredatis, jus de eo conquerendi, atque adeo testamentum paternum impugnandi competere debeat. Quomodo vero hoc jus

agendi dicere volueris, sive inofficiosi, sive nullitatis querelam, hic perinde & juris saltem civilis est.

§. 443.

& naturaliter jus accrescendi. *Jus heredum accrescendi, quoad rationem juris romani, cessare debet in testamento militari, jure naturæ vero in eodem valet, si de omnibus bonis fuerit dispositum; Non æque si de parte saltem.*

Jus enim accrescendi dicitur, quo portio heredis cujusdam ex testamento, sive legatarii deficientis, sive vacans, attribuitur coheredibus reliquis (*per def.*). Si vero portio heredis alicujus vacans reliquis non accresceret: Illa ab intestato maneret (*l. 64. ff. de V. S.*). Idem adeo esset, ac si quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decederet. Quum vero jure romano hoc absurdum habeatur (*l. 7. ff. de R. I.*): Jus accrescendi admittendum fuit. Ex hoc itaque principio intelligitur, cur jus accrescendi quoad heredes admittatur. Quare cum illud, ex quo intelligitur, cur aliquid sit, ratio illius dicatur (§. 56. *Ontol. WOLF.*): Ratio juris accrescendi, quoad heredes, secundum jus romanum in illo principio continetur, quod nemo ex parte testatus & ex parte intestatus decedere possit; Uti & sentiunt HUBERUS (§. 27. *Prælect. jur. civ. ad Inst. de Legatis*), HOPPIUS (*Comment. ad* §. 8. *eodem*) & alii. Cum vero & vel ipso jure civili principium hoc cesset in testamento militari (§. 429.): In eodem cessat ratio juris accrescendi, quæ secundum jus romanum obtinet. Quare cum uti posita ratione sufficiente ponendum sit, ita & eadem cessante cesset etiam id, quod propter eam est (§. 118. *Ont. W.*): Patet, quod secundum jus romanum jus heredum accrescendi cessare debeat in testamento militari. *Q. e.* 1.

Quoniam vero, si quis testamentum de tota scilicet hereditate conficiat, declaret, quod ab intestato sibi succedi nolit, seu eos heredes esse, qui ipsi ab intestato alias succedant (§. 994. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Si heres unus deficiat, adeoque portio ejus vacet, ipso etiam jure naturæ præsumendum est, testatorem voluisse, ut in illam portionem heredes instituti reliqui potius simul succedant, quam heredes ab intestato. Jure itaque etiam naturæ jus accrescendi obtinet (§. 1055. *loc. cit.*). Si itaque portio quædam vacans coheredibus reliquis non accresceret, sed ad heredes ab intestato veniret: Voluntas testatoris, qualis præsumi debet, non adimpleretur. Cum vero jure naturæ tota successio sive ab intestato sive ex testamento voluntate domini expressa vel præsumta nitatur (§. 994. & 1031. *loc. cit.*), & præsertim in testamento militis spectari debeat voluntas ejusdem (§. 412.); In eoque valere debeant, quæ sunt

ſunt juris naturæ (§. 411.): Jus accreſcendi in teſtamento militari ſi de tota hæreditate diſpoſitum fuerit naturaliter locum obtinet. *Q. e. 2.*

Si vero de parte quadam hereditatis teſtamento militari ſaltem fuerit diſpoſitum, adeoque pars reliqua cedat heredi ab inteſtato (§. 430.): Evidens eſt, non voluiſſe teſtatorem, ut nihil ad hunc veniat, ſed potius eo declaratur voluntas ejusdem, ut id omne cedat heredi ab inteſtato, quod aliis non legavit, & quod hi plus non accipiant, quem expreſſe ipſis aſſignavit. Quodſi itaque unus horum deficiat: Præſumi aliter nequit, quam teſtatorem voluiſſe, illud non heredibus aut legatariis inſtitutis, ſed heredi ab inteſtato accreſcere. Accreſcit itaque portio illa vacans quidem heredi, non vero teſtamentario, ſed ab inteſtato. Cum vero jus accreſcendi heredes ex teſtamento ſupponat (*per def. n. 1.*); Et ex militis voluntate ipſi ſuccedatur (*dem. n. 2.*): Nec jure naturæ in teſtamento militari juri accreſcendi locus tribui poterit, ſi de parte bonorum illud ſaltem ſit confectum. *Q. e. 3.*

Jure itaque etiam civili ex ea, quam adduximus, ratione jus accreſcendi tollitur in teſtamento militari (*l. 37. ff. de Teſt. milit.*). Additur tamen ibidem; Niſi voluntas defuncti probata fuerit, ut omittente altero, ad alterum vellet totam redire hereditatem. Probatur autem voluntas ea defuncti, ſi eadem præſumi debeat. Ratio itaque naturalis juris accreſcendi, quam dedimus, eo firmatur. Quare & non ita univerſaliter ac indiſtincte negari illud in hereditate militis, exiſtimat HUBERUS *loco citato.* Et vel ipſo jure naturæ illud tantum ceſſat, ſi de parte ſaltem teſtatus fuerit miles (*per dem. n. 1.*). Quod vero jure civili ceſſare debeat ſaltem, quoad heredes, non abſque ſtudio monuimus. Quodſi enim legatarius tantum deficiat, portio ejus ab inteſtato non fieret, etſi reliquis collegatariis non accreſceret, ſed cederet heredi. Quare & ratio juris accreſcendi quoad legatarios poni nequit in eo, quod nemo ex parte teſtatus & ex parte inteſtatus decedere poſſit. HUBERUS itaque etiam quoad hos aliam adducit rationem, præſumtam nempe teſtatoris voluntatem (*loco cit.*). Qualis vero hæc jure naturæ præſumi debeat, monuimus *n. 2.* Jure itaque etiam naturæ portio legatarii vacans accreſcit heredi (*§. 1055. P. 7 Jur. nat. W.*). Uti hæc omnia pluribus demonſtrari & enucleari poſſent, ſi tantum campum, quantum materia de jure accreſcendi exhibet, hic emetiri daretur.

§. 444.

Detractio quartæ Falcidiæ, quæ jure civili dicitur, a legatis in teſtamento militari relictis ceſſare debet. *Quarta Falcidia ceſſat.*

Quarta enim Falcidia dicitur quarta pars hereditatis, quam heres legatis nimis gravatus ab his deducere poteſt (*per def.*), & conceſſa eſt jure civili heredi, ne propter nullum aut minimum lucrum ex teſtamento ſpe-

to sperandum, hereditatem recuset, sed ad hanc adeundam & testamentum sustinendum permoveatur (*princ. Inst. de Lege Falcid.*). Absque enim herede testamentum jure civili non subsistit, nec adeo legata in eo relicta valent (§. 34. *Inst. de Legatis*). Jure vero naturæ absque etiam heredis institutione testamentum subsistit & legata relinqui possunt (§. 1045. *Part. I. Jur. nat. W.*) & præsertim milites legata etiam absque heredis institutione relinquunt (§. 433.). Testamentum itaque militare nihilo minus subsistit, quoad reliqua capita & inprimis legata, etsi heres institutus hereditatem repudiet. Detractio itaque quartæ Falcidiæ ex principio juris mere civili consequitur, juris naturæ non est, & ejusdem etiam ratio in testamento militari cessat. Consequentia vero ex principio mere civili subtilitas juris dicitur (*def.* §. 401.): Detractio itaque quartæ Falcidiæ ad subtilitates juris civilis referenda est. Quare cum hæ in testamento militari locum non habeant (§. *cit.*); Nec plura requirantur, quam quæ juris naturæ sunt (§. 411.): Et cessante ratione sufficiente cesset etiam, quod propter eam est (§. 118. *Ontol.*): Ex ratione non unica intelligitur, quod detractio quartæ Falcidiæ in testamento militari locum habere nequeat, sed cessare debeat.

Rationem hanc cessantem agnovit etiam jus civile, dum testamenta militaria eodem privilegio dotarit (*l. 17. §. 4. ff. de Test. mil. l. 12. Cod. ib. & l. 7. Cod. ad L. Falc.*). Cum vero jure civili testamentum propterea absque herede non sustineatur, quia non nisi de tota universitate testari licet; Nec adeo quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere possit (*dem.* §. 429.): Hoc etiam principio ultimo nititur detractio Falcidiæ. Quod cum in testamento militari cesset (§ *cit.*): Eadem etiam cessare debet. STRYCKIUS quidem in eo plus favoris indultum fuisse paganis quam militibus, censere videtur: Dum per Falcidiam testamentorum destitutioni succurratur (§. 8. *m. 1. cap. 21. de Caut. test.*): Cum vero testamentum militare nihilominus quoad reliqua capita subsistat, etsi heres deficiat; Neque adeo in hoc casu proprie destitutum fiat: Nec remedio hoc in eodem opus fuit.

§. 445.

confectione alterius non rumpitur.

Testamentum militare per confectionem alterius non rumpitur, etiam secundum principia juris civilis, nisi illud expresse declaretur, aut in posteriori contineantur, quæ priori contraria sunt.

Si enim testamento militari jam facto, alterum conficiatur, plura testamenta condi per se patet. Quare cum milites plura testamenta facere possint (§. 434.), & quidem ad eum effectum, ut ambo valeant (*schol. ibid.*). Uno confecto alterum adhuc æque validum addere possunt. Testamentum itaque militare eo non fit invalidum, quod aliud addatur. Quare

Quare cum testamentum invalidum fiat, quod rumpitur, dum nempe circa illud ipsum quid accidit, quo vitiatur (*per def.*): Patet, quod testamentum militare per alterius confectionem non rumpatur. *Q. e. 1.*

Cum vero quoad principia juris civilis testamentum de tota hereditate conficiatur; Adeoque absurdum videatur, aliquem de una eademque re bis disponere velle (*per not.*): Jure civili communi duo testamenta simul subsistere nequeunt. Necesse itaque fuit, ut per posterius prius rumperetur (*l. 2. ff. de Injusto, rupto & irr. facto test.*). Cum vero ipso etiam jure civili miles & pro parte testari (*l. 6. ff. de Test. mil.*), adeoque testamentum militare de parte saltem quadam hereditatis, de reliqua vero parte aliud adhuc confici possit: Secundum principia juris civilis quoque intelligitur, quod testamentum militare alterius confectione non rumpatur. *Q. e. 2.*

Quod si vero in testamento posteriori dispositum quid fuerit, quod priori contrarium est, vel expresse declaraverit testator, se prius valere nolle: Tunc voluntatem suam mutasse censendus est. Quare cum ipso jure naturæ testator voluntatem suam mutare possit, quamdiu vixerit (§. *997. Part. 7. Jur. nat. IV.*); Et in testamento militis voluntas ejus potissimum spectetur (§. 412.); Nec plura requirantur, quam quæ sunt juris naturæ (§. 411.): Apparet, quod testamentum militare alterius confectione utique tunc rumpatur, si in eo testator declaraverit expresse, se prius valere nolle, vel etiam disposuerit, quæ priori contrariantur. *Q. e. 3.*

Jure civili hoc itaque usque eo extenditur, si testamentum posterius modo militare sit (*l. 2. alleg.*). Cum vero tunc testamentum prius de tota hereditate confectum supponi debeat (*dem. n. 2.*): Per posterius necessario quædam disponi debent, quæ priori contraria sunt. Atque adeo quoad hæc tamen prius rumpi sive mutari necesse est (*dem. n. 3.*).

§. 446.

Testamentum militare vel nuda declaratione voluntatis revocari potest. *nuda declaratione revocatur,*

Jure enim naturæ testator testamentum suum mutare potest, quamdiu vixerit, imo testamento alio non facto intestatus decedere (§. *997. Part. 7. Jur. nat. IV.*). Cum vero testamentum declaratio voluntatis sit (§. *994. ibid.*): Facile patet, quod testamentum mutari sive revocari debeat, si voluntas contraria declaretur. Quare cum in testamento militari eadem valeant, quæ sunt juris naturæ (§. 411.), & in eo potissimum voluntas militis spectanda sit (§. 412.): Facile elucet, quod nuda voluntatis declaratione testamentum militare revocari possit.

Thesin hanc jam supposuimus in demonstrando asserto *n.* 3. §. *præced.* Jure vero civili communi ex eo solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere (§. 7. *Inst. Quib. mod. test. infirm.*); etiamsi coram actis aut tribus testibus eam mentem declaraverit, nisi in hoc casu post decennium demum (*l.* 27. *Cod. de Testam.*). Sed vel testamento alio perfecto, vel facto quodam, veluti deletione, ad id opus est. Controversiam tamen, quæ circa hanc rem movetur, enucleat HUBERUS in *Prælect. ad Instit. h. t.* §. 8. *seqq.*

§. 447.

Quinam ad milites referantur. *Qui militibus quocunque modo auxilia præbent, & propterea ipsos in expeditione constitutos comitari debent, ad milites referendi sunt, quoties de eorum commodo agitur.*

Cum milites in expeditione constituti in conflictu cum hoste vel actu sint, vel in eundem facile venire possint (§. 393. & 394.); Conflictus cum hoste vero periculum vitæ & membrorum involvat (*per not.*): Milites in expeditione constitutos maximis periculis expositos esse, facile patet. Quare cum hic supponantur, qui propter auxilia militibus præbenda ipsos in expeditionem sequi debeant (*per hyp.*): Et hos periculis istis belli subjici, facile patet. Quare cum milites propter hæcce pericula non deterioris, sed melioris conditionis esse debeant, quam pagani (§. 392.), adeoque commoda ipsis concedantur; Id vero, ex quo intelligitur, cur aliud sit, ratio hujus dicatur (§. 56. *Ontol. W.*): Ratio illorum commodorum etiam adest in iis, qui militibus quomodocunque auxilia præbent, & propterea eosdem in expeditione sequuntur. Quare cum posita ratione sufficiente poni etiam debeat, quod propter eam est (§. 118. *l. c.*): Patet, quod illis etiam eadem commoda concedi debeant, quæ militibus in expeditione constitutis, sive quod ad milites referendi sint, quoties de eorum commodo agitur.

§. 448.

Iis privilegia militum concedenda. Quare cum militibus in expeditione constitutis singularia jura concedantur, quæ aliis non competunt (§. 398. *seqq.*); Concessio vero juris, quo alii carent, privilegium dicatur (§. 853. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*); Adeoque militibus propterea, quod in expeditione constituantur, privilegia tribuantur: *Iis, qui quocunque modo militibus auxilia præbent, & propterea ipsos in expeditionem sequuntur, privilegia etiam competere debent, quæ militibus in expeditione constitutis.*

Idem omnes fere sentiunt juris doctores, quorum nonnullos affert SCHOEPFER in *Diss. de Milite desertore cap.* 1. §. 23.

§. 449.

§. 449.

Quare cum *concionatores bellici, auditores, chirurgi, & vel lixæ; Quibus nam in specie.* *ut & famuli eorum & præfectorum militum, aliique*, militibus auxilia præbeant, ac propter ea hos in expeditionem sequi debeant (*per exp. & not.*): Hi omnes etiam *ad milites referendi sunt*, *quoties de ipsorum commodo agitur* (§. 447.); *Et adeo privilegia militum in expeditione constitutorum ipsis competere debent* (§. 448.).

Hinc jure etiam civili dicitur, quod ii, qui eadem pericula cum militibus experiantur, jura quoque eadem merito sibi vindicent (*l. un. pr. ff. de Bon. poss. ex test. mil.*).

§. 450.

Et cum testamentum militare ad privilegia militum referendum sit *Testamenti* (§. 408.), quæ iisdem in expeditionibus constitutis competere debent *militaris* (§. 407.); Privilegia militum vero in expeditione constitutorum etiam *factio.* concionatoribus bellicis, auditoribus, & aliis competere debeant (§. 449.): *Concionatoribus bellicis, auditoribus & aliis, qui militibus quomodocunque auxilia præbent, & propterea ipsos in expeditionem sequuntur, testamenti militaris factio etiam competere debet.*

Idem jus civile concessit (*l. alt. ff. de Test. milit.*). Hac tamen differentia intercedente, ut, cum testamentum militis annum adhuc post expeditionem valeat (*schol. §.* 422.), testamentum militare eorum, qui proprie milites non sunt, statim deficiat, si in periculo isto, quo conditum fuit, non decesserint. Uti ex d. l. argumentatur BERGER (§. 5. *nota* 4. *Lib.* 2. *tit.* 4. *Oecon. jur.*). Quod rationi etiam consentaneum videtur. Testamentum enim militare post expeditionem tempus aliquod adhuc valere, ad privilegia non necessaria, sed ea potius pertinet, quæ per modum præmiorum conceduntur (*dem. §.* 422.). Præmia vero militibus proprie sic dictis conferri tantum convenit (§. 379.).

§. 451.

Amicis militum, qui horum visendorum gratia, aut in genere omnibus, qui præter necessitatem in castris, sive loco expeditionis commorantur, militaris testamenti factio competere nequit. *Amicis militum non competit.*

Testamenti enim militaris ratio postulat, ut tam milites, quam alii, quibus ea competit, ex officii necessitate in expeditione constituantur, ejusque periculis subjiciantur, neque propterea deterioris sint conditionis, quam alii (§. 403. 450.). Si qui itaque præter necessitatem in castris aut aliis locis expeditionum commorentur, cessat in iis ratio testamenti militaris. Quare cum hic tales, vel amici militum supponantur,

qui

qui horum visendorum saltem gratia adeoque præter necessitatem adsunt (*per hypoth.*): In iisdem quoque cessat ratio illius. Cessante vero ratione sufficiente, uti illa posita ponitur (§. 118. *Ontol. W.*), cessat etiam id, quod propter eam est; Atque hinc patet, quod testamenti militaris factio amicis militum, qui horum visendorum gratia, & in genere omnibus, qui præter necessitatem in castris vel locis expeditionum aliis commorantur, competere nequeat.

Hæc etsi juris ex ipsa rei natura deducti esse facile intelligatur: Dubia tamen in eo videtur dispositio juris romani. Licet enim idem statuere videatur *l.* 16. *Cod de Test mil.*, quæ nonnullis testamenti militaris factionem denegat, etsi vel nomina eorum matriculis militaribus referri videantur: Contrarium tamen disertis fere verbis innuere videntur *l. fin. ff. de Test. mil.* & *l. un. ff. de Bon. poss. ex test mil.*, utpote quibus omnibus, qui ejus sunt gradus, ut jure militari testari non possint, si in hostico deprehendantur, & illic decedant, quo modo velint & possint, permittitur. GEO. AD. STRUVIUS itaque etiam, qui posteriorem sententiam tuetur, legem illam obstantem 16 explicat de iis, qui non sunt in hostico vel periculo constituti (*Exercit.* 34 *Evolut. controv. pag.* 461.); Cum vero nec tunc militibus militari modo testandi facultas sit, si in expeditione non constituantur (*l.* 12. *Cod. de Test. mil.* & *princ.* & §. 3. *Inst. eod*): Frustraneum esset, non milites eximere ab eo, quod nec militibus competit. Ex ratione potius, quæ ipso jure civili afferrur, nec aliis testamenti militaris factio concessa videtur, quam qui ex officii necessitate in expeditione constituuntur. Ratio enim illa in eo ponitur, quod eadem cum militibus pericula experiantur (*l. un. princ. ff. de Bon. poss. ex test. mil.*). Cum vero militibus in expeditione constitutis propterea privilegia concedantur, quod periculorum illorum subitionem officii ipsorum ratio postulet: Nec aliter eadem aliis concedi, præsumendum est, si recte ratiocinari velis, quam si officii necessitate adigantur ad periculis istis se subjiciendum; Non si hoc sponte præter necessitatem faciant. Id quod etiam agnoscere videtur STRYCK, dum addit: Qui *necessario* in hostico degunt (§. 6. *Cap.* 3. *de Cautelis testam.*).

§. 452.

Uxoribus militum competit.

Uxoribus militum, si maritos in expeditionem sequantur, privilegia horum, adeoque & testamenti militaris factio, competere debent.

Jure enim naturæ uxor a marito pro lubitu discedere nequit (§. 508. *Part.* 7. *Jur. nat. W.*). Quodsi itaque milites uxores suas in expeditionem secum ducere expresse non prohibeantur: Hæ maritos suos vel in expeditionem sequi tenentur. Adest itaque ipso jure naturæ necessitas moralis, ut uxores militum hos, si velint, in expeditionem sequantur (§. 118. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Obligantur vero etiam uxores ad auxilia præbenda maritis suis in omnibus, quæ vitæ consuetudo exigit

exigit (§. 474. *Part. 7. Jur. nat.*). Quare cum ii, qui militibus quocunque modo auxilia præbent, & propterea eosdem in expeditionem sequi debent, privilegia illorum competere debeant (§. 449.); Ad privilegia militum in expeditione constitutorum vero etiam testamentum militare pertineat (§. 408.): Uxoribus etiam militum, quæ maritos suos in expeditionem sequuntur, privilegia illorum, & in specie testamenti militaris factio competat, necesse est.

Plures hinc etiam JCti idem tueuntur, uti refert WALDSCHMID (*th. 4. lit. f. Diss. de Cœlibatu militum p. 13.*) & de aliis etiam privilegiis, præsertim restitutione in integrum GER. *von* STOKKEN (§. 22. *seqq. Diss. ad L. Temporalibus Cod. de Uxoribus militum.*).

§. 453.

Milites in expeditione constituti pacta de successione valide inire posse debent. *Pacta successoria licent.*

Pactum enim successorium dicitur, quo alteri promittitur, ut post mortem in bona alicujus succedere, sive heres ejus fieri debeat (*per def.*). Per illud itaque voluntas alicujus de eo, quod post mortem suam fieri vult, declaratur; Quæ ultima dicitur (§. 996. *Part. 7. Jur. nat. W.*). Quamobrem cum militis in expeditione constituti voluntas ultima quocunque modo declarata valere debeat (§. 412.): Nec ad id plura requirantur, quam quæ juris naturæ sunt (§. 411.); Pacta vero successoria sive hereditaria naturaliter valida sint (§. 1072. *loco cit.*): Patet, quod milites in expeditione constituti pacta de successione sive hereditate valide inire posse debeant.

Licet itaque jure civili ejusmodi pacta in genere improbentur (*l. fin. ff. de Suis & Legit. l. 3. Cod. de Collat. & l. 15. ib. de Pactis*): Militibus tamen eadem per modum privilegii concessa sunt (*l. 19. ibid.*). In qua etiam ratio ejusdem adjungitur, quia nempe voluntas ultima militum quoquo modo contemplatione mortis in scripturam redacta vim postremi judicii obtineat. Hodie tamen pacta talia indistincte licere, plerisque probatur (STRYCKII *Us. mod. Pand. ad tit. de Pactis* §. 13. 18. *seqq.*).

§. 454.

Quare cum naturaliter pacta servanda sint (§. 789 *Part. 3. Jur. nat. W.*); Et non nisi mutuo dissensu dissolvantur (§. 840. *ibid.*): *Militi a pacto successorio invito altero discedere non licet.* *Ab iis recedere non licet.*

Aliter hoc se habet in testamento militari, quod pro lubitu revocari potest (§. 446). Cujus rei ratio in eo ponitur, quod testamentum morte demum testatoris validum fiat (§. 998. *Part. 7. l. c.*); Adeoque antea nemi-

nemini jus ex eo nascatur. Ex pacto vero, sive promisso, quod illud continet (§. 788. *Part.* 3. *ibid.*), jus nascitur promissario (§ 364. *ibid.*), quod ipsi extra injuriam auferri nequit.

§. 455.

Immunitates concedendae.

Militibus immunitates concedi, quae paganis non competunt, convenit.

Immunitas enim est liberatio a munere, vel ab onere quodam publico, illud nempe non subeundi & hoc non praestandi (*per def.*). Quare cum hic munus vel onus publicum supponatur, quod adeo cives in genere subire vel praestare tenentur (*per hyp.*): Per immunitatem quis liberatur ab onere quodam, quod aliis incumbit; Adeoque per eam melioris conditionis efficitur, quam sunt alii. Immunitas itaque statum nostrum, externum nempe, perfectiorem reddit, adeoque bonum quoddam est (§. 554. *Psych. Emp. W.*). Quare cum bonum, quod cum actione quadam committenda connectitur, praemium dicatur (§. 295. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.*): Si immunitates militibus concedantur, sive cum statu militum, qui militia dicitur (§. 83.), connectantur, eae per modum praemiorum spectari possunt. Praemia vero sunt motiva actionum committendarum (§. 296. *loc. cit.*); Quare cum motivis opus sit, ut quis aliquid velit (§. 889. *Psych. Emp.*): Per immunitates militiae concessas allici possunt homines, ut eandem eo lubentius amplectantur. Cum itaque hoc intersit reipublicae (§. 378.): Patet, quod immunitates militibus concedi conveniat.

Hinc etiam variae immunitates militibus concessae deprehenduntur, uti est a tutela, a tributis, vectigalibus & aliis oneribus publicis.

§. 456.

Ad privilegia referendae sunt.

Immunitates, quae militibus conceduntur, ad privilegia eorum referenda sunt.

Cum enim per immunitatem quis liberetur ab onere, quod aliis incumbit (*per dem.* §. 455.); Hoc onus vero in necessitate aliquid faciendi vel praestandi consistat (*per def. ibid.*): Per immunitatem quis liberatur a necessitate aliquid faciendi, quae alios tenet; Adeoque ipsi conceditur jus aliquid non faciendi, quo alii carent. Quod adeo negativum est (§. 851. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*). Quare cum concessio juris alicujus sive affirmativi, sive negativi, quo ceteri carent, privilegium dicatur (§. 853. *loc. cit.*); Militibus vero privilegia competere debeant (§. 371.): Patet, quod immunitates, quae militibus conceduntur, ad privilegia eorum referendae sint.

§. 457.

§. 457.

Immunitates, quæ militibus conceduntur, vel in militia rationem necessariam habere debent, vel per modum præmiorum saltem constituuntur. *Quotuplices sint.*

Immunitates enim, quæ militibus conceduntur, ad privilegia eorum referendæ sunt (§. 456.). Quare cum privilegia vel rationem necessariam in militia habeant (§. 372.); Vel per modum præmiorum saltem constituantur (§. 380.); Nec adeo rationem in militia necessariam agnoscant (§. 381.): Facile intelligitur, quod & immunitates, quæ militibus conceduntur, eodem se habeant modo.

Sic v. gr. immunitas militum a tutela vel cura suscipienda rationem in ipsa militia habet. Per negotia enim, quæ tutela vel cura exigit, facile a servitiis suis detineri possent milites. Quare cum milites ad ea obligari nequeant, quibus hoc fieri posset (§. 390): Nec ad tutelam vel curam suscipiendam teneri possunt; Imo si velint eam suscipere, prohibentur. Uti in sequentibus demonstrabitur. Immunitatis a tributis & vectigalibus contra ratio necessaria in militia non invenitur: A servitiis enim militaribus per eorum solutionem non detinerentur. Cum vero milites alio modo ad salutem reipublicæ sua conferant, ipsius nempe vitæ & membrorum periculo: Aequum est, ut a reliquis oneribus; quantum id potest, liberentur. In præmium itaque potius, quam ex ratione quadam necessaria immunitas ab iisdem militibus indulgetur.

§. 458.

Quare cum privilegia militum, quæ rationem necessariam in ipsa militia habent, necessario ipsis concedenda sint (§. 374.); Quæ vero ratione necessaria destituuntur, arbitraria sint (§. 384.); Immunitates vero militum ad privilegia eorum referenda sint (§. 456.): *Immunitates, quæ rationem necessariam in militia habent, militibus necessario concedendæ sunt; Quæ vero eadem destituuntur, pro lubitu saltem conceduntur.* *Quaenam necessario concedendæ.*

Ita facile apparet, quod immunitas a tutela militibus necessario sit concedenda; An vero & in quantum a tributis & vectigalibus immunes esse debeant, ab arbitrio superioris pendet (schol. §. 457.).

§. 459.

Militibus, qui propter ætatem vel adversam valetudinem militia contractam mereri amplius nequeunt, neque tamen sibimet ipsi de sustentatione sua prospicere possunt, stipendium ex gratia præberi, convenit. *Stipendium ex gratia præbendum militibus emeritis.*

Cum enim militia sive status militaris (§. 83.) robur corporis requirat, quod ætate procedente deficit (*per exper.*): Milites per ipsam

 ætatem

ætatem ad militiam inidoneos reddi, facile patet. Cum vero & milites vitæ & membrorum periculum subire obligentur (§. 240.) & præterea propter militiam multos labores sustinere debeant (*per exp.*): Per ipsam etiam militiam fieri potest, ut corpus eorum mutiletur, vel debilitetur, vel adversam quandam valetudinem sibi contrahant, atque adeo ad militiam inepti efficiantur. Cum autem milites durante militia exercitiis militaribus vacare (§. 234.), & ad servitia continuo parati esse debeant (§. 275.): Per ipsam militiam impediuntur plerumque alia addiscere, quibus sustentationem suam demum quærere possent. Fieri itaque facile posset, ut si milites per ætatem aut malam valetudinem ipsa militia contractam emeriti reddantur, sustentatione necessaria careant. Cum vero per hoc status militum emeritorum imperfectior redderetur. Ex ipsa militia malum denique quoddam metuendum esset (§. *565. Psych. emp. W.*). Repræsentatio mali vero motivum est nolitionis (§. *890. loc. cit.*). Quodsi itaque ex militia egestas demum metuenda sit, homines ab ea amplectenda facile deterrerentur. Quare cum reipublicæ intersit, ne hoc fiat, sed ut potius ad eandem alliciantur (§. 378); Hoc vero fiat, si & emeritis de sustentatione prospiciatur, atque adeo iisdem stipendium vel ex gratia præbeatur: Facile intelligitur, quod hoc etiam conveniat.

Per modum etiam præmii considerari potest, ut militibus emeritis sustentatio adhuc porrigatur. Militibus enim præmia constituenda esse, jam evicimus (§. 379.). Et cum præmia motiva sint actionum (§. 296. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*): Eo facilius homines ad militiam allici possunt, si sciant, se eadem demum finita, de sustentatione metuere non debere.

§. 460.

Veterani definitio. Milites, qui propter ætatem vel adversam valetudinem militia contractam ad hanc amplius habiles non sunt, adeoque ab ea dimittuntur, *Veterani* dicuntur.

Jure quidem romano veteranus dicitur, qui viginti annos meruit (*l. ult. Cod. de His, qui non impl. stip. mil. soluti sunt*); Et differunt veterani ab *exauctoratis*, hone[illegible] scilicet talibus, qui post decimum sextum annum sacramento solvebantur, signis aquilisque ademtis, non tamen protinus dimittebantur, sed seorsim in exercitu agebant sub uno aliquo vexillo, immunes a laboribus, vigiliis, excubiis & omni munere castrensi, excepta pugna in hostem, testante HUBERO (§. 5. *Prælect. jur. civ. ad Inst. de Milit. test.*). Sed cum ipsa natura annorum numerus non definiatur, quibus quis ad militiam ineptus fiat: Jure naturæ veterani in genere dicendi sunt, qui propter ætatem aut adversam valetudinem ad militiam inhabiles redduntur.

§. 461

§. 461.

Quare cum militibus, qui propter ætatem, vel malam valetudinem militia contractam mereri amplius nequeunt, stipendium ex gratia, quod dicitur, præbendum sit (§. 459.); Milites vero hujus conditionis veterani dicantur (§. 460.): *Veteranis sustentationis causa stipendium quoddam, ex gratia licet, porrigendum est.* *Veteranis stipendium præbendum.*

Ex gratia quidem porrigi dicitur, quoniam pro eodem operas non præstant, uti faciunt milites (§. 344); Stipendium itaque, quod veteranis solvitur, proprie merces non est, utpote quæ in pretio operarum consistit (§. 327. *Part. 4. Jur. nat. W.*); Merces gratiæ tamen dici poterit.

§. 462.

In veteranos præmia conferri convenit.

Milites enim de republica singulariter bene merentur (§. 377.). *Præmia conferenda.* Quare cum veterani sint, qui cursum militiæ absolverunt (§. 460.): Iidem de republica optime meriti supponuntur. Quare cum in bene de republica meritos præmia conferenda sint (§. 659. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Quod in veteranos respectu ipsorummet præmia conferri conveniat, patet. *Q. e. 1.*

Quum vero præmia sint etiam motiva actionum committendarum (§. 296. *Part. 1. Phil. pract. univ.*: Per præmia veteranis concessa alii quoque moveri possunt, ad ea facienda, propter quæ veterani eadem merentur. Quare cum veteranis præmia propterea conferantur, quia militiam & bene quidem gesserint (*per dem. n. 1.*): Alii etiam moveri possunt tam ad militiam suscipiendam, quam eandem bene gerendam. Cum itaque reipublicæ intersit, tam ut homines ad militiam sponte suscipiendam alliciantur (§. 378.), quam ut milites officiis suis recte fungantur (§. 140.): Propter alios etiam veteranis præmia conferri convenit. *Q. e. 2.*

§. 463.

Si veteranis immunitates & privilegia concedantur, eadem ad præmia referenda sunt. *Immunitates & privilegia eo referenda.*

Immunitates enim & privilegia, quæ militibus conceduntur, vel in militia rationem suam habent (§. 372.), vel per modum præmiorum constituuntur (§. 380. 457.). Cum vero veterani militiam absolverint, neque adeo eandem amplius præstent (§. 460.): Ut immunitates & privilegia ipsis concedantur, in ipsa militia rationem habere nequit. Cum vero præmia in eos conferri possint & debeant (§. 362.): Facile patet, quod

quod si ipsis immunitates vel privilegia concedantur, eadem ad præmia eorum referenda sint.

§. 464.

Immunitates & privilegia concedendæ,

Quare cum in veteranos præmia conferri conveniat (§. 462.); Immunitates vero & privilegia si veteranis concedantur, ad præmia referenda sint (§. 463.): *Veteranis etiam immunitates & privilegia concedi convenit.*

Jure itaque romano immunes erant a muneribus publicis & omnibus oneribus personalibus, non vero realibus. Uti exemplis illustratur *l.* 2. 4. *&* 5. *ff. de Veteranis.* Discrimen tamen insuper habitum fuit; an miles pleno stipendiorum numero functus, an ob provectæ ætatis senium tantum dimissus sit (*l.* 2. *&* 3. *Cod. de His, qui non impl. stip.*).

§. 465.

juris positivi sunt.

Immunitates & privilegia, quæ veteranis conceduntur, juris saltem positivi sunt.

Licet enim conveniens sit, ut veteranis immunitates, adeoque & privilegia, ad quæ illæ referendæ sunt (§. 456.), concedantur (§. 464.): Ea tamen necessariam rationem in militia non habent, sed per modum præmiorum conceduntur (§. 463.). Quare cum privilegia ea, quæ per modum præmiorum conceduntur, necessariam autem rationem in militia non habent, arbitraria sint (§. 382.): Licet in genere juris naturæ sit, ut veteranis immunitates adeoque privilegia tribuantur; Quænam tamen præcise tribuenda sint, jure naturæ non definitur, sed arbitrio superioris relinquitur (§. 978. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*). Ab arbitrio itaque superioris dependet, quasnam immunitates, & quænam in specie privilegia veteranis concedere velit. Quoniam itaque ea, quæ a voluntate superioris dependent, juris positivi sunt (§. 147. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.*): Patet, quod immunitates & privilegia, quæ veteranis conceduntur, juris tantum positivi sint.

§. 466.

Testamentum post missionem valet.

Quod testamentum militare intra annum post missionem adhuc valeat, ad præmia veteranorum referendum est.

Quemadmodum enim convenit, ut testamentum militare expeditione finita aliquod adhuc tempus valeat (§. 422.): Ita jure civili constitutum est, ut illud anno post missionem, honestam scilicet, adhuc valeat (§. 3. *Inst. de Milit. test.*). Cum itaque ad milites h meste missos veterani referantur (§. 460.); Privilegium vero sit cum testamento militari decedere

dere (§. 408.): Per hanc constitutionem juris civilis veteranis utique privilegium concessum est. Quare cum privilegia, quæ veteranis conceduntur, ad præmia eorum referenda sint (§. 463.): Quod testamentum militare anno adhuc post missionem valeat, ad præmia eorum pertinet.

§. 467.

Milites, qui propter inhabilitatem non militia, sed aliunde contractam, dimittuntur, veterani non sunt, neque adeo privilegiis horum gaudere possunt. ***Quinam veterani non sint.***

Veterani enim solum dicuntur, qui per ætatem aut malam valetudinem militia contractam ad hanc inhabiles facti sunt, adeoque dimittuntur (§. 460.). Quare si supponantur milites, qui propter inhabilitatem non militia, sed aliunde contractam dimittuntur (*per hyp.*): Hos ad veteranos referri minime posse facile patet. *Q. e. 1.*

Et cum hic saltem supponantur privilegia, quæ veteranis, qua talibus scilicet, competunt (*per hyp.*); Milites vero propter inhabilitatem non militia, sed aliunde contractam, veterani non sint (*per dem. n. 1.*): Nec illis privilegia veteranorum competere possunt. *Q. e. 2.*

§. 468.

Milites ad eorum instantiam dimissi veterani non sunt, neque adeo horum privilegiis gaudere possunt. ***nec ad eorum instantiam dimissi.***

Supponitur enim hic, milites, qui ad instantiam eorum dimittuntur, habiles alias adhuc esse, saltem propterea eos non dimitti (*per hyp.*). Quare cum veterani dicantur, qui propter ætatem aut inhabilitatem aliam militia contractam dimittuntur (§. 460.). Illi nec ad veteranos referri possunt. Et hinc eadem, qua antea (§. 467.), ratione patet, nec privilegia veteranorum iisdem competere posse.

§. 469.

Militibus licere ea nequeunt, quæ obligationibus ipsorum, qua talium, sive militaribus repugnant, sive, quibus ab obligationibus suis detinerentur. ***Quæ militibus licere nequeunt.***

Cum enim obligatio in necessitate morali agendi consistat (§. 118. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Ejus vero, quod necessarium est, contrarium impossibile sit (§. 279. *Ontol.*): Impossibile etiam est, moraliter nempe, ut milites faciant contraria eorum, ad quæ obligantur. Facultas itaque moralis ea faciendi militibus non est, quæ obligationibus eorum, qua talium, sive militaribus repugnant. In facultate vero morali aliquid faciendi jus consistit (§. 954. *Part. 1. Theol. nat.*). Militibus itaque

itaque jus esse nequit ad ea, quæ obligationibus ipsorum repugnant. Quare cum licitum dicatur, ad quod nobis jus est (§. 170. *loc. prim. m cit.*): Patet, quod militibus ea licere nequeant, quæ obligationibus ipsorum, qua talium, sive militaribus repugnant. *Q. e. 1.*

Et cum facile concedatur, quod ea, quibus milites ab obligationibus suis detinerentur, iisdem repugnent; Hæc vero militibus licere nequeant (*per dem. n. 1.*): Nec ea militibus licere poterunt, quibus ab obligationibus suis detinerentur. *Q. e. 2.*

Ex hoc principio dijudicari poterit, quænam vel ipso jure naturæ militibus licere nequeunt, & an ea, quæ per juris civilis dispositionem militibus non licent, jure prohibeantur, si æquitatem naturalem spectes. Quemadmodum enim plura militibus licere debent, ad quæ aliis jus nullum est: Ita etiam aliis licent, quæ militibus recte interdicuntur. Et quemadmodum ex obligationibus eorum jura resultant, quæ aliis non competunt (§. 318.): Ita quoque propter easdem obligationes fieri potest, ut ipsis quædam non permittantur, quæ aliis licent, si nempe per eadem fiat, quo minus obligationibus istis satisfacere possent. Non vero verendum est, milites eo deterioris fieri conditionis. Cum enim status militum per jura & obligationes eorundem constituatur (§. 82.): Perfectio vero rei in consensu plurium in uno, sive in eo consistit quod plura a se invicem diversa ad idem aliquod obtinendum tendant (§. 503. *Ontol. W.*): Perfectio status militum sine dubio in eo consistet, si omnia jura, omnesque eorum obligationes ad unum idemque tendant; Et quod adeo ea, quæ vel juribus vel obligationibus eorum contrariantur, obstent etiam perfectioni status eorum. Hæc itaque, si militibus licerent, impedirent potius perfectionem status ipsorum, quam ut eandem promoverent. Tantum itaque abest, ut statum militum deteriorarent, ut potius ipsum perfectiorem reddant. Quod vero statum alicujus perfectiorem efficit, illud hunc deterioris conditionis constituere dici nequit. Et quod milites non deterioris, sed melioris conditionis esse debeant (§. 392.), hoc non de iis intelligendum est, quæ statui ipsorum intrinseca sunt, utpote mutari nescia (§. 300. *loc. cit.*); sed ad ea pertinent, quæ ab arbitrio superioris pendent.

§. 470.

etsi jure naturæ aut civili permittantur. *Si quæ jure naturæ, aut civili communi permittuntur, quæ obligationi cuidam militari contrariantur, eadem militibus licere nequeunt.*

Lex, quæ dat jus aliquid agendi vel non agendi, permissiva dicitur (§. 165. *Part. 1. Phil. pract. univ.*); Quæ vero obligat ad quid agendum vel non agendum, præceptiva (§. 164.), vel prohibitiva vocatur (§. 163. *ibid.*). Quare cum obligatio militaris sit, quæ militem, qua talem, tenet (§. 120.); Actiones vero militum, qua talium, legibus militaribus determinentur (§. 87.); Obligatio militaris legem quandam militarem præce-

præceptivam aut prohibitivam præsupponit. Et cum jure naturæ aut civili jus aliquid agendi dari supponitur (*per hyp.*): In casu dato, si jure naturæ aut civili permittatur aliquid, quod obligationi cuidam militari contrariatur, lex permissiva, civilis nempe, aut naturalis et præceptiva aut prohibitiva, quæ militaris est, sibi mutuo repugnant, ita ut iisdem simul satisfieri nequeat. Si vero pluribus legibus simul satisfieri nequeat, eædem inter se colliduntur (*§. 206. loc. cit.*), adeoque exceptio facienda est (*§. 207. ibid.*). Quare cum in casu, si lex præceptiva vel prohibitiva atque permissiva inter se collidantur, hæc cedat & illa vincat (*§. 211. ib.*), hoc est, illi, minime vero huic satisfaciendum sit (*§. 208. ib.*): Patet, quod si quæ jure naturæ & civili communi permittantur, quæ obligationi militari repugnant, ea militibus licere nequeant.

Brevius etiam quoad ea, quæ jure civili permittuntur, hoc modo demonstratio procedit. In casu dato lex quædam militaris cum lege civili colliditur (*per dem.*). Quare cum si hoc fiat, illa vincat, & hæc cedat (§. 100.); Legi vero, quæ in collisione vincit, satisfaciendum sit; minime vero ei, quæ cedit (*§. 208. loc. cit.*): Apparet veritas asserti.

Ita propius accedimus ad dijudicanda ea, quæ militibus jure civili prohibentur, dum aliis permittuntur. Quod vero ea, quæ jure naturæ licent, jure positivo, quale & militare est (§. 93.), prohiberi possint, dubium esse nequit (§. 977. *Part.* 8. *Jur. nat. W.*).

§. 471.

Adest itaque *ratio militibus specialiter prohibendi ea, quæ obligationibus eorum repugnant, aliis licet jure naturæ, aut civili permissa.* *Eadem specialiter prohibenda.*

Cum militibus licere ea nequeant, quæ obligationibus ipsorum repugnant, licet jure naturæ aut civili permittantur (*§. 470.*); Adeoque necesse moraliter scilicet sit, ut eadem non faciant (*per dem. §. 469.*): Per se quidem ad eadem non facienda obligantur. Cum vero non cuivis pugna hæc eorum, quæ aliis ipso jure positivo permittuntur, cum obligationibus militaribus adeo perspecta esse possit: Nec obligationis hujus eadem non faciendi sensum habere possent milites, atque adeo ad ea facienda facile permoveri. Cum vero supponantur talia, quæ obligationibus ipsorum repugnant (*per hyp.*); Evenire facile posset, ut obligationibus suis non satisfacerent. Interest vero reipublicæ, ut hisce satisfaciant (*§. 140.*): Interesse igitur etiam debet, ut milites sciant, eadem ipsis licere non posse. Ut vero quis obligetur ad aliquid non faciendum, quod alias licet, illud prohiberi debet (*§. 163.*): Convenit itaque, ut militibus specialiter ea prohibeantur, quæ aliis licent, obligationibus mi-

litaribus contrariantur. Intelligitur hinc, cur illud fieri debeat. Quare cum si quid adsit, ex quo intelligitur, cur aliud quid fieri debeat, illud ratio hujus dicatur (§. 56. *Ontol. W.*): Patet etiam, quod adsit ratio militibus specialiter prohibendi ea, quæ obligationibus ipsorum contrariantur, aliis vero permittuntur.

In eadem sententia est vir perillustris, GEO. FRID. de PLÖNNIES, dum demonstrat, regulis politicæ conveniens esse, ut milites lege positiva ab istiusmodi negotiis prohibeantur, quæ exercitiis militaribus impedimento esse possint (§. 40. *Diss. inaug. de Controversiis locat. cond. capitibus*).

§. 472.

Jura ipsis adimi possunt.

Militibus adimi possunt jura, quæ hominibus vel civibus in genere competunt, sive jura tam naturalia, quam civilia, si nempe eadem obligationibus ipsorum militaribus contraria sunt.

Cum jus in facultate morali aliquid agendi consistat (§. 954. *Part. 1. Theol. nat. W.*); Ea vero, ad quæ agenda nobis jus est, licita dicantur (§. 170. *Part. 1. Phil. pract. univ.*): Facile patet, quod jura eadem sint, cum iis, quæ licent. Jura vero, quæ ipso jure naturæ, sive hominibus in genere competunt, naturalia; Quæ jure civili sive civibus in genere, civilia dicuntur (*per vulg.*). Ea itaque, quæ jure naturali vel civili licent, jura sunt. Cum autem, si quid prohibeatur, ad illud non agendum obligemur (§. 163. *loc. cit.*); Adeoque necessitas oriatur illud agendi (*per def. oblig.*): Facultas illud faciendi, si quæ antea adest, aufertur. Patet itaque, quod si quæ prohibeantur, quæ licebant, eo jus adimatur. Quare cum militibus prohiberi possint ea, quæ jure naturæ aut civili licent (§. 471.): Patet, quod & iisdem jura tam naturalia quam civilia adimi possint, si nempe ea obligationibus militaribus contraria sint.

§. 473.

Agri comparatio recte prohibetur,

Quod milites agrum comparare prohibeantur in ea provincia, in qua militant, ratione non destituitur.

Cum enim agricultura singulares operas requirat (*per exp.*): Per eandem a servitiis suis facile avocarentur milites. Quare cum ad hæc obligentur (§. 182.): Agricultura obligationibus militaribus contrariatur. Licet itaque aliis agrorum comparatio permittatur; Cum tamen adsit ratio militibus ea prohibendi, quæ obligationibus ipsorum repugnant, aliis licet permissa (§. 471.): Adest etiam ratio militibus prohibendi, ne agriculturæ se dedant, nec adeo agrum comparent in ea provincia, in qua militant. Quoniam igitur hoc jure civili constitutum est (*l. 9. & 13. ff. de Re*

de Re milit.): Patet, quod dispositio hæc juris civilis ratione non destituatur.

In d. l. 13. ratio etiam additur, ne scilicet studio culturæ a militia sua avocentur. Exceptio tamen est, si paterna militum fiscus distrahat (*l. 9. princ. l. c.*). Et si heredes extiterint, possidere ibi prædia non prohibentur (§. 1. *ibid.*). Cujus prioris ratio in singularibus filiorum privilegiis ponitur ab ERN. FRID. SCHROETERO in *Diatr. de Jur. militum sing. Sect.* 2 §. 5. Posterioris vero ratio sine dubio invenitur in principio illo, quod officium suum nemini debeat esse damnosum. Quod fieret, si militibus prohiberetur hereditate acquirere agrum. Licet vero in hoc casu possidere eundem possint, non tamen ideo quoque ejusdem cultura ipsismet permittitur. Aliud vero plane est, si agri comparatio res meræ facultatis sit. Cum enim illa pretio fieri debeat: Hoc servant, si eum non comparent. Adeoque ipsis nullum ex prohibita comparatione damnum enascitur.

§. 474.

Quod milites alienas res conducere & procurare prohibeantur, similiter ratione non destituitur. *ut & alienarum rerum conductio.*

Quodsi enim milites alienas res conducere & procurare possent, a servitiis suis facile avocarentur. Quod per se patet. Quare cum ad servitia militaria obligentur (§. 182.): Conductio & procuratio rerum alienarum obligationibus eorum repugnat. Cum itaque ratio adsit, cur ea, quæ obligationibus militaribus contrariantur, militibus prohibeantur (§. 471.): Ratione etiam non destituitur, quod prohibeantur alienas res conducere & procurare.

Hanc propositionem addidi in gratiam *l.* 31. & 35. *Cod. de Locato*, qua prohibetur, ne milites alienarum rerum conductores, seu procuratores sint, & elegans ratio adducitur: Ne omisso armorum usu ad opus rurestre se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant. Imo illud adeo severe prohibetur, ut sine aliquo facto vel aliqua sententia militia cadant, imo infames fiant (*l.* 35. *cit.*).

§. 475.

Cavendum est, ne milites litibus & negotiis implicentur, & eo a servitiis suis abstrahantur. *Litibus & negotiis non implicandi.*

Necesse enim est, milites vel pacis tempore in continuo exercitio functionum bellicarum retinere (§. 169.), & propterea functiones easdem adeo exacte obire debent, ac si hostis actu adesset (§. 170.); Imo si actu servitia militaria non præstent, ad eadem tamen continuo parati esse debent (§. 275). Eosdem itaque aliis rebus distrahi, concedendum non est. Quare cum lites & negotia multum sæpius temporis requirant, & cir-

& circumstantias causentur, quibus simul servitiis militaribus adeo exacte, quam opus est, vacare non detur (*per exp.*): Milites a servitiis suis facile abstrahi possent, si litibus & negotiis implicarentur. Cum igitur intersit reipublicæ, ne illud fiat (§. 391.): Cavendum etiam est, ne litibus & negotiis implicentur, eoque a servitiis suis abstrahantur.

Armis, non negotiis occupari, sed numeris & signis suis jugiter inhærere debere milites, sentit ipsum jus civile (*l. 31. Cod. de Locato.*).

§. 476.

Fidejubere nequeunt.

Milites fidejubere non posse, recte probibetur.

Per fidejussiones enim litibus & negotiis facile quis implicatur. Uti ex BACHOVIO ad TREUTLERUM adducit SCHROETER in *Diatr. de Jur. milit. sing. Sect. 1. cap. 2. §. 4.* Per lites vero & negotia a servitiis suis abstrahi facile possunt milites (*dem.* §. 475.). Quare cum cavendum sit, ne hoc fiat (*§. cit.*), & recte militibus ea prohibeantur, quibus fieri posset, ut obligationibus suis, quarum summa est servitiorum præstatio (§. 182.), contrarientur (§. 471.): Milites etiam fidejubere recte prohibentur.

Jure civili constitutum hoc est *l. 31. Cod. de Locato & l. 8. §. 1. ff. Qui satisd. cogantur.* Nec ad fidejussores colonorum hoc saltem restringendum, sed ad omnes potius fidejussiones propter generalitatem rationis extendendum esse, optime monet SCHROETER (*loco cit.*).

§. 477.

Dominium ipsis competit in rebus eorum pecunia comparatis.

Quod militibus in rebus, eorum pecunia apud alterum deposita comparatis, dominium competat, adeoque illi easdem vindicare possint, privilegium est, sed juris saltem positivi, sive arbitrarium.

Regulariter enim dominium rei, quæ alicujus pecunia emitur, eidem non acquiritur, neque propterea ipsi rei vindicatio competit (*l. 6. Cod. de R. V.*). Militibus vero jus hoc conceditur (*l. 8. ibid.*). Concessum itaque militibus jure civili jus est, quod aliis non competit. Quare cum concessio juris alicui facta, quod aliis non competit, privilegium dicatur (§. 853. *Part. 8. Jur. nat. W.*): Patet, quod hoc privilegium militum sit, ipsis competere dominium in rebus eorum pecunia comparatis, & illos easdem vindicare posse. *Q. e. 1.*

Cum vero privilegii hujus ratio necessaria in militia non inveniatur (*per hyp.*): Illud ex mero militiæ favore concessum esse facile intelligitur (§. 383.). Quare cum privilegia, quæ militibus ex mero favore conceduntur, juris saltem positivi sint (§. 383.): Et illud hujus modo juris, sive arbitrarium esse, facile apparet. *Q. e. 2.*

§. 478.

§. 478.

Quod milites propter omissas professiones, hoc est, merces apud publicanos non indicatas pœna commissi non teneantur, privilegium itidem eorum, sed juris æque saltem positivi atque arbitrarium est. *Pœna commissi non tenentur.*

Generaliter enim, qui merces non profitentur apud publicanos, in commissum cadunt; Hoc est, merces non professæ publicantur(*tot. tit. Cod. de Vectig. & comm.*). Militibus vero peculiariter prospectum est, ut ob omissas professiones pœna commissi non teneantur (*l. 3. ibid.*). Militibus itaque iterum concessum est jus, quo pagani non gaudent. Quare cum concessio juris, quo alii carent, privilegium dicatur (*loc. §. 853. cit.*): Apparet quoque, quod hoc privilegium militum sit. *Q. e. 1.*

Cum vero ejus ratio necessaria in militia non detur, sed alia dari nequeat, quam ipsa legum constitutio sive favor erga militiam: Eodem, quo antea, modo patet, illud juris tantum positivi, sive arbitrarium esse (*§. 477. n. 2.*). *Q. e. 2.*

§. 479.

Milites a tutela vel cura suscipienda non excusantur modo, sed & prohibentur. *A tutela prohibentur.*

Tutela enim vel cura negotiorum pupilli vel minoris administrationem requirit (*per def.*). Per tutelam vel curam adeo milites negotiis vel alienis implicarentur. Per negotia vero milites a servitiis suis facile detineri possunt (*dem. §. 475.*). Cum vero ad servitia militaria obligentur (§. 182.); Neque obligari possint ad ea, quibus a servitiis detinentur (§. 390.): Nec ad curam vel tutelam suscipiendam eosdem obligari posse, facile apparet. Cum itaque a tutela vel cura excusari, aut potius, excusare se dicatur, qui invitus ad eandem suscipiendam cogi nequit (*per not.*): Patet primo, quod milites a tutela vel cura suscipienda excusentur, vel excusare se possint. *Q. e. 1.*

Non vero militum modo, sed & reipublicæ maxime interest, ne a servitiis detineantur (§. 391.), & ut obligationibus suis satisfaciant (§. 140.). Quare cum per tutelæ aut curæ administrationem a servitiis detineri possent (*per dem. n. 1.*); Ad hæc vero præstanda obligentur(§. 182.): Tutelæ aut curæ susceptio obligationibus ipsorum contrariaretur. Cum itaque militibus ea licere nequeant, quæ obligationibus ipsorum contrariantur, & quibus a servitiis suis detineri possent (§. 469.): Nec licere ipsis potest tutelam vel curam suscipiendi, etsi velint. Quoniam itaque prohiberi dicitur, qui ad quid non faciendum obligatur (*§. 163. Part. 1. Phil.*

Phil. pract. univ. W.): Patet, quod milites a tutela vel cura suscipienda non excusentur modo, sed & prohibeantur. Q. e. 2.

Idem juris civilis est, ut nec volens miles ad tutelæ onus admittatur (§. 14. *Inst. de Excus. tut.* & *l.* 4. *Cod. Qui dare tut. & curat.*). Pupillos enim & rempublicam simul tueri nequeunt, uti censet HUBERUS (§. 17. *Prael. jur. civ. ad Instit. d. tit.*). Commodum itaque pupillorum etiam subest, ne milites ad tutelam admittantur. Per servitia enim militaria impediri facile possent, ne debitam curam in administranda tutela adhiberent. Pupillis vero inde detrimentum metuendum foret. Horum itaque etiam interest, ne ipsis miles tutor constituatur.

Male vero hinc inferre videtur SCHROETERUS, quod hoc milites castris inhærentes saltem concernat (§. 2. *Cap.* 5. *Sect.* 1. *Diatr. de Jur. mil. sing.*). Cum enim ad servitia militaria pacis etiam tempore continuo parati esse debeant (§ 275.); Adeoque in genere cavendum sit, ne litibus & negotiis implicentur (§. 475.); Præterea etiam milites sedem fixam non habeant, sed omni tempore expeditionibus aut mutationi saltem hospitiorum obnoxii sint (*per exp.*): Ratio generalitatis facile patet. Male etiam sentire videtur, quasi nostri temporis milites immunitate hac non gauderent (*loc. cit.*): Cum in genere milites hodierni privilegiis jure romano concessis frui debeant (§. 386.); Romanis vero æque ac nobis miles jam fuit mercenarius & perpetuus (*schol.* §. 28.). Miles autem perpetuus etiam, qui nempe pacis tempore alitur (§. *cit.*), ad servitia æque continuo debet esse paratus (§. 275.). In eo vero ratio immunitatis militum a tutela continetur (*per ded.*). Quare cum hæc & hodie adsit: Quin etiam ipsi immunitas militibus concedi debeat, dubitari nequit (§. 118. *Ontol. W.*).

§. 480.

Veterani etiam immunes a tutela.

Quod immunitas a tutela vel cura suscipienda in veteranos etiam extendatur, juris saltem positivi est.

Immunitates enim in genere, quæ veteranis conceduntur, juris mere positivi sunt (§. 465.). Quare cum jure civili veteranis immunitas a tutela vel cura, vario licet discrimine concedatur (*l.* 8. *princ.* & §. 2. & 3. *ff. de Excus. tut.*): Patet, quod hoc sit juris mere positivi.

Facile enim apparet, rationem immunitatis a tutela militibus concessæ in specie cessare in veteranis, utpote quæ est obligatio ad servitia militaria (*per dem.* §. 479.). Veterani vero a militia soluti supponuntur (§. 460.); Neque adeo eadem obligatione amplius tenentur.

§. 481.

Milites procuratores non sint.

Milites procuratores esse nequeunt.

Procurator enim dicitur, qui negotia aliena ex mandato administrat (*per def.*). Si itaque miles procuratorem ageret, negotiis alienis implicaretur.

caretur. Quare cum cavendum sit, ne hoc fiat (§. 475.): Patet etiam, quod militibus concedi nequeat, procuratores agere.

Id quod etiam jure civili constituitur (*§. ult. Inst. de Except. l 8. §. 2. & l. 54. ff. de Procur. & l. 7. Cod. eod.*). Restrictiones & exceptiones quasdam recenset SCHROETER (*§. 3 Cap. 1. Sect. loco sæpius cit.*). Addit etiam hanc: *nisi in causa cohortis,* LUDOVICI *in Doct. Pand. tit. de Procur* Quas vero ad examen revocare jam instituti ratio non patitur. Ceterum hoc veteranos non tangere, quemadmodum etiam jure civili statuitur (*l. 8. §. 2 ff. de Procur.*), facile apparet. Cum enim ratio, quod milites negotiis implicandi non sint, in eo ponatur, ne a servitiis distrahantur (*per dem §. 475.*): Facile intelligitur, quod hæc ratio in veteranis cesset, adeoque & juris dispositio, quæ illa nititur.

§. 482.

Quod uxores militum in expeditionibus constitutorum secundas nuptias inire nequeant, antequam de morte eorum certo constet, jure civili privilegium militum, ipsius vero juris naturæ est. *Uxores militum secundas nuptias inire nequeunt,*

Cum enim olim jure civili uxores militum quadriennium saltem expectare debuerint (*l. 7. Cod. de Repud.*), & quadriennium hoc in decennium postea mutatum sit (*Nov. 22. cap. 14.*): Tandem constitutum est, ut tamdiu expectare teneantur, usque de morte maritorum certo constet (*Nov. 117. cap. 11.*). Quoniam itaque jure civili uxores paganorum absentium tamdiu expectare non debent, sed desertionis processu experiri possunt (*per vulg.*): Militibus aliud jus in hoc casu competit, quam paganis. Quare cum concessio juris, quo alii carent, privilegium dicatur (§. 853. *Part. 8. Jur. nat. W.*). Hoc utique jure civili privilegium militum est, quod uxores eorum in expeditionibus constitutorum secundas nuptias inire nequeant, antequam de morte ipsorum certo constet. *Q. e. i.*

Cum vero & ipso jure naturæ matrimonium perpetuum esse debeat (§. 1078 *Part. 7. loc. cit.*), & hic ex pacto partium, vel constitutione juris civilis tale præsumatur (*per hyp.*), saltem parti uni ab eodem altera invita recedere non liceat (§. 508. *ibid.*): Si alia causa non adsit, non nisi morte dissolvitur (§. 510. *loc. cit.*). Quare cum hic alia causa dissolutionis matrimonii sive divortii adesse non supponatur (*per hyp.*), & licet maritus miles ab uxore absit, hoc tamen saltem expeditionis & militiæ causa fieri, neque malitiosam desertionem subesse præsumatur, utpote quæ ipso jure naturæ causa est divortii (§. 514. *ibid.*): Matrimonium cum marito milite in expeditione constituto ante mortem ejusdem non dissolvitur: Cum itaque ante matrimonii prioris solutionem nuptiæ

nuptiæ secundæ iniri nequeant (§. 519. *ibid.*): Juris ipsius naturæ est, ut uxores militum in expeditione constitutorum ad secundas nuptias transire nequeant, antequam de morte horum certo constet. *Q. e. 2.*

§. 483.

nec processum desertionis instituere,

Uxores itaque militum in expeditione constitutorum, vel scienter ab hoste captorum, contra eosdem processu desertionis agere non possunt, nisi maritus cum uxoris invitæ desertione vitam militarem ultro elegerit.

Matrimonium enim cum marito milite in expeditione constituto, & ita etiam, ab hoste capto, non nisi morte dissolvitur (*per dem.* §. 482. *n.* 2.). Quare cum processus desertionis ad dissolvendum matrimonium instituatur (*per def.*): Cessat ratio ejusdem, finalis nempe. Quare cum uti posita ratione sufficiente ponatur, ita etiam eadem cessante cesset etiam id, quod propter eam est (§. 118. *Ontol. W.*): Patet, quod uxores militum in expeditione vel captivitate constitutorum desertionis processu agere non possint contra eosdem. *Q. e. 1.*

Cum vero marito ipso jure naturæ non liceat pro lubitu ab uxore discedere (§. 508. *Part. 7. Jur. nat. W.*): Si ponatur, aliquem cum uxoris invitæ derelictione vitam militarem ultro elegisse (*per hyp.*): Hoc utique pro malitiosa desertione habendum erit. Quare cum hæc ipso jure naturæ sit justa causa dissolutionis matrimonii (§. 514. *loc. cit.*): In eo casu ad hanc agi non repugnat. Quoniam itaque in casu malitiosæ desertionis ad dissolutionem matrimonii agitur processu desertionis (*per not.*); Et hoc saltem evincatur, an maritus justas habuerit causas vitam militarem cum uxoris derelictione eligendi: In eodem casu utique uxoribus militum processu desertionis experiri contra maritos licebit. *Q. e. 2.*

Hoc etiam contra doctores dissentientes statuit CAR. AUG. BOEHMER in Opusculo *de Jure militum ecclesiastico* (§. 10. *nota* (*e*) *Cap.* 3), ut & SCHROETER (§. 1. *cap. 6. Sect. 1. de Jur. mil. sing.*).

§. 484.

nisi vita dubia evadat.

Quodsi militum in expeditione constitutorum vel ab hoste captorum vita dubia evadat, contra eosdem post certum tempus processum desertionis instituere eorum uxores, convenit.

Cum enim milites in præliis præsertim sæpius perdantur, ita ut non constet, an morte perierint, vel ab hoste capti sint, vel aliunde evaserint (*per exp.*): Vitam militum in expeditione constitutorum ut & captorum dubiam fieri posse, facile patet. Quodsi ab hoste capti sunt: Tunc ipsorum est, hoc notum facere iis, quorum interest. Si aliunde evaserint, nec revertantur: Tunc absentia eorum, uti in expeditione consti-

conſtitutorum, aut captorum (*l. ult. Cod. de Reſtit. milit.*), laudabilis amplius & neceſſaria non eſt; Adeoque turpiter abſunt. Quodſi itaque miles, cujus vita dubia eſt, illam per aliquod tempus notam non faciat, aut certo tempore non revertatur: Merito præſumitur, illum vel periiſſe, vel turpiter abeſſe; Adeoque & uxorem malitioſe deſeruiſſe. In utroque caſu matrimonium diſſolvitur (§. *510.* & *514. loc. cit. WOLF.*). Maritus vero abſens ſupponitur (*per hyp.*). Quoniam itaque, ut matrimonium cum abſente diſſolvatur, proceſſu deſertionis opus eſt (*per not.*): Patet, quod ſi militum abſentium vita dubia evadat, uxores eorum deſertionis proceſſum inſtituere poſſe debeant.

Conſentire videtur *Novella* 117. *cap.* 11. & ad hos etiam reſtringi debere conſtitutionem juris civilis §. 482. allegatam de quadriennio vel decennio ſaltem militibus indulgendo, quorum vita dubia evadit. In *l.* enim 7. *Cod. de Repud.* qua conſtitutio quadriennii continetur, expreſſe dicitur, ſi uxor nullum ſoſpitatis ejus potuit habere indicium. Licet *Nov.* 22. *cap.* 14. militem vivum ſupponere videatur. Qualiscunque vero ſenſus ſit diſpoſitionis juris civilis: Hic demonſtraſſe ſufficiet, quænam ipſo jure naturæ obtinere debeant.

§. 485.

Quod donatio a milite concubinæ ſuæ facta revocari poſſit, privilegium juris tantum poſitivi eſt. *Donatio concubinæ facta revocatur.*

Cum enim in genere donatio concubinæ facta revocari non poſſit (*l. 5.* & *31. ff. de Donat.*); Donationem talem vero revocare militibus conceſſum ſit (*l. 2. Cod. de Donat. int. vir.* & *ux.*): Militibus aliquid facere licet, adeoque jus conceſſum eſt, quod aliis non competit. Quare cum conceſſio juris alicui facta, quod aliis non competit, privilegium dicatur (§. *853. Part. 8. Jur. nat. W.*): Patet, quod militibus jure civili in eo privilegium conſtitutum ſit. *Q. e. 1.*

Cum vero ipſo jure naturæ donatio quæcunque acceptatione nempe facta, uti ſupponitur, revocari nequeat (§. *89. Part. 4. loc. cit.*): Privilegii hujus ratio nulla naturalis, neque alia apparet, quam favor militiæ. Ab Imperatore enim expreſſe dicitur, ſe non velle, milites ſuos fictis adulationibus a focariis ſuis ſpoliari (*d. l. 2.*). Quare cum privilegia militum, quæ rationem ſuam in favore ſaltem militiæ habent, juris mere poſitivi ſint (§. 385.): Hoc etiam de illo dicendum erit. *Q. e. 2.*

§. 486.

Similiter, quod etiam donatio 500. aureos excedens militibus a præfecto vel duce facta judicialiter inſinuari non debeat, privilegium juris ſaltem poſitivi eſt. *Donatio militibus facta inſinuari judi-*

cialiter non debet. In genere enim donatio 500. aureos excedens actis publicis insinuari debet, si nempe jus civile spectes (*l. 34. princ. l. 35. §. 3. & tot. tit. Cod. de Donat.*). Quare cum ducibus & præfectis, qui suis militibus ultra 500. aureos donant, insinuatio judicialis remissa sit (*l. 36. §. 1. ibid.*): Duces & præfecti militum, sive potius, milites ipsi jure gaudent, quo ceteri carent. Quare cum jus tale privilegium dicatur (*per alleg. § 485.*): Militibus in eo privilegium concessum est. *Q. e. 1.*

Cum vero ratio neque naturalis, neque in militia illa apparet, cur a dispositione generali juris civilis exemti sint milites: Eodem iterum, quo §. 485. modo, apparet, illud juris mere positivi esse. *Q. e. 2.*

Favorem militiæ etiam tanquam ejusdem rationem adducit SCHROETER (§. 3. *Cap 6. Sect. 1. loc. sæpius cit.*). Eandem vero in eo quoque ponit, quia ejusmodi donatio aliquo modo remuneratoria esse videatur; Hujus vero insinuationem non requirant leges. Si autem [illegible] modo rem consideres; Privilegium militum non erit: Cum quoad donationem remuneratoriam quisque hoc jure fruatur jure civili, ut eandem actis insinuare non debeat (*per add*). Ipse tamen Imperator privilegium illud deprædicat dicens: *A gestorum absolvimus ordinatione donationes &c.* Insinuationis judicialis ratio alias etiam adduci solet, præcipitantia præcavenda. Quam cessare putant in ducibus & præfectis militum. Cum vero & hæc præsumtio cessantis præcipitantiæ rationem non habeat, nisi in favore militiæ: Illa etiam ratione posita, privilegium nihilominus juris mere positivi est.

§. 487.

Absentes in integrum restituuntur. *Quod jure civili milites, si quid de bonis eorum, dum reipublicæ causa absunt, deminutum est, in integrum restituantur, privilegium militum non proprium, sed cum omnibus, qui reipublicæ causa absunt, ipsis commune est.*

Cum enim non in genere omnibus, qui dum absunt, bonorum suorum deminutionem patiuntur, restitutio in integrum concedatur (*per not.*); Militibus vero, qui reipublicæ causa absunt, eadem indulgeatur (*l. 2. Cod. de Restit. milit.*): Militibus reip. causa absentibus jus quo alii carent, adeoque privilegium (*loc. §. 485. cit.*) competit. Cum vero beneficium hoc restitutionis in integrum non militibus modo, sed omnibus, qui reipublicæ causa absunt, concedatur (*l. 4. ff. Ex quib. caus. maj.*): Privilegium illud militum non proprium, sed cum omnibus ipsis commune est, qui reipublicæ causa absunt.

§. 488.

§. 488.

Quod militibus armorum usus etiam extra militiam concessus sit, olim privilegium eorum fuit, sed hodie amplius non est.

Armorum usus extra militiam concessus.

Cum enim usus armorum præter milites aliis fere omnibus fuerit interdictus (*arg. l. ult. Cod. de Præp. sacr. cubic.; l. 1. ff. ad L. Jul. de vi publ. & 2. Feud. 27. §. Si quis rusticus*); Militibus vero etiam extra militiam concessus (*l. 15. Cod. de Re milit.*): Militibus in eo utique jus competiit, quo alii caruerunt. Cum vero hodie usus armorum etiam extra militiam aliis, quam militibus concedatur (*per exp.*); In jure vero alicui concesso, quo alii carent, demum privilegium consistat (§. 853. *Part. 8. Jur. nat. W.*): Usus armorum extra militiam olim quidem privilegium militum fuit, hodie vero amplius non est.

§. 489.

Quod magisterium liberet a patria potestate, privilegium juris saltem positivi est.

Magisterium militare liberat a patria potestate.

Jure enim naturæ liberi tamdiu manent in patria potestate, usque ad eum statum fuerint perducti, quo sibimet ipsis prospicere possint de iis, quibus ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta legem naturæ determinare (§. 715. *Part. 7. Jur. nat. W.*): Jure itaque naturæ nulla alia ratione extrinseca solvitur patria potestas. Licet itaque magister militum dicatur, qui toti aut equitatui, aut peditatui præest (§. 198.); Adeoque ad magisterium militum non facile admittetur, nisi qui in eo statu est, quo ipso jure naturæ a patria potestate solvi debeat: Ratio tamen solutionis ab eadem tunc non in magisterio militum, sed in statu eo, jure naturæ requisito, continetur. Jure itaque naturæ in eo militibus nihil indulgetur præ aliis. Cum vero jure civili patria potestas morte demum patris vel avi paterni, aut emancipatione solvatur (*per vulg. juris*); Magistri vero militum ab ea liberati sint (*Auth. Sed episcopalis Cod. de Episc. & cler.*): Jure civili magistri militum utique in eo jure gaudent, quo alii destituuntur. Quare cum in concessione juris ejusmodi privilegium ponendum sit (*dem.* §. 188.); Illud vero jure saltem positivo concedatur (*per dem.*): Patet, quod liberatio a patria potestate per magisterium militare privilegium sit juris saltem positivi.

Cum magisterium militare dignitas adeo eminens sit, ad quam non facile evehetur, qui non ipso jure naturæ a patria potestate solutus sit (*per dem.* §.); Hodie vero hoc sufficere soleat (*per hyp.*): Superflua videri posset propositionis hujus enucleatio. *Nb Dn. de* BERGER vero sub vocabulo magistri militum intelligi vult milites superiorum ordinum

in genere (§. 16. *Tit.* 3. *Lib.* 1. *Oecon. jur.*). Et cum hodie ad dignitates militares etiam eminentiores principum præfertim filii fæpius adhuc teneri evehantur: Non omni ufu deftitui poffet. Dubitem licet, quod in tali cafu de folutione a patria poteftate cogitaretur.

§. 490.

Naturaliter militia in genere. *Naturaliter milites in genere a patria poteftate debent effe foluti; Sive: Miles effe nequit, qui adhuc eft in patria poteftate.*

Milites enim actiones fuas, qua tales, ad voluntatem auctoris belli (§. 175.), & mandata præfectorum (§. 221.) determinare obligantur. Quare cum militibus libera effe debeant, fine quibus obligationibus fuis fatisfacere nequeunt (§.315.): Liberum ipfis etiam effe debet, actiones fuas ad voluntatem auctoris belli & mandata præfectorum determinandi. In determinandis itaque actionibus fuis ad arbitrium alius adhuc adftringi nequeunt: Cum vero liberi in patria poteftate conftituti parentibus obedire adeoque actiones fuas ad horum arbitrium determinare obligentur (§. 666. *Part.* 7. *Jur. nat. W.*); Obligatio vero in neceffitate agendi confiftat (§. 118. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.*): Milites in determinandis actionibus fuis liberi non effent, fi in patria poteftate adhuc conftituerentur. Atque hinc patet, quod naturaliter milites a patria poteftate debeant effe foluti; Seu, quod miles effe nequeat, qui adhuc eft in patria poteftate.

Jure contra civili militia in genere a patria poteftate non liberabat (§ 4. *Inft. quib. mod. Jus P. P. folv.*). Hoc vero interim non impediebat libertatem imperio militari obediendi; Sed alios faltem effectus, quoad bona præfertim, producebat. Patria enim poteftas alia eft jure naturæ, quam jure civili, utpote quæ non nifi imperium, neutiquam dominium involvit (§. 664. *& fchol. Part.* 7. *fupra cit.*).

§. 491.

Peculii militaris jus ipfius juris naturæ eft. *Quod peculium militare, in fpecie caftrenfe, pleno jure fpectet ad filium, nec conferri debeat, jure quidem civili privilegium eft, ad favorem militiæ referendum; Per fe autem juris naturæ, neque adeo eodem privilegium eft.*

Peculium dicuntur bona liberorum in patria poteftate adhuc conftitutorum (§. 764. *Part.* 7. *Jur. nat.* WOLF.); Et caftrenfe in fpecie, quod filius acquifivit in militia, fagata fcilicet, five occafione ejusdem (*fchol. ad* §. *cit.*). Quare cum jure civili alia, licet non omnia, bona liberorum aliunde, quam in militia acquifitorum, vel plane nullo, vel non pleno jure vario difcrimine ad liberos fpectent, & in hereditate parentum conferri debeant (*per vulg. jur.*); Peculium vero militare & in fpecie

ſpecie caſtrenſe pleno jure ad liberos pertineat (*l. 6. princ. & §. 3. Cod. de Bonis, quæ lib.*); Nec conferri debeat (*l. 1. §. 15. ff de Collat*): Intuitu peculii militaris & in ſpecie caſtrenſis, jure civili conceſſum eſt jus, quod intuitu aliorum peculiorum non competit; Rationem vero neceſſariam in militia illud non habet (*Quod per ſe patet*). Cum itaque conceſſio juris etiam rei indulti, quo res aliæ carent, privilegium dicatur (§. *853. Part. 8. loc. cit.*); Privilegia vero, quæ rationem neceſſariam in militia non habent, ad favorem militiæ referendæ ſint (§. 385.): Patet, quod illud jure civili privilegium ſit, ad favorem militiæ referendum. *Q. e. 1.*

Quum vero jus naturæ peculiorum diſcrimina non agnoſcat, & inter bona liberorum, unde quæſita, non diſtinguat (*ſchol. ad §. 764. ſupra cit.*); Sed omnia bona liberorum ad eosdem pleno dominio ſpectent (§. 757. *ſeqq. loc. cit.*): Bona etiam liberorum in militia vel occaſione ejusdem acquiſita ipſo jure naturæ ad liberos pleno jure ſpectant, & quod adeo in hereditate parentum conferri non debeant, facile patet. Cum autem jure naturæ bona etiam aliunde quæſita eodem jure gaudeant (*per add.*); Neque adeo jure naturæ bonis in militia acquiſitis, ſive peculio militari, quod dicitur, in eo jus competat, quo reliqua deſtituuntur: Juris ipſius naturæ neque eodem privilegium eſſe, ut peculium militare, & in ſpecie caſtrenſe, ad filium pleno jure ſpectet, nec conferri debeat, facile apparet. *Q. e. 2.*

§. 492.

Matrimonia militum militiæ non conveniunt, & reipublicæ onerosa ſunt. *Matrimonia militiæ non conveniunt.*

Cum enim matrimonium ſit ſocietas ſobolis procreandæ & educandæ gratia (§. *270. Part 7. Jur. nat. W.*); Educatio liberorum vero tam patri, quam matri incumbat (§. *263. loc. cit.*): Miles etiam maritus educationi liberorum proſpicere tenetur. Educationem vero, ſi quidem rite fieri debeat, plura negotia involvere per ſe conſtat. Quare cum non conveniat, milites negotiis implicari, adeoque ne implicentur, cavendum ſit (§ 475.): Quod nec matrimonia militiæ ſive ſtatui militari conveniant, facile intelligitur. *Q. e. 1.*

Hoc vero alio quoque modo oſtendi poterit. Cum enim maritus maxime onera matrimonii ferre debeat (*§. 524. 525. loc. cit.*): Et marito militi hoc onus incumbit. Cum vero militibus, gregariis præſertim, ſuſtentatio non adeo ſuperflua dari ſoleat, nec poſſit, ut præter ſemet

ipsos alios adhuc alere valeant (*per exp. & hyp.*): Facile evenire posset, ut ipsemet sustentatione necessaria careret, si eadem uxorem & liberos prospicere deberet. Quoniam tamen absque sustentatione esse nequeunt, & ejus defectu ad servitia militaria rite præstanda inhabiles fierent (*Quod per se patet*): Ut eandem alio modo quærerent, ipsa necessitas exigere posset. Hac ratione vero tam aliis negotiis implicarentur, quam a servitiis facile detineri possent. Quare cum cavendum sit, ne hoc fiat (§. 475.): Ex eo etiam patet, quod matrimonia statui militari non conveniant.

Cum porro conjuges ad vitæ consuetudinem (§. 473 *loc. cit.*), & mutuum adjutorium sibi invicem præstandum obligentur (§. 474. *ibid.*): Quod uxor cum marito una habitare debeat, facile colligitur. Quoniam itaque militibus habitatio præstari debet (§. 355.): Illa etiam uxoribus & liberis præstanda erit. Hospitationem militum vero reipublicæ onerosam esse, res nota est. Et eandem molestiorem adhuc fieri, si & uxores militum cum liberis illa prospiciendæ sint, facile intelligitur. Quum vero molestia hæc ex matrimoniis militum oriatur (*per dem.*): Patet, quod matrimonia militum reipublicæ onerosa sint. *Q. e. 2.*

Accedit etiam, quod milites tam propter præstationem servitiorum, quam crebram absentiam educationi non adeo vacare possint. Ut ita nec militia matrimonio conveniat. Uxores vero & liberos vel in expeditionem secum ducere, militibus concedi nequit, nec fieri potest. Cum vero rationes, propter quas matrimonium militiæ non convenit, in hoc vel illo subjecto minuantur, ita ut tam educationis, quam servitiorum neglectus adeo facilis inde metuendus non sit: Quod saltem in genere militiæ non conveniant, asserimus. Prorsus vero eidem repugnare, tueri non licebit. Tunc enim militibus indistincte prohibenda essent. Quod tamen fieri non posse, §. sequenti demonstrabitur.

§. 493.

Militibus pro lubitu non permittenda.

Militibus matrimonium neque pro lubitu incundum permitti, neque indistincte prohiberi potest.

Cavendum enim est, ne milites a servitiis suis retrahantur, aut ad eadem inhabiles reddantur (§. 475.), & ne reipublicæ præsertim quoad hospitia oneri nimio sint (§. 763. *Jur. gent. W.*). Quare cum matrimonia milites tam a servitiis suis abstrahere, quam propter habitationem reipublicæ oneri esse possint (*dem.* §. 492.); Neque adeo militiæ conveniant (§. *eod.*); Militibus vero ea licere nequeunt, quibus ab obligationibus, adeoque & servitiis detinerentur (§. 469.): Patet, quod militibus permitti nequeat, matrimonium pro lubitu inire. *Q. e. 1.*

Quo-

Quoniam vero ad matrimonium obligatio generalis est, eorum nempe, qui requisita necessaria habent (§. 524. *Part. 7. Jur. nat. W.*): Matrimonii contractio jure naturæ illis præcipitur, qui iisdem requisitis gaudent (§. 164. *P. 1. Phil. pract. univ. W.*). Quare cum ea, quæ jure naturæ præcipiuntur, lege civili, qualis & est militaris (§. 97.), prohiberi nequeant (§. 973. *P. 8. Jur. nat.*): Nec militibus matrimonium indistincte prohiberi potest. *Q. e. 2.*

Obligationem tamen naturalem ad matrimonium restrictam admodum esse, pluribus monet *perill.* L. B. de WOLF (*schol. ad* §. 524. *cit.*). Et cum illa judicio nitatur, an quis in iis constituatur circumstantiis, quibus matrimonium inire possit & debeat (§. *eod.*); Matrimonia militum vero simul in militiam influunt (§. 492.); & in iis, quæ militiam concernunt, milites ad judicium auctoris belli adstricti sint (§. 174.): Utique ab hoc pendere debet, quousque militibus matrimonia ineundi licentiam concedere velit, & quandonam militi hoc convenire judicet. Fieri enim potest, ut matrimonium contrahi etiam possit, cum persona, quæ sola oneribus ejusdem abunde sufficit (§. 525. *loc. cit.*), vel ut miles ipse præter stipendia bona alia habeat, unde & uxori & liberis de sustentatione prospicere & onera matrimonii ferre possit. Si itaque vel ipsimet educationi liberorum vacare continuó non detur propter servitia militaria: Ipsi tamen adsunt media, quibus eidem & per alios consulere & uxorem in eadem curanda adjuvare queat. Non adeo itaque verendum est, ut per matrimonium a servitiis detrahatur, aut reipublicæ molestus fiat. Pro statu itaque etiam rei militaris, qualis hic vel illic fuit, matrimoniorum quoque licentia deprehenditur. Sic apud Romanos, quibus militia perpetua erat & mercenaria, matrimonium militibus interdictum & cœlibatus injunctus deprehenditur; Apud Germanos vero, qui militia utplurimum lecta utebantur, medio a ævo, matrimonia militum ullo modo restricta fuisse non apparet. Prout pluribus adstruit JO. WILH. WALDSCHMID in *Diss. de Cœlibatu militum, prælim.* & §. 2. & 3. Hodie, quo militia iterum mercenaria & perpetua, partim tamen simul lecta est, neque in totum prohibentur, neque permittuntur, sed ad consensum præfectorum restringuntur.

§. 494.

Ab arbitrio itaque auctoris belli dependere debet, quousque matrimonia militibus licere debeant. *Ab arbitrio auctoris belli pendent.*

Auctori belli enim relinquendum est judicium de iis, quæ ad bellum faciunt (§. 783. *Jur. gent. WOLF*). Quare cum matrimonia militum in militiam quoque influunt (*dem* §. 492.); Neque militibus pro lubitu concedi, neque etiam indistincte prohiberi possint (§. 493): Patet, quod ab arbitrio sive judicio auctoris belli pendere debeat, quousque militibus matrimonia ineundi licentiam concedere velit.

§. 495.

§. 495.

Milites ad ea consensum petere debent. *Milites itaque pro lubitu matrimonium inire, seu uxorem ducere nequeunt, sed ad illud ineundum permissionem sive consensum auctoris belli aut præfectorum petere debent.*

Militibus enim matrimonium pro lubitu ineundum permitti nequit (§. 493.), & actu permissum non esse supponitur (*per hyp.*); Sed ab arbitrio auctoris belli pendet, quousque illud permittere velit (§. 494.). Quare cum milites actiones suas ad arbitrium sive voluntatem auctoris belli componere obligentur (§. 1, 5.): Patet, quod nec pro lubitu matrimonium inire possint, sed ad illud ineundum consensum sive permissionem auctoris belli sive præfectorum, si ille ipsis hoc jus concesserit, petere debeant.

Legibus positivis hoc etiam constitui solet, uti pluribus refert WALDSCHMID *loco* §. 493. *cit. th. 6. seqq.* Studio autem dicimus, quod *petere* debeant. Quicquid enim petitur, jure saltem imperfecto deberi supponitur (*schol.* § 795. *P.* 3. *Jur. nat. W.*). Statim autem demonstrabitur, quod consensus matrimonium ineundi recusari etiam possit.

§. 496.

Qui recusari potest. *Consensus ad matrimonium ineundum, si petatur, militibus recusari potest.*

Etsi enim matrimonium militibus indistincte prohiberi nequeat (§. 493.): Ab arbitrio tamen auctoris belli dependet, quousque illud permittere velit (§. 494.). Nulla itaque adest necessitas moralis, ut auctor belli matrimonium permittat militi, qui ejusdem permissionem petit. Quare cum ejus, quod necessarium non est, contrarium æque possibile sit (§. 279. *Ontol. W.*): Aeque possibile est moraliter, ut princeps militi permissionem uxorem ducendi petenti illam recuset. Quare cum id, quod moraliter possibile est, salva actionis rectitudine fieri possit (§. 952. *P.* 1. *Theol. nat. W.*): Patet, quod consensus militi ad matrimonium ineundum recusari queat.

Equidem cum judicium in genere certis regulis circumscribatur; Et matrimonium militibus indistincte prohiberi nequeat (§. 493.): Licet auctori belli in ejus permissione judicium relinquatur (§. 494.); Hoc tamen utique suis regulis adstringitur. Fieri itaque potest, ut in casu dato recte non agatur, si militi consensus denegetur. Cum vero hoc conscientiæ ejus relinquendum sit, cui facultas consensum impertiendi competit: Ejus amplior explicatio hujus loci non est, quo de jure saltem externo agitur. Et cum ad consensum concedendum obligatio nulla sit, saltem perfecta (*per dem.*): Nec militi jus perfectum est illum exigendi (§. 23. *P.* 1 *Jur. nat. W.*). Cum adeo nihil agatur contra jus ipsius perfectum, si recusetur (*per dem.*): Nec eo ipsi fit injuria (§. 851. l. c.).

§. 497.

§. 497.

Milites nec sponsalia ante consensum impetratum celebrare possunt, nisi hoc fiat sub conditione, si consensum impetraverint. *Sponsalia absque consensu celebrari nequeunt.*

Sponsalia enim sunt pactum de matrimonio ineundo (§. 369. *Part.* 7. *Jur. nat. W.*). Quoniam itaque ex pacto nascitur obligatio (§. 789. *Part.* 3. *l. c.*): Per sponsalia milites obligarentur ad matrimonium ineundum. Cum vero milites hoc absque consensu inire nequeant (§. 495.): Neque etiam ante consensum in matrimonium impetratum sponsalia celebrare posse, facile patet. *Q. e. 1.*

Cum autem sponsalia sub conditione contracta, hac non existente ad matrimonium non obligent (§. 413. *Part.* 7. *l. c.*): Neque etiam miles obligabitur ad matrimonium consummandum, si sponsalia sub conditione consensus impetrati celebrarit, nisi conditio hæc existat, adeoque consensum impetraverit. Quare cum consensu impetrato militibus matrimonium inire liceat (§. 495.): Facile apparet, quod non repugnet, militem sub hac conditione sponsalia celebrare. *Q. e. 2.*

Brevius etiam hoc modo demonstrari poterit. Qui matrimonium inire non possunt, nec sponsalia contrahere possunt (§. 391. *P.* 7. *Jur. nat. W.*). Quare cum milites absque consensu matrimonium inire nequeant (§. 495.): Patet, quod nec absque consensu sponsalia contrahere possint. *Q. e. 1.*

Cum vero consensu impetrato matrimonium inire queant (*§. cit.*); Sponsalia vero sub conditione consensus impetrati celebrata non obligent, nisi hac existente (§. 413. *loc. cit.*): Nec repugnat, milites celebrare sponsalia, si id fiat sub conditione consensus impetrati. *Q. e. 2.*

§. 498.

Præfectis militum superioribus prohiberi etiam, ne matrimonium absque consensu ineant, ratio adest. *Præfectis etiam matrimonium prohiberi potest.*

Quoniam præfectis militum præsertim superioribus uberior sustentatio præberi solet, aut ipsi bona alia possideant, vel per matrimonia acquirunt; Adeoque rei domesticæ & educationi liberorum melius prospicere possint; Non etiam habitacula ipsis in persona præstari soleant: Rationes, cur matrimonia militibus non conveniunt (§. 492.) & militibus gregariis promiscua matrimonium ineundi licentia adimatur (§. 493.), in præfectis militum superioribus cessare videntur. Cum vero stipendia præfectorum superiorum, licet aliis pinguiora, vix tamen ad eorum sustentationem plerumque sufficere soleant; Et hinc si uxor & liberi ac-

cedant, tantum ut plurimum non adſit, quo dignitati ſuæ convenienter vivant, & ad ſervitia debite præſtanda idonei maneant; Hoc vero ſaltem dijudicationem requirat, quæ principi relinquenda eſt (§. 494.): Facile patet, quod etiam adſit ratio præfectis militum etiam ſuperioribus prohibendi, ne absque conſenſu matrimonium ineant.

Quod illis hoc prohiberi poſſit, dubitari nequit: Cum & præfecti absque dubio ad milites referendi ſint (§. 186.); Matrimonia vero militum ab arbitrio auctoris belli, ſive ſuperioris, dependeant (§. 494.). Hic vero inſuper oſtenditur, quod & ratio adſit, promiſcuam ipſis matrimoniorum licentiam prohibendi.

§. 499.

Specialiter prohiberi debet.

Si milites, & præſertim præfecti eorum ſuperiores, matrimonia ſine conſenſu inire non debeant, illud ſpecialiter prohiberi debet.

Cum enim militibus matrimonium indiſtincte prohiberi non poſſit (§. 493.): Contrarium ejus æque poſſibile eſt, ut nempe permittatur; Licet hoc pro lubitu fieri non debeat (§. *cit.*). Quare cum illud, cujus contrarium æque poſſibile eſt, neceſſarium non ſit (§. 279. *Ontol. W.*): Ratio neceſſaria non adeſt, ut militibus matrimonium prohibeatur; Sed quousque prohibitum aut permiſſum eſſe debeat, ab arbitrio ſuperioris pendet (§. 494.). Quodſi itaque milites matrimonium absque conſenſu inire non debeant, ſuperior voluntatem hanc ſuam declarare debet. Quare cum ſignificatio voluntatis, ne quid fiat, ab eo facta, qui jus obligandi habet, prohibitio dicatur (§. 985. *P. I. Theol. nat W.*): Patet, quod militibus in genere ſpecialiter prohiberi debeat, ut matrimonium absque conſenſu ineant. *Q. e. 1.*

Præterea vero, cum rationes, quæ ſuadent, matrimonium militibus gregariis aut præfectis inferioribus prohiberi, ceſſare ſoleant in præfectis ſuperioribus (*dem.* §. 498.); Ceſſante vero ratione ceſſet etiam, quod propter eam eſt (§. 118. *Ontol. W.*): Videri facile poſſet, quaſi prohibitio matrimonii militibus in genere facta, præfectos ſuperiores non tangeret. Quodſi itaque ſuperior velit, nec hos absque conſenſu matrimonia inire (*per hyp.*): Illud ſpecialiter etiam prohiberi debet. *Q. e. 2.*

Hanc prohibitionem præfectis ſuperioribus ſpecialiter factam paſſim etiam invenies, ut apud Boruſſos per edictum de a. 1709. & apud Saxones per edictum de a. 1724. Quorum primum ad LUNIGIUM in *Corp. jur. milit. p.* 904. & alterum apud BERTOCHIUM §. 29. legi memorat GNüGEN in *der Anleitung zum Kriegsrechte ſchol. ad* §. 240. Apud Hiſpanos idem obtinere apparuit ex Novellis Francofurtenſibus anni 1750. ubi referebatur, regem Hiſpaniæ occaſione deſponſationis filiæ ſuæ principis cum principe hereditario Pedemontii veniam generalem conceſ-

conceſſiſſe officialibus, qui absque ipſius conſenſu matrimonia inierant, ſecundum legis diſpoſitionem alias ab officio removendis. Et a rege Siciliarum eandem prohibitionem noviſſime emanaſſe, & ſtrenue ſuper ea haberi, alio loco relatum legimus. Hinc etiam factum eſt, ut, cum alias præfectis ſuperioribus apud Haſſos matrimonium lege ſpeciali non fuerit interdictum; Ut tamen absque conſenſu liceat, e re viſum non fuerit, prohibitio ſpecialis articulis, quos vocant, militaribus inſerta fuerit, cum hi anno ſuperiore adjectis quibusdam mutationibus prodirent.

§. 500.

Milites lecti caſu neceſſitatis finito, petere poſſunt, ut dimittantur, non tamen jure perfecto. *Milites lecti quando dimittendi.*

Ad caſum enim neceſſitatis ſaltem leguntur milites (§. 23.); Adeoque milites lecti tamdiu ſaltem in militia manere obligantur, quamdiu ille exiſtit (§. 289.). Finito itaque caſu neceſſitatis petere poſſe debent, ut a militia ſolvantur. Quare cum ſolvi a militia dimitti vocetur (§. 297.): Patet, quod milites lecti finito caſu neceſſitatis petere poſſint, ut dimittantur. *Q. e. 1.*

Cum vero judicium de caſu neceſſitatis ſit penes auctorem belli (§. 783. *Jur. gent. WOLF.*): Neque adeo invito eodem a militia diſcedere queant (§. 290.): Ipſis jus cogendi non eſt auctorem belli, ſi dimiſſionem recuſet. Caſum enim neceſſitatis, quem milites lecti ceſſare autumant, exiſtere adhuc judicare poteſt. Quare cum jus perfectum non ſit, cum quo non connectitur jus cogendi alterum (§. 235. *Part. 1. Phil. pract. univ.*): Patet etiam, quod jure non perfecto ſaltem petere poſſint dimiſſionem. *Q. e. 2.*

Ipſum etiam vocabulum *petere*, ſi determinato ſignificatu circumſcribatur, jus ſaltem imperfectum innuit (*ſchol. ad* §. 495.). Accedit & hoc, quod milites lecti eſſe non poſſint, niſi ſubditi (§. 31.), qui ad obedientiam cum patientia obligantur (§. 1043. *P. 8. Jur. nat. W.*): Adeoque, ſi vel ultra caſum neceſſitatis ad militiam adſtringantur, id patienter ferre debeant.

§. 501.

Militibus conductitiis ad certum tempus non capitulatis jus quidem competit petendi, ut dimittantur, ſed non perfectum. *Conductitii ad certum tempus non capitulati.*

Milites enim conductitii, ſi in contractu militari tempus, ad quod militia duret, non fuit expreſſum, invito auctore belli ab eadem diſcedere nequeunt (§. 293.): Non itaque ipſis in hoc caſu jus eſt cogendi auctorem belli, ſi dimiſſionem, quam petunt, detrectet. Quare cum jus, quod jure cogendi alterum deſtituitur, perfectum non ſit (§. 235. cit.

cit. §. *præc.*): Patet, quod etsi militibus conductitiis ad certum tempus non capitulatis jus petendi dimissionem concedatur, hoc tamen perfectum non sit.

Hoc equidem ex pacto inæquali procedit, quo nititur contractus militaris. Huic enim, si tempus expressum non contineat, clausulam tacite semper subesse, quod miles militiam continuare velit, *quousque principi placuerit*, monuimus jam ad §. 293. Ex pacto itaque miles eousque manere obligatur, & principi jus competit illum eousque retinendi. Princeps itaque, qui hoc agit, a pacto non recedit: Neque adeo & militi recedere licet (§. 827. *P.* 3. *Jur. nat. WOLF.*).

§. 502.

Quando milites conductitii ad certum tempus capitulati.

Milites conductitii ad certum tempus capitulati, hoc effluxo amplius in militia manere non obligantur, sed ut dimittantur exigere possunt, jure scilicet perfecto.

Milites enim conductitii in militia tamdiu saltem manere obligantur, quamdiu ad eandem contractu militari sive capitulatione se adstrinxerunt (§. 291.). Quamobrem cum hic supponatur, eosdem ad certum tantum tempus capitulatos esse (*per hyp.*): Si hoc effluxerit ad amplius in militia manendum obligari nequeunt. *Q. e.* 1.

Milites vero in genere, adeoque & conductitii, si in militia diutius manere nolint, sed ab ea solvi cupiant, dimissionem petere, sive exigere debent (§. 298.): Milites equidem etiam conductitii ad certum licet modo tempus capitulati, si hoc effluxo diutius manere nolint, dimitti debent. Cum vero diutius manere non obligentur (*dem. n.* 1.); Ex obligatione vero jus oriatur (§. 23. *P.* 1. *Jur. nat. W.*): Ut dimittantur, jus ipsis competere debet. Cum itaque obligatio militum conductitiorum ex promisso (§. 39.); Adeoque perfecta sit (§. 363. *Part.* 3. *loc. cit.*): Jus hoc eidem respondens, perfectum quoque est (§. 235. *P.* 1. *Phil. pract. univ. W.*). Quare cum si velimus, ut perfecte debitum nobis præstetur, id exigere dicamur (§. 795. *Part.* 3. *cit.*): Patet, quod milites conductitii ad certum tempus capitulati, si hoc effluxerit, jure perfecto velle, hoc est, exigere possint, ut dimittantur. *Q. e.* 2.

Obstare nequit, quod hoc modo fieri posset, ut vel belli tempore, & in ipsa expeditione, ubi militum usus præcipuus est, dimitti deberent. Utique enim hoc incommodum capitulationum est. Imputent vero sibi, qui militibus capitulationem ad certum tempus concedunt, neque de eo casu sibi prospiciunt. Adjici enim facile posset clausula, quod si lapsus temporis in bellum vel expeditionem incidat, hujus vel illius finem exspectare teneantur. Propter incommoda etiam, quæ ex capitulationibus resultant,

resultant, non ubique licet, easdem dare militibus, sed iis, quibus jus conducendi committitur, hoc tamen prohibitum est. Uti apud nos in Hassia.

§. 503.

Miles conductitius, qui ad certum tempus capitulatus est, neque ante illius lapsum dimitti, neque ultra retineri potest. *Qui nec antea dimitti possunt.*

Cum militibus sustentatio debeatur ab auctore belli (§. 339.): Militi conductitio, qui ad certum tempus capitulatus est, intra illud sustentatio debetur; Adeoque ipsi ad eandem jus est. Jura vero militaria, sive militum, qua talium (§. 319.), ex pacto, adeoque perfecta sunt (§. 320.). Cum vero sustentatio pro præstatione militiæ detur (*dem. §.* 339.): Nec eam amplius præstari ei, qui a militia solvitur, sive dimittitur, facile patet. Quodsi itaque miles conductitius ad certum tempus capitulatus, ante illius lapsum dimitteretur, ageretur contra jus ipsius perfectum. Quare cum hoc fieri jure non possit (§. 86. *Instit. j. n. & g. WOLF.*): Patet, quod nec miles conductitius ante lapsum temporis capitulatione expressi invitus scilicet dimitti possit. *Q. e.* 1.

Cum vero miles conductitius elapso tempore capitulationis jure perfecto exigere possit, ut dimittatur (§. 502.): Si non dimitteretur, sed ultra illud retineretur, contra jus ipsius perfectum iterum ageretur. Quare cum hoc non possit (*per alleg.*): Eodem, quo antea, modo patet, militem conductitium ultra tempus capitulationis retineri non posse. *Q. e.* 2.

Hoc iterum incommodum capitulationum est, quod milites ante tempus conventum dimitti nequeant, saltem absque sustentationis præstatione; Licet iisdem opus forsan amplius non sit. Eidem vero etiam facile medela afferri poterit, si adjiciatur, quod auctor belli teneri nolit, si ante lapsum temporis opus iisdem amplius non habeat. Clausula quidem hæc capitulationibus tacite vel inesse, videri posset. Si vero jura, qualia ex pacto oriuntur, curatius inspicias: Rem stricto jure aliter definire non licebit: Licet in eo potestati summæ aliquid dandum esse, facile concedi poterit.

§. 504.

Miles conductitius, qui ad certum tempus capitulatus non est, pro lubitu auctoris belli dimitti potest. *Quinam conductitii pro lubitu dimittantur.*

Cum uti obligatio (§. 57.), ita & omne jus militis conductitii saltem sit ex contractu militari (*dem.* §. 320.); Hic vero ad certum tempus initus non supponatur (*per hyp.*): Neque militi conductitio, qui ad certum tempus capitulatus non est, jus ad certum quoddam tempus est, quo pro præstatione militiæ sustentatio ipsi præberi debeat. Si itaque

quoquo tempore dimittatur, nihil fit contra jus ipsius, neque adeo ipsi fit injuria. Contra vero cum milites belli causa conducantur (§. 14.); Auctori vero belli judicium de iis, quæ ad bellum necessaria sunt, relinquendum sit (§. 783. *Jur. gent. W.*): Judicium quoque ipsi relinqui debet, quamdiu militibus opus habeat. Quare cum militi conducto ad certum tempus non capitulato injuria non fiat, si quocunque tempore dimitatur (*per dem.*): Patet, quod talis pro lubitu auctoris belli dimitti possit.

Hinc rursus sese exserit inæqualitas pacti, quo contractus militaris absolvitur. Cum enim milites conductitii, certum tempus, ad quod militia duret, non stipulati, pro lubitu & invito auctore belli ab ea discedere nequeant (§. 293.): Huic tamen integro jure licet illos pro lubitu invitos etiam dimittendi (*per dem.*). Uti jam pluribus monuimus *schol. ad §. cit.* Ita ut jus principis circa milites jure etiam naturali quam late pateat.

§. 505.

Dimissione necessaria vel voluntaria est.

Hinc cum milites conductitii, qui ad certum tempus capitulati sunt, illo effluxo, si sponte manere nolint, dimitti debeant (§. 502.); Conductitii vero, certum tempus non stipulati, ab auctore belli pro lubitu, dimitti possint (§. 504.): *Dimissio militum vel voluntaria vel necessaria esse potest.*

§. 506.

Captis sustentatio præbenda.

Militibus ab hoste captis sustentatio præberi debet ab auctore belli. Milites enim ab hoste capti a militia non solvuntur, seu milites esse propterea non desinunt (§. 306.). Quare cum propter militiam militibus sustentatio præstari debeat ab auctore belli (§. 339.): Patet, quod & illa militibus ab hoste captis durante captivitate præstari debeat.

§. 507.

Capti liberari debent.

Milites ab hoste capti liberari debent ab auctore belli. Militibus enim ab auctore belli præstari debent ea, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt (§. 338.). Quodsi vero capiantur ab hoste, illos obligationibus suis, qua milites, satisfacere non posse, palam est. Fieri itaque debet, ut ab auctore belli reddantur in eum statum, quo illud possunt. Quare cum hoc fiat, si ex captivitate liberentur (*per not.*): Patet, quod milites capti ab hoste liberandi sint ab auctore belli.

§. 508.

Quomodo.

Quare cum liberatio ex captivitate fieri possit, aut permutatione, aut reluitione, aut pactione alia (*per not.*): *Milites ab hostibus capti aut*

aut cum aliis permutandi, aut pecunia reluendi, aut alia denique pactione liberandi sunt.

§. 509.

Lytri definitio. Pecunia, quæ pro liberatione ab hoste captorum solvitur, *Lytrum* dicitur.

§. 510.

Militibus inde jus oritur. *Militibus ab hoste captis jus est exigendi ab auctore belli, ut eos quocunque modo liberet, & interea ipsis sustentationem præstet.*

Milites enim ab hoste capti ab auctore belli liberari (§. 507.), & interea sustentari debent (§. 506.). Quare cum debitum dicatur, ad quod obligamur (§. 170. *P. 1. Phil. pract. univ. W.*): Auctorem belli ad liberandos & sustentandos milites captos obligari facile apparet. Cum vero ex obligatione jus oriatur (§. 23. *P. 1. Jur. nat. W.*); Obligatio vero illa sit erga milites captos (*per dem.* §. 506. 507.): Militibus captis jus etiam esse debet, flagitandi, ut auctor belli eos liberet & interea sustentet. Et cum jura militaria perfecta sint (§. 320.): Jus hoc quoque perfectum est. Quare cum ea, quæ jure perfecto posci possunt, exigi dicantur (§. 795. *Part. 3. loc. cit.*): Patet, quod militibus captis jus sit exigendi ab auctore belli, ut ipsos sustentet & liberet.

§. 511.

Quando capti a militia solvuntur. *Si auctor belli sustentationem & liberationem militum ab hoste captorum omittat vel negligat: Hi a militia solvuntur.*

Auctor enim belli ad sustentationem & liberationem militum ab hoste captorum obligatur (*per dem.* §. 510.). Quodsi itaque sustentationem & liberationem omittat vel negligat (*per hyp.*): Obligationi suæ non satisfacit. Cum vero, si duorum paciscentium unus obligationi suæ non satisfacit, nec alter præstare obligetur, ad quod alias teneretur (§. 827. *Part. 3. cit.*); Militum vero obligatio generalis, qua auctori belli tenentur, in præstatione militiæ consistat (§. 131.): Nec milites in eo casu militiam amplius præstare obligabuntur. Quare cum facile intelligatur, quod is, qui militiam amplius præstare non obligatur, ab eadem solvatur: Patet etiam, quod milites ab hoste capti solvantur a militia, si auctor sustentationem & liberationem eorum omittat.

§. 512.

Quod tamen limitatur. *Si vero præstatio sustentationis vel liberatio non statim sequatur, sed aliquatenus protrahatur: Milites ab hoste capti non statim solvuntur a militia;*

litia; Sed tunc demum, si certo constet, auctorem belli eandem studio omittere vel negligere.

Cum enim milites & eorum præfectos captivos tamdiu retinere ipsa ratio suadeat, donec bellum fuerit finitum (§. 815. *Jur. gent. W.*); Fieri etiam possit, ut hostis eosdem durius haberi velit (*per hyp.*): Evenire potest, ut hostis liberationem eorum recuset, & ipsis uberiorem, quam ipsi lubet, sustentationem porrigi deneget. Non itaque in omni casu ab auctore belli pendet, quo minus ab hoste capti liberentur, & debita ipsis sustentatio porrigatur. Dici itaque nequit, si hæc vel illa non statim sequatur, auctorem belli eam omittere vel negligere. Quare cum milites capti tunc demum solvantur a militia, si hoc fiat (§. 511.): Apparet, quod etiam a militia non statim solvantur, si eorum liberatio, aut sustentationis præstatio protinus non sequatur, sed tunc demum, si certo constet, auctorem belli eandem studio omittere vel negligere.

Cum vero præsumi nequeat, auctorem belli milites suos captos studio neglecturum esse; Et cum variæ esse possint causæ, quæ liberationem vel sustentationem eorum impediant, ita ut si vel negligatur aut studio omittatur, de eo tamen non adeo facile constare poterit: Frequens etiam non erit casus, quo milites capti ab obligatione sua solventur. Hinc etiam nullo modo inde metuendum est aliquid præjudicii, quod statuatur, fieri posse, ut milites capti a militia solvantur.

§. 513.

Solutionis a militia effectus. *Si miles quocunque modo militia solvatur: Licere debet ipsi, alteri se dare in militiam.*

Cum enim quis duobus simul militare non possit (*quod per se patet*): Qui uni ad militiam obligatus est, alteri ad eandem se obligare nequit (*per dem.* §. 74.). In militia itaque, ad quam quis uni obligatur, continetur ratio, cur alteri se dare in eandem nequeat (§. 56. *Ontol. W.*). Si quis itaque a militia, ad quam cuidam obligatur, solvitur, cessat ratio, cur alteri militare non possit. Quare cum uti posita ratione sufficienti ponatur, ita eadem cessante cesset, quod propter eam est (§. 118. *ibid.*): Patet, quod si miles, quomodocunque militia solvatur, licere debeat ipsi, alii se dare in eandem.

Hic merito supponitur, aliud impedimentum non obstare, quo minus quis cuidam militare possit. Sic si v. gr. subditis indigenis prohibitum sit, exterorum se dare militiæ: Facile patet, militem hoc non posse, etsi a militia patria solvatur. Ratio vero, cur illud nequeat, hic non est in nexu militiæ, quo cuidam jam teneretur sed in lege quadam, ad quam qua subditus indigena obligatur. Hic itaque saltem asseritur, quod si militia fuerit ratio, cur quis alienam militiam sequi non possit, illam cessare, si mili-

si militia solvatur. Potissimum itaque de militibus conductitiis, & peregrinis quidem, illud erit intelligendum. Licet enim & hi subditi fiant (§. 76.): Diutius tamen tales non manent, quam militant. Quodsi itaque militia solvantur: Desinunt esse subditi; Nec legibus adstringuntur, quibus indigenæ tenentur. Quoniam vero etiam ratio necessaria non adest prohibendi subditis, ne extra civitatem militent (§. 407. *P. 8. Jur. nat. W.*): Adeoque etiam in hoc casu militum subditorum idem jus esse debeat: Propositionem demonstratam universaliter enunciari & posse & debere duximus.

§. 514.

Quare cum milites, si ab hoste capiantur, propterea a militia non solvantur (§. 306.): *Militibus ab hoste captis propterea, quod capti sint, non licet eidem se dare in militiam.* *Captis non licet hosti militare.*

Utique vero alia accedere potest causa, propter quam captis hæc licentia erit afferenda; Quemadmodum statim evincetur. In sola vero captivitate ratio ejusdem non continetur.

§. 515.

Militi conductitio ad certum tempus capitulato, si ab hoste capiatur, & durante captivitate tempus illud exspiret, licere debet, hosti se dare in militiam. *Quid si capitulatio durante captivitate finiatur.*

Quodsi enim tempus, ad quod miles conductitius capitulatus est, durante captivitate exspiret: A militia ille solvitur (§. 308.). Quare cum miles, si quocunque modo militia solvatur, alteri se dare possit in eandem (§. 513.); Patet, quod in casu dato militi conductitio hoc quoque licere debeat.

Nec obstat, quod & milites conductitii, si eorum tempus effluxerit, & militiam ultra continuare nolint, ad dimissionem tamen petendam obligentur (§. 298. *& schol.* §. 296.). Cum enim inter milites captos & auctorem belli liberum commercium non detur: Facile apparet, militi etiam ipsum de dimissione concedenda adeundi copiam non esse. Ad impossibile vero nulla est obligatio (§. 209. *P. 1. Phil. pract. univ. W.*). Et cum a militibus, quorum capitulatio finita est, dimissio jure perfecto exigatur (§. 502.); Neque adeo recusari possit ab auctore belli; Consensum vero in id, ad quod alter obligatur, præsumere liceat (§. 563. *Part. 5. Jur. nat. W.*): Præsumere etiam licebit, auctorem belli militi conductitio, cujus tempus elapsum est, dimissionem recusaturum non esse. Pone vero etiam, quod recusaturus esset. Cum in sequentibus demonstrabitur, militem conductitium proprie non delinquere, si effluxo tempore dimissione rogata sed recusata discedat: Nec hoc ipsi impedimento esse poterit, quo minus hosti se det in militiam.

§. 516.

Non idem est in subdito. Cum vero subditus, licet ad certum tempus capitulatus sit, casu tamen necessitatis ingruente militiam continuare obligetur, etsi tempus illud effluxerit (§. 292.); Adeoque in eo casu a militia non solvatur (§. 305.); Captivitas autem bellum, adeoque necessitatis casum supponat (*per hyp.*); Solutio a militia vero demum rationem in se contineat, cur quis alteri se dare possit in eandem (§. 513.): *Milites capti, si cives sint, hostis militiam amplecti nequeunt, etsi ad certum tantum tempus capitulati fuerint, & hoc effluxerit.*

§. 517.

Quandonam captis liceat hostis milit. am amplecti. *Si sustentatio vel liberatio militum captorum protinus non sequatur, antea tamen hosti se dare in militiam nequeunt, quam certo constet, auctorem belli eandem studio omittere vel negligere.*

Cum enim milites capti, si eorum liberatio, aut sustentatio ab auctore belli omittatur vel negligatur, a militia solvantur (§. 511.); Miles vero, qui militia quocunque modo solvitur, alteri se dare possit in eandem (§. 513.). Utique etiam asserendum erit, quod milites capti hostis militiam amplecti posse debeant, si eorum sustentatio aut liberatio omittatur, vel negligatur. Cum vero milites capti non protinus solvantur a militia, si liberatio aut sustentationis præstatio statim non sequatur; sed tunc demum, si certo constet, eandem studio omitti, vel negligi (§. 512.): Utique etiam in hoc denique casu, captis licere debet, hosti se dare in militiam.

Rursus vero hic supponitur, aliam causam non adesse, quo minus quis, licet a militia solutus, alteri se dare possit in eandem; Uti jam monuimus ad §. 513. Et an salva conscientia fieri possit, ut quis militet hosti ejus, cujus antea militiam secutus est, paucis etiam indigitavimus ad §. 309. Si enim civibus in genere non liceat, apud exteros arma sumere: Multo minus hoc licebit militi civi apud hostem.

§. 518.

Capti jura non amittunt. *Milites ab hoste capti jura sua non amittunt.*

Milites enim ab hoste capti militia propterea non solvuntur (§. 306.). In militia vero continetur ratio jurium militarium (§. 321.). Licet itaque milites ab hoste capiantur, ratio tamen jurium eorundem adhuc adest. Quare cum posita ratione sufficiente ponendum etiam sit, quod propter eam est (§. 118. *Ontol. W.*): Patet, quod milites ab hoste capti jura sua non amittant.

Con-

Consentit Vir perillustris L. B. *de* WOLF (§. 905. *Jur. gent.*). Ubi etiam jura captorum in genere demonstrantur, quæ absque ullo negotio ad milites captos applicari possunt. Sic v. gr. facile patet, eos etiam quoad alia jura præter militaria postliminio restituendos esse (§. 896. *ib.*).

§. 519.

Milites ab hoste capti, si revertantur, in pristinum statum restituendi sunt. *Quid si revertantur,*

Milites enim ab hostibus capti neque obligationibus suis solvuntur (§. 307.), neque jura sua amittunt (§. 518.); Sed in exercitio amborum saltem impediuntur (*Quod per se patet*). Si itaque revertantur, liberum ipsis eorum exercitium reddi debet. Quare cum jura & obligationes militum statum eorum constituant (§. 82.); Adeoque si militibus captis & reversis ipsis reddatur liberum exercitium jurium & obligationum, quibus antea gaudebant vel tenebantur, in pristinum statum restituantur: Patet, quod milites capti si revertantur, in pristinum statum restituendi sunt.

§. 520.

Quare cum restitutio rerum & personarum ab hoste captarum & in potestatem gentis suæ redeuntium in statum pristinum postliminium dicatur (§. 896. *Jur. gent. W.*): *Militibus ab hoste captis, si revertantur, jus postliminii competere debet.* *iis jus postliminii competit.*

Hoc jus postliminii juris etiam esse civilis romani, notissimum est, & toti de eo inveniuntur tituli tam in Codice, quam Digestis. Facile autem & per se intelligitur, quod si milites capti hostis partes secuti fuerint, eo frui nequeant. Desinunt enim tunc esse capti, & hostes potius evadunt. Merito itaque etiam privantur juribus, quibus antea gaudebant.

§. 521.

Si milites provinciales ad servitia militaria actu adhibeantur, jura etiam & privilegia militaria ipsis debent competere. *Quando militibus provinc. jura milit. competant.*

Propter obligationes enim, quæ militibus incumbunt, jura etiam ipsis peculiaria competunt (*dem.* §. 318.), quæ militaria dicuntur (§. 319.); Ut & privilegia peculiaria, quæ rationem in militia habent (dem. §. 372.); Adeoque & militaria appellantur (§. 373.). Quare cum milites provinciales, si actu servitiis adhibeantur, ad eadem obligentur, ad quæ milites in genere (§. 260.): Intelligitur, quod tunc iisdem etiam jura & privilegia militaria competere debeant.

§. 522.

Competunt etiam voluntariis.

Voluntariis etiam jura & privilegia militaria competere debent.

Voluntarii enim, cum milites sint (§. 300.), ad omnia etiam obligantur, ad quæ milites in genere (§. 303.). Quare cum propter obligationes militum, qua talium, jura & privilegia militaria ipsis etiam competere debeant (*dem. §. 521.*): In voluntariis etiam adest ratio horum sufficiens (§. *56. Ontol. W.*). Cum itaque, ubi ponitur ratio sufficiens, ibi etiam ponendum sit id, quod propter eam est (§. 118. ibid.): Patet, quod & iisdem jura & privilegia militaria competere debeant.

Quoad privilegia hoc negat CHRIST. WILDVOGEL (§. 10. *Diss. de Præda milit.*), qui vero nec militibus eos accensendos putat (*ib.*). Quod tamen, cum obligationibus eorum teneri eosdem demonstratum sit, facile refellitur. Accedere quidem videtur jus civile romanum & fori minimum privilegio eodem excluduntur (*l. 3. Cod. de Offic. mag. mil. & l. fin. C. de Apparit. mag. milit.*). Quod vero sine dubio rationem suam habet in hypothesi illa, quod miles non sit, nisi in numerum relatus; Voluntarii vero supra numerum sint, & quasi nec militare censeantur. Uti ex *l. fin. cit.* apparet. Quæ vero in numerum relatio principium saltem positivum est, neque adeo juri naturæ obstat.

§. 523.

Quænam privilegia non competant.

Privilegia vero militum, quæ rationem necessariam in militia non habent, sive ex mero favore conceduntur, ut voluntariis vel militibus provincialibus competant, necesse non est.

Dantur enim privilegia militum, quæ rationem necessariam in militia non habent (§. 381.); Adeoque ad favorem militiæ referenda sunt (§. 383.). Quum itaque privilegia hæc arbitraria sint (§. 382.): Facile patet, quod posita militia non ponantur, sed quod æque possibile sit eorum contrarium. Licet itaque in militibus voluntariis & provincialibus, si quidem hi actu serviant, militia adsit, adeoque & illis privilegia, quæ rationem sufficientem in hac habent, ipsis concedi debeant (§. 521. 522.): Ratio tamen necessaria non adest, ut ipsis etiam ea concedantur, quæ ex mero favore profluunt; Adeoque contrarium ejus æque possibile est. Quare cum id cujus contrarium æque possibile est, necessarium non sit (§. *279. Ontol. W.*): Nec necesse est, ut voluntariis & militibus provincialibus ea militum privilegia concedantur, quæ rationem necessariam in militia non habent, sed ex mero favore procedunt.

§. 524.

§. 524.

Si tamen privilegium quoddam ex mero favore militibus in genere concessum, neque voluntarii & milites provinciales eo specialiter excmti sint, illud & his competit. *In quo casu tamen competant.*

Licet enim privilegia, quæ militibus ex mero favore conceduntur, voluntariis & militibus provincialibus necessario competere non debeant (§. 523.): Quod tamen non repugnet, iisdem illa competere, facile & per se intelligitur. Cum itaque tam voluntarii (§. 300.), quam milites provinciales, si actu serviant (§. 259.), ad milites in genere referantur; Adeoque eorum species sint; Ea vero, quæ generi competunt, competere etiam debeant speciei (§. *235. Log. WOLF.*): Privilegia etiam, quæ militibus in genere conceduntur, competere etiam debent voluntariis & militibus provincialibus; nisi specialiter eximantur. Quare cum hoc hic non supponatur (*per hyp.*): In eo casu illis etiam privilegia, militibus ex mero favore concessa, competere debent.

§. 525.

Milites juribus & privilegiis suis renunciare possunt, quatenus id non est contra jus tertii. *Quatenus juribus suis renunciare possint.*

Cum enim jus quæsitum dicatur, quod actu competit (§. *102. Part. 3. Jur. nat. W.*): Jura & privilegia militum vero ipsis actu competere, per se pateat: Jura & privilegia militum, quæ ad illa referuntur, jura quæsita sunt. Quare cum naturaliter quilibet juri suo quæsito renunciare possit, quatenus id non est contra jus tertii (§. *118. loc. cit.*): Militibus etiam licere debet, renunciare juribus suis & privilegiis, quatenus juri tertii inde præjudicium non infertur.

Exemplum est in eo, quod tutelam etiam volentes suscipere (§. 479.). adeoque privilegio immunitatis a tutela renunciare nequeant; Item, quod jurisdictionem prorogare non possint, & alia.

§. 526.

Milites itaque juribus & privilegiis suis renunciare nequeunt, quæ cum obligationibus eorum connexa sunt. *Quibus non possint.*

Cum enim obligationes militum, qua talium, sint erga rempublicam sive ejus rectorem (§. 129.); Ex obligatione vero jus nascatur (§. *23. Part. 1. Jur. nat. W.*): Ex obligationibus etiam militum, qua talium, reipublicæ sive ejusdem rectori jus oritur. Quodsi itaque obligationibus illis non satisfacerent: Facile apparet, fieri aliquid contra jus tertii. Quare cum dentur tam jura (§. 322.), quam privilegia (§. 372.)

372.) militum, sine quibus obligationibus suis satisfacere nequeunt; Quæ adeo cum his connexa sunt: Si illis uti nolint, sed iisdem renunciare mallent; Agerent contra jus tertii. Cum vero milites juribus suis & privilegiis renunciare non possint, si illud sit contra jus tertii (§. 525.): Patet, quod etiam renunciare nequeant illis, quæ cum obligationibus eorum connexa sunt.

§. 527.

Quibus in specie non possint. Quare cum in militia contineatur ratio obligationum militarium (§. 130.); Adeoque & jura & privilegia, quæ rationem in eadem habent, cum obligationibus eorum connexa sint: *Milites juribus & privilegiis, quæ rationem necessariam in militia habent, renunciare nequeunt.*

§. 528.

Non proprie militaribus. Porro cum jura & privilegia, quæ militibus, qua talibus, competunt, sive quod perinde est, rationem necessariam in militia habent, proprie militaria dicantur (§. 319. 373.): *Juribus & privilegiis militaribus, proprie sic dictis, renunciare nequeunt.*

§. 529.

Quibus in specie possint. Contra vero cum dentur privilegia, quæ rationem necessariam in militia non habent (§. 372.), sed ex mero favore conceduntur (§. 393.); Adeoque cum obligationibus militaribus connexa non sint; ut ita juri tertii non adversentur (*dem. §. 526.*): *Privilegiis, quæ ex mero favore militibus conceduntur, renunciare possunt* (§. 525.).

§. 530.

Quando milites jura amittant. *Milites jura & privilegia sua amittunt, quamprimum milites esse desinunt.*

Jura enim & privilegia militibus saltem qua talibus competunt (§. 319. 373.); Adeoque propterea, quod sint milites. Quare cum id, propter quod alterum est, ratio ejusdem sufficiens dicatur (§. 56. *Ontol. W.*): Ratio jurium & privilegiorum militarium in eo continetur, quod milites sint. Quamprimum itaque desinunt esse milites, cessat ratio illorum. Quare cum uti posita ratione sufficiente ponatur, ita etiam ea cessante cesset, quod propter eam est (§. 118. *loc. cit.*): Quod milites jura & privilegia sua amittant, quamprimum tales esse desinant, apparet.

Obstare nequit, quod veterani, qui tamen milites esse desinunt (§. 460.), servent adhuc jura quædam & privilegia, quæ militibus competunt. Ea vero illis, non qua militibus, sed qua veteranis relinquuntur. His enim etiam privilegia conferri convenit (§. 464.). Patet vero, quod

quod eam privilegia, quæ veteranis conceduntur, juris saltem positivi sint (§. 465.): Eadem ex mero favore concedantur (§. 385.), neque rationem in militia, utpote qua soluti sunt, habeant (§. 383.).

§. 531.

Quare cum militia solvantur, atque adeo milites esse desinant, qui quovis modo dimittuntur (§. 297.): *Milites quocunque modo dimissi jura & privilegia militibus competentia amittunt.* *Si dimittantur.*

Dubium, quod circa veteranos oriri posset, remotum jam fuit ad §. præced. Et revera etiam jura & privilegia proprie militaria amittunt. Ea vero, quæ ipsis relinquuntur, ex mero favore conceduntur, & qua veteranis, non qua militibus competunt. Uti ibidem monuimus.

§. 532.

Porro cum ii, qui militiam deserunt, eandem debito modo non præstent; Adeoque obligationibus suis minime satisfaciant (§. 131.); Jura vero & privilegia propter obligationes militibus competant (§. 318. 371.); Adeoque illa minime competere possint iis, qui his non satisfaciunt: *Milites, qui militiam deserunt, jura & privilegia militibus competentia amittunt.* *Si militiam deserant.*

Per notionem confusam hic præsupponitur, quid sit militiam deserere: Cum hujus loci nondum sit, distinctam reddendi. Quod si vero eam in sequentibus explicaverimus; Plenius etiam patebit, desertione utique finiri jura & privilegia militum. Non quidem desertor miles esse desinit, seu a nexu militiæ propterea solvitur, quod ipse semet ab eo solvere velit. Neque etiam ideo inde demonstrationem petii, quod miles esse desinat: Actu licet miles non sit. Si vero revertatur aut capiatur, utique obligabitur ad militiam, quam deseruit, reassumendam, si auctor belli ipsum recipere, neque potius pœnæ promeritæ dare malit. Utique autem is indignus est, ut juribus & privilegiis militiæ fruatur, qui ejus obligationibus non satisfacere, sed potius ab ea solvere se crimine licet studet.

§. 533.

Morte militum civili amittuntur jura & privilegia eorum. *Morte civili.*

Cum enim mortem civilem capitis deminutionem sive potius status mutationem, stilo juridico dici, supra jam evicerimus (*dem* §. 312.): Milites eandem pati facile intelligitur, qui statum suum mutant vel amittunt. Cum itaque status militum, qua talium, militia dicatur (§. 83.): Mortem civilem subeunt, qui militia solvuntur, sive, qui milites esse desinunt. Quare cum milites jura sua & privilegia amittant, quamprimum milites esse desinunt (§. 530.): Morte eorum civili eadem amitti, statim apparet.

Cur

Cur locutione hac mere civili uti libuerit, monuimus jam ad §. 312. citat.

§. 534.

Personalia sunt.

Jura & privilegia militum personalia sunt.

Jura enim & privilegia militum saltem, qua talibus, competunt (§. 319. 373.); Adeoque cessant, si milites tales esse desinant (§. 530.). Cum itaque milites eadem non servent, si tales esse desinant, multo minus in alium illa transferri posse, facile intelligitur. Jura itaque & privilegia eorum ad personam eorundem restricta sunt, seu subjecto physico inhærent. Quare cum jura, quæ ad personam, cui competunt, ita restringantur, ut ab ea in aliam transferri non possint (§. *539. Part. 3. Jur. nat. W.*), & privilegia, quæ subjecto physico dantur (§. *864. Part. 8. l. c.*), personalia dicantur: Facile etiam patet, quod jura & privilegia militum personalia sint.

Licet enim uxores militum quodammodo participes reddantur jurium & privilegiorum eorundem (§. 452.): Dici tamen nequit, quod in hoc casu proprie a militibus in alium transferantur: Cum maritus & conjux ita arctissime uniantur, ut instar unius personæ spectari debeant (§. 469. *loc. cit.*).

§. 535.

Morte naturali exspirant.

Jura & privilegia militum morte eorum naturali exspirant, consequenter in heredes non transeunt.

Jura enim & privilegia militum personalia sunt (§. 534.); Morte vero naturali personam exstingui per se constat. Quare cum tam jura personalia cum persona extinguantur (§. *542. Part. 3. Jur. nat. W.*), quam privilegia personalia mortuo privilegiato exspirent (§. *865. Part. 8. loc. c.*); Atque adeo utraque ad heredes non transeant (*ibid. & § 965. Part. 7. loc. cit.*): Patet, quod jura & privilegia militum morte eorum civili exspirent, neque adeo ad heredes illorum transmittantur.

Et ita absolvimus ea, quæ de juribus militum, qua talium, dicenda nobis obvenere, si quidem privilegium fori excipias. Cum vero hoc processum etiam militarem a communi, quoad formam saltem, admodum diversum involvat, adeoque majoris ambitus sit, qui peculiari tractatione dignus videatur: Eandem capiti hujus speciminis ultimo reservamus. Quod & ideo necessarium fuit, quoniam processus militaris criminalem simul comprehendit. Doctrinam itaque de delictis militum & illorum pœnis præmittere ipsa methodus requirit. Ad quam adeo nos statim sequenti capite convertimus.

FINIS CAPITIS TERTII.

JURIS

JURIS MILITUM
NATURALIS
CAPUT IV.
DE DELICTIS MILITUM.

§. 536.

Si milites ea non faciunt, ad quæ facienda obligantur; Vel faciunt ea, ad quæ non facienda, sive omittenda, obligantur: Iidem obligationibus suis adversantur, sive iisdem contraria agunt. *Quando-nam milites obligationibus suis adver-sentur,*

Si enim milites ea non faciant, ad quæ facienda obligantur: Tunc idem non est, ac si eadem facerent. Et si faciant ea, ad quæ non facienda sive omittenda obligantur: Itidem non est idem, ac si eadem omitterent. Unum itaque horum pro altero substitui nequit (*§. 183. Ontol. WOLF.*). Quare cum ea, quorum unum pro altero substitui aut sumi nequit, contraria dicantur (*ibid.*): Milites, qui ea faciunt, aut non faciunt, ad quæ omittenda vel facienda obligantur, contraria agunt eorum, ad quæ obligantur. Patet itaque, quod in utroque casu milites obligationibus suis adversentur, sive iisdem contraria agant.

§. 537.

Milites, qui obligationibus suis adversantur, sive iisdem contraria agunt, a rectitudine actionum suarum deficiunt. *& a recti-tudine a-ctionum de-ficiant.*

Cum enim obligationes militum ad actiones eorum referendæ sint (*dem. §. 84.*); Omnes vero actiones lege aliqua determinentur (*dem. §. 85*); Et milites præsertim actiones suas, qua tales, juxta leges militares determinare obligentur (§. 135.): Obligationes eorum legi quoque subsunt, seu actiones eorum, ad quas obligantur, lege aliqua determinari debent. Quodsi vero obligationibus suis contraria agant: Facile patet, quod actiones suas legi non convenienter, sed contrario potius modo determinent. Cum autem lex regula sit (*§. 131. P. 1. Phil. pract. univ. W.*) (Determinatio vero regulæ contraria in genere defectus dicatur (§. 477. *Ontol. W.*): Milites etiam, qui obligationibus suis contraria agunt, defectum committunt. Cum vero actio hic non determinetur,

prout determinari deberet (*per dem.*): Defectum hunc esse a rectitudine actionum, intelligitur (§. *81. P. 1. loc. cit.*). Et hinc patet, quod milites, qui obligationibus suis adversantur, sive iisdem contraria agunt, a rectitudine actionum suarum deficiant.

§. 538.

Quotuplici modo. Quare cum defectus a rectitudine actionum vel ex parte intellectus, vel voluntatis ac noluntatis, vel facultatis denique locomotivæ esse possit (§. *81. cit.*): *Milites etiam, qui obligationibus suis contraria agunt, a rectitudine actionum suarum vel quoad intellectum, vel quoad voluntatem ac noluntatem, vel quoad facultatem denique locomotivam deficiunt.*

§. 539.

Dolo vel culpa. *Si itaque milites obligationibus suis non satisfaciant, sed iisdem potius adversentur, aut eorum contraria agant: Illud fieri potest vel dolo, vel culpa.*

Si enim milites obligationibus suis contraria agunt, a rectitudine actionum suarum deficiunt (§. 537.), & quidem vel quoad intellectum, vel quoad voluntatem & noluntatem, vel denique quoad facultatem locomotivam (§. 538.). Cum vero penes aliquem stare possit, ut a rectitudine actionis deficiat, vel non deficiat (§. *691. loc. cit.*), adeoque defectus vel vincibilis, vel invincibilis esse possit (§. *692. ibid.*); Defectus vero actionis a rectitudine quoad voluntatem & noluntatem, dolus (§. *701. ibid.*); Quoad intellectum vero, si vincibilis sit, culpa vocetur (§. *717. ibid.*): Patet, quod milites, qui obligationibus suis contraria agunt, illud dolo vel culpa facere possint.

Deficere equidem etiam possunt a rectitudine actionum quoad facultatem locomotivam. Quoniam vero hæc, quatenus motus liberos comprehendit, a voluntate vel noluntate dependet (§. 68. 69. *loc. cit.*); Hic vero non nisi actiones liberas supponi, ex sequentibus patebit: Defectus actionis a rectitudine quoad illam sub dolo etiam contineri poterit.

§. 540.

Quando delinquant. *Si milites obligationibus suis dolo vel culpa contraria agunt, delinquunt.*

Si enim milites obligationibus suis dolo vel culpa contraria agant, eosdem actiones dolosas vel culposas obligationibus suis contrarias committere, per se patet. Quare cum actio dolosa vel culposa obligationi alicujus, sive qua quis tenetur aliquid faciendi vel non faciendi contraria

ria

ria, delictum dicatur (*per defin.*): Facile apparet, quod milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delicta committant, sive delinquant.

Lubuit quidem Viro perillustri, L. B. *de* WOLF, maleficium, tanquam genus delictorum, definire per factum dolosum vel culposum, quo alteri damnum datur, vel injuria infertur (§. 580. *Part.* 8. *Jur. nat.*), & in specie maleficium, quo privato damnum vel injuria infertur, delictum; maleficium vero, quo reipublicæ damnum vel injuria infertur. crimen; Sive illud delictum privatum, hoc publicum appellare (§. 581. *ib.*). Cum vero damnum alteri non detur, vel injuria non inferatur, nisi ipsi ad quid obliger; Quod per definitionem damni & injuriæ statim patet (§. 859. *Part. 1. loc. cit.*); Apparet delictum ex eo potissimum oriri, quod quis obligationi suæ adversetur. Et per modum corollarii inde fluit, quod per delictum, in alterum scilicet commissum, damnum ipsi detur, vel injuria inferatur. Magis itaque e re esse visum fuit, definitionem delictorum genesi ipsorum magis appropinquare, præsertim cum tali modo formata aptior videatur ad deducenda delicta militaria. Sub hac etiam delicta erga se invicem commodius forsan comprehendere licebit.

§. 541.

Quare cum milites obligationibus suis aut dolo, aut culpa, contraria agere (§. 539.), adeoque etiam dolo vel culpa delinquere possint (§. 540.); Delictum vero dolo commissum, verum, & culpa patratum, quasi delictum appellari soleat (*per def.* & §. 580. *antea cit.*): *Milites etiam vera vel quasi delicta committere possunt.* *Voce vel quasi delinquere possunt.*

Vera tamen solum plerumque delicta intelligi solent, si vocabulo absque addito utaris. Quod ex materia substrata erit dijudicandum.

§. 542.

Si milites obligationi cuidam militari adversentur, qua tales delinquunt. *Qua tales.*

Obligatio enim militaris vocatur, quæ militi, qua tali, incumbit (§. 120.). Si itaque milites obligationi cuidam militari adversentur, qua tales hoc faciunt. Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Patet, quod si milites obligationi cuidam militari contraria agant, qua tales delinquant.

§. 543.

Delictum a milite, qua tali, commissum, *Delictum militare* vocatur. Quod adeo definiri potest per actionem obligationi cuidam militari contrariam dolo vel culpa admissam. *Delicti militaris definitio.*

Consentit cum hac definitione illa, quam ipsum jus civile tradit, dum pronunciat: Proprium militare est delictum, quod quis uti miles admittit (*l.* 2. *pr. ff. de Re milit.*).

§. 544.

Vel verum, vel quasi delictum est.

Cum itaque delicta, quæ milites admittunt, vera vel quasi delicta esse possint (§. 541.). Delicta vero, quæ a milite, qua tali, committuntur, militaria dicuntur (§. 543.): *Delicta militaria vera vel quasi delicta esse possunt.*

Si itaque de delictis militaribus simpliciter loquamur, utrumque intelligetur, nisi materia substrata indigitet, ut non nisi vera supponantur.

§. 545.

Actiones liberæ & imputabiles sunt.

Delicta militaria, quemadmodum delicta in genere, actiones liberæ & imputabiles esse debent.

Delicta enim militaria, quemadmodum in genere, vera vel quasi delicta sunt (§. 544.); Adeoque vel dolo vel culpa committuntur (*dem.* §. 541.). Dolus vero in defectu actionis a rectitudine quoad voluntatem ac noluntatem consistit (*loc.* §. 539. *cit.*). Quare cum voluntas attributum animæ (§. 880. *Psych emp. WOLF.*); Hæc vero in volendo & nolendo libera sit (§. 942. *ibid.*): Dolus, adeoque & actiones, quæ dolo committuntur, a libertate animæ pendent. Cum itaque actiones, quæ pendent a libertate animæ, liberæ sint (§. 12. *Part.* 1. *Phil. pract. univ. WOLF.*); Delicta vero militaria vera actiones sint, quæ dolo committuntur (§. 543. 544.): Patet, quod delicta militaria vera esse debeant actiones liberæ. *Q. e.* 1.

Cum vero quasi delictum culpa committatur (§. 541.); Et hæc in defectu actionis a rectitudine quoad intellectum consistat (*loc.* §. 539. *cit.*); Intellectus vero per se liber non sit, nisi ex decreto animæ agat (§. 32. *Psych. emp. WOLF.*): Videri etiam posset, ac si quasi delicta in genere, & in specie militaria, actiones liberæ non sint. Quoniam tamen defectus, in quo culpa consistit, vincibilis supponitur (*per sup.*); Adeoque evitari potuisset, modo eundem committens voluisset (§. [illegible]. *P.* 1. *Phil. pract. univ. WOLF.*): Utique culpa, quemadmodum ignorantia vincibilis (§. 29. *ibid.*), accensenda erit actionibus liberis. Quare cum quasi delicta culpa admittantur (*per sup.*): Eadem etiam in genere & in specie militaria, actiones liberæ esse debent. *Q. e.* 2.

Actiones autem liberæ etiam imputari possunt, sive imputabiles sunt (§. 528. *loc. cit.*). Quare cum delicta tam vera, quam quasi delicta, in genere & militaria in specie actiones liberæ sint (*per dem.*): Patet, quod eadem etiam esse debeant actiones imputabiles. *Q. e.* 3.

§. 546.

§. 546.

Si milites necessitate quadam externa vel physica impediantur, quo minus obligationibus suis satisfaciant, sed impellantur potius ad iisdem contraria agenda, non delinquunt. *Quando milites non delinquant.*

Cum necessarium dicatur, cujus contrarium impossibile est (§. *279. Ontol. W.*): Physice necessarium est, cujus contrarium physice impossibile est. Quoniam itaque physice impossibile dicitur, quod potentiæ agentis, vel viribus ejus repugnat (§. *952. Part. 1. Theol. nat. W.*): Si necessitate physica quis impediatur aliquid faciendi, vel impellatur ad quid faciendum, impossibile est, ut id faciat, vel non faciat, sive aliter agat; Neque adeo illud a libertate animæ pendet (§. *941. Psych. emp.*). Actiones vero, quæ a libertate animæ non pendent, liberæ non sunt (§. *12. P. 1. Phil. pr. univ. W.*). Milites itaque etiam, qui necessitate aliqua externa sive physica impediuntur obligationibus suis satisfaciendi, sed impelluntur potius ad iisdem contraria agenda, libere non agunt. Quare cum ad delicta actiones liberæ requirantur (§. 545.): Patet, quod milites in eo casu non delinquant.

Demonstrari etiam posset ex eo, quod in casu dato neque dolus, neque culpa, adsit. Alterutrum vero ad delictum requiratur (*def.* §. 540.).

§. 547.

Delicta militaria publica sunt, sive crimina. *Delicta militaria publica sunt.*

Delicta enim militaria actiones sunt obligationi cuidam militari contrariæ (§. 543.). Quare cum obligationes militares sint erga rempublicam (§. 132.): Facile apparet, quod delicta militaria committantur contra rempublicam. Cum vero ex obligatione jus oriatur (§. *23. P. 1. Jur. nat. W.*): Ex obligationibus militaribus etiam jus esse debet reipublicæ, ne iis contra agatur. Quare, cum si quid fiat contra jus tertii, huic injuria inferatur (§. *859. loc. cit.*): Per delicta militaria reipublicæ injuria infertur. Delictum autem, quo reipublicæ damnum datur, vel injuria infertur, publicum, seu crimen dicitur (§. *581. Part. 8. loc. cit.*): Patet itaque, quod delicta militaria publica sint, sive crimina.

§. 548.

Delicta militaria inter graviora referenda sunt. *Inter graviora referenda.*

Delicta enim militaria publica sunt (§. 547.); Adeoque iisdem damnum infertur reipublicæ (§. *581. cit.*). Uti vero bonum publicum majus habendum est bono privato (§. *25. loc. cit.*): Ita sine dubio damnum etiam, quod reipublicæ datur, majus est damno, quod privato

 infer-

infertur. Quamobrem cum gravitas delicti ex majori nocumento, quod illud affert, sive periculo, quod inde imminet, æstimanda sit (§. 625. *l. c.*): Patet, quod delicta militaria inter graviora referenda sint.

§. 549.

Milites alia etiam delicta committunt.

Milites alia etiam, quam militaria delicta committere possunt.

Militibus enim etiam, qua hominibus (§. 121.), & civibus obligationes incumbunt (§. 124.), quæ militares non sunt (§. 123. 125.). Milites itaque aliis quoque obligationibus, quam militaribus, tenentur. Illis vero etiam contraria agi posse, per se patet. Quare cum actio obligationi, qua quis tenetur, contraria, dolo scilicet vel culpa admissa, delictum sit (*per def.* §. 540.); Actio vero obligationi in specie militari contraria delicti militaris nomine veniat (§. 543.): Facile patet, quod milites alia etiam, quam militaria delicta committere possint.

Ipso jure civili hoc agnoscitur, dum pronunciat: Militum delicta sive admissa, aut propria sunt, aut cum ceteris communia (*l. 2. princ. ff. de Re milit.*).

§. 550.

Quæ ad communia referenda.

Delicta, quæ a militibus præter militaria committuntur, ad delicta communia referenda sunt.

Delicta enim, quæ contra leges sive obligationes naturales aut civiles committuntur, in oppositione delictorum militarium, communia dici solent (*per def. & hyp.*). Quare cum milites & qua homines aut cives, adeoque alia etiam delicta committere possint, quam militaria (*dem.* §. 549.): Patet, quod hæc ad delicta communia referenda sint.

§. 551.

Et publica vel privata sunt.

Delicta, quæ milites præter militaria committunt, sive communia (§. 550.), vel privata vel publica esse possunt.

Naturales enim obligationes sunt tam erga se ipsum, quam erga alios; Civiles vero maxime erga rempublicam & concives (*per not.*). Delicta vero, quæ milites præter militaria committunt, sive communia, obligationibus naturalibus aut civilibus repugnant (*dem.* §. 550.); Adeoque iisdem vel aliis hominibus in specie sive toti reipublicæ damnum datur, aut injuria infertur. Quare cum delictum, quo privato damnum datur, vel injuria infertur, privatum; Quo vero reipublicæ, publicum sive crimen appellari soleat (§. 581. *Part. 8. Jur. nat. IV.*): Apparet, quod delicta, quæ milites præter militaria committunt, sive communia, vel privata vel publica esse possint.

§. 552.

§. 552.

Intereſt reipublicæ, ne milites delinquant.

Reipublicæ intereſt, ne milites delinquant.

Hoc non unico modo poterit oſtendi. Cum delictum actio obligationi cujusdam contraria ſit (*per def.* §. *540.*): Milites, qui delinquunt, obligationibus ſuis adverſantur. Qui vero obligationibus ſuis adverſatur, cum iisdem non ſatisfacere, per ſe intelligitur. Milites itaque, qui delinquunt, obligationibus ſuis non ſatisfaciunt. Quare cum reipublicæ interſit, ut milites ſatisfaciant obligationibus ſuis (§. 140.): Statim apparet, quod ejusdem etiam debeat intereſſe ne delinquant.

Aliter.

Delicta militaria publica ſunt (§. 547.), & reliqua delicta, quæ milites præter illa committunt, publica ſaltem eſſe poſſunt (§. 551.). Cum itaque per delicta publica reipublicæ damnum detur, vel injuria inferatur (§. *581. P. 8. Jur. nat. W.*): Si milites delinquant, ſive qua tales, ſive qua homines aut cives, eo reipublicæ damnum dari aut injuriam actu inferri, vel ſaltem inferri poſſe, facile apparet. Et licet etiam delicta tantum privata ſupponantur (*per hyp.*), quæ in privatos ſaltem committuntur (*loc. cit.*); Cum milites civitatem ſupponant (§. 13.); Adeoque hic membra civitatis ſupponere liceat, quibus damnum detur, aut injuria inferatur; Mediate ſaltem hanc vel illud tangere etiam rempublicam; Atque adeo quæcunque delicta milites committant, damnum vel injuriam inde reſultare in rempublicam dici poterit. Intereſſe vero cujusvis, ne damnum ipſi detur, vel injuria inferatur, per ſe intelligitur. Intereſſe itaque etiam debet reipublicæ, ne milites delinquant.

Alio vero adhuc modo illud demonſtrari poteſt, qui magis forſan ad hominem erit, quod dici ſolet, ſeu majorem evidentiæ ſenſum præbebit, cum anteriores abſtracti magis videri poſſent. Multitudo nimirum militum exercitum conſtituit (§. 190.). Quo plures itaque ſunt milites: Eo major eſt exercitus. Et cum per milites vis inferatur (§. 15.): Quo major eſt exercitus, eo major etiam vis inferri poterit. Vis illa vero, quæ bello infertur, ad jus ſuum perſequendum ab altero tendit, qui idem denegat, vel violat (§. 1.): Quo major itaque vis infertur hoſti; Eo facilius ab eo obtineri poteſt, quod bello intenditur, ut nempe jus noſtrum tribuat. Cujusvis vero intereſſe, ut ipſi tribuatur jus ſuum, per ſe patet. Quodſi vero numerus militum, adeoque & exercitus minuatur, eo difficilior evadet conſecutio juris ſui. Intereſſe itaque etiam debet, ne numerus militum minuatur, & quidem reipublicæ, utpote cujus

cujus jus bello publico, quale supponitur, persequendum est (§. 7.). Quoniam autem delictis, præsertim militaribus, graviores poenæ irrogari soleant, quæ vitam sæpius, aut corpus saltem ita petant, ut milites, qui iisdem afficiuntur, militiæ subducantur (*per hyp. & exper.*): Per delicta militum numerum eorundem minui facile apparet. Quare cum reipublicæ intersit, ne hoc fiat (*per dem.*): Interesse etiam debet, ne milites delinquant.

Cum quisque facile forsan concedat, & demonstrari poterit, interesse etiam reipublicæ, ne in genere cives delinquant: Vel ex eo etiam illud de militibus ostendi potuerit, quod cives sint (§. 77.). Præstare tamen visum fuit, illud in specie de militibus, qua talibus, demonstrare, ut appareat, majus adhuc interesse reipublicæ in eo versari. Opus vero fuit hoc principio ad alia, & præsertim graviorum pœnarum militibus delinquentibus statuendarum æquitatem inde demonstranda.

§. 553.

Delicta communia specialiter prohibenda.

Delicta etiam communia militibus specialiter prohiberi legibus militaribus, convenit.

Cum enim intersit reipublicæ, ne milites delinquant (§. 552.); Milites vero etiam delicta communia committere possint (§. 550.): Ut nec hæc committant, interest illius. Quare cum poenæ sint motiva actionum, adeoque & delictorum (*def.* §. *540*), omittendorum (§. *282. P. I. Phil. pract. univ. IV.*): Convenit, ut militum animo obversetur, adeoque sæpius inculcetur, delicta etiam communia, præsertim etiam in militibus, gravissimis poenis plecti. Legibus itaque etiam militaribus in casum transgressionis poenas adjici expedit (§. 142.) Et cum leges istæ militibus non publicentur modo (§. 143.), sed sæpius prælegi debeant (§. 145.): Patet, quod conveniat, delicta quoque communia militibus legibus militaribus specialiter prohiberi.

Id quod praxi etiam conveniens deprehenditur. Articulis enim militaribus in universum forsan omnibus delicta etiam communia continentur. Necessitatis vero hoc etiam propterea est, quoniam in delicta communia, si a militibus perpetrentur, graviores pœnæ statui soleant, uti fieri debere suo loco demonstrabitur. Necesse itaque etiam est, ut milites hoc sciant, adeoque ab eorum commissione eo magis deterreantur.

§. 554.

Eo non fiunt militaria.

Si delictum commune in legibus militaribus militi probibeatur specialiter: Eo non fit militare.

Delictum enim commune dicitur, quod obligationibus naturalibus aut civilibus repugnat (*def.* §. *550.*). Qnare cum milites iisdem obligationi-

tionibus teneantur (§. 121. 124.); Eædem tamen militares non sint (§. 123. 125.): Facile apparet, quod milites ad delicta communia non committenda obligentur extra respectum, quod sint milites. Quodsi itaque delictum commune legibus etiam militaribus militibus speciatim prohibeatur, uti fieri convenit (§. 553.): Nova iisdem obligatio non inducitur, sed ea saltem, quæ ipsis qua hominibus aut civibus saltem incumbit, firmatur & inculcatur. Licet itaque legibus militaribus propriæ actiones militum, qua talium, determinentur (§. 87.): Dici tamen nequit, quod propterea delictum commune a milite, qua tali, committatur. Quare cum delictum demum, quod a milite, qua tali, committitur, militare sit (§. 543.): Patet etiam, quod delictum commune eo non fiat militare.

§. 555.

Perfectio militis, qua talis, moralis nempe, in eo consistit, ut omnibus suis obligationibus satisfaciat, sive, quod perinde est, ut officiis suis bene fungatur. *Perfectio militis in quo consistat.*

Cum enim perfectio in genere sit consensus in varietate (§. 503. *Ontol. WOLF.*), & in specie perfectio moralis consistat in consensu actionum liberarum (§. 9. *Part. 2. Phil. pract. univ.*): Perfectio moralis militis, qua talis, sine dubio consistet in consensu actionum illarum, ad quas qua miles obligatur. Quoniam autem consensus est tendentia ad idem aliquod obtinendum (§. 503. *cit.*): Actiones militis, qua talis, consentient, si tendant ad eundem finem, propter quem milites constituuntur. Milites belli causa constitui constat (§. 14.). Consentient itaque actiones eorum, qua talium, si ea faciant, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt, sive belli causa fieri debent. Ad hæc vero facienda obligantur (§. 157.); Et hæc quidem obligatio ejus ambitus est, ut reliquas omnes sub se comprehendat (*schol. ad eund.*). Si itaque omnibus suis obligationibus satisfaciant: Actiones eorum qua talium consentient. Quare cum in hoc consensu perfectio eorum ponenda sit (*per dem.*): Patet, quod perfectio militis, qua talis, moralis nempe, in eo consistat, ut omnibus suis obligationibus satisfaciat. *Q. e. 1.*

Et cum actiones militum juxta leges militares determinentur (§. 87.); Eatenus vero, quatenus ad eas ita determinandas obligentur milites, officia militaria dicantur (§. 139.): Facile intelligitur, quod obligationibus suis satisfaciant, si officiis suis recte fungantur, & quod adeo dici possit, perfectionem militum in eo consistere. *Q. e. 2.*

Dari etiam perfectionem militum physicam, facile apparet. Cum enim per milites vis inferri debeat (§. 15.); Vim vero corpore, licet

cujus jus bello publico, quale supponitur, persequendum est (§. 7.). Quoniam autem delictis, præsertim militaribus, graviores poenæ irrogari soleant, quæ vitam sæpius, aut corpus saltem ita petant, ut milites, qui iisdem afficiuntur, militiæ subducantur (*per hyp. & exper.*): Per delicta militum numerum eorundem minui facile apparet. Quare cum reipublicæ intersit, ne hoc fiat (*per dem.*): Interesse etiam debet, ne milites delinquant.

Cum quisque facile forsan concedat, & demonstrari poterit, interesse etiam reipublicæ, ne in genere cives delinquant: Vel ex eo etiam illud de militibus ostendi potuerit, quod cives sint (§. 77.). Præstare tamen visum fuit, illud in specie de militibus, qua talibus, demonstrare, ut appareat, majus adhuc interesse reipublicæ in eo versari. Opus vero fuit hoc principio ad alia, & præsertim graviorum pœnarum militibus delinquentibus statuendarum æquitatem inde demonstrandi.

§. 553.

Delicta communia specialiter prohibenda.

Delicta etiam communia militibus specialiter prohiberi legibus militaribus, convenit.

Cum enim intersit reipublicæ, ne milites delinquant (§. 552.); Milites vero etiam delicta communia committere possint (§. 550.): Ut nec hæc committant, interest illius. Quare cum poenæ sint motiva actionum, adeoque & delictorum (*def.* §. *540*), omittendorum (§. *282. P. 1. Phil. pract. univ. W.*): Convenit, ut militum animo obversetur, adeoque sæpius inculcetur, delicta etiam communia, præsertim etiam in militibus, gravissimis poenis plecti. Legibus itaque etiam militaribus in casum transgressionis poenas adjici expedit (§. 142.) Et cum leges istæ militibus non publicentur modo (§. 143.), sed sæpius prælegi debeant (§. 145.): Patet, quod conveniat, delicta quoque communia militibus legibus militaribus specialiter prohiberi.

Id quod praxi etiam conveniens deprehenditur. Articulis enim militaribus in universum forsan omnibus delicta etiam communia continentur. Necessitatis vero hoc etiam propterea est, quoniam in delicta communia, si a militibus perpetrentur, graviores pœnæ statui soleant, uti fieri debere suo loco demonstrabitur. Necesse itaque etiam est, ut milites hoc sciant, adeoque ab eorum commissione eo magis deterreantur.

§. 554.

Eo non fiunt militaria.

Si delictum commune in legibus militaribus militi prohibeatur specialiter: Eo non fit militare.

Delictum enim commune dicitur, quod obligationibus naturalibus aut civilibus repugnat (*def.* §. *550.*). Quare cum milites iisdem obligationi-

tionibus teneantur (§. 121. 124.); Eædem tamen militares non ſint (§. 123. 125.): Facile apparet, quod milites ad delicta communia non committenda obligentur extra reſpectum, quod ſint milites. Quodſi itaque delictum commune legibus etiam militaribus militibus ſpeciatim prohibeatur, uti fieri convenit (§. 553.): Nova iisdem obligatio non inducitur, ſed ea ſaltem, quæ ipſis qua hominibus aut civibus ſaltem incumbit, firmatur & inculcatur. Licet itaque legibus militaribus proprie actiones militum, qua talium, determinentur (§. 87.): Dici tamen nequit, quod propterea delictum commune a milite, qua tali, committatur. Quare cum delictum demum, quod a milite, qua tali, committitur, militare ſit (§. 543.): Patet etiam, quod delictum commune eo non fiat militare.

§. 555.

Perfectio militis, qua talis, moralis nempe, in eo conſiſtit, ut omnibus ſuis obligationibus ſatisfaciat, ſive, quod perinde eſt, ut officiis ſuis bene fungatur. *Perfectio militis in quo conſiſtat.*

Cum enim perfectio in genere ſit conſenſus in varietate (§. *503. Ontol. WOLF.*), & in ſpecie perfectio moralis conſiſtat in conſenſu actionum liberarum (§. *9. Part. 2. Phil. pract. univ.*): Perfectio moralis militis, qua talis, ſine dubio conſiſtet in conſenſu actionum illarum, ad quas qua miles obligatur. Quoniam autem conſenſus eſt tendentia ad idem aliquod obtinendum (§. *503. cit.*): Actiones militis, qua talis, conſentient, ſi tendant ad eundem finem, propter quem milites conſtituuntur. Milites belli cauſa conſtitui conſtat (§. 14.). Conſentient itaque actiones eorum, qua talium, ſi ea faciant, quæ ad bellum gerendum neceſſaria ſunt, ſive belli cauſa fieri debent. Ad hæc vero facienda obligantur (§. 157.); Et hæc quidem obligatio ejus ambitus eſt, ut reliquas omnes ſub ſe comprehendat (*ſchol. ad eund.*). Si itaque omnibus ſuis obligationibus ſatisfaciant: Actiones eorum qua talium conſentient. Quare cum in hoc conſenſu perfectio eorum ponenda ſit (*per dem.*): Patet, quod perfectio militis, qua talis, moralis nempe, in eo conſiſtat, ut omnibus ſuis obligationibus ſatisfaciat. *Q. e. 1.*

Et cum actiones militum juxta leges militares determinentur (§. 87.); Eatenus vero, quatenus ad eas ita determinandas obligentur milites, officia militaria dicantur (§. 139.): Facile intelligitur, quod obligationibus ſuis ſatisfaciant, ſi officiis ſuis recte fungantur, & quod adeo dici poſſit, perfectionem militum in eo conſiſtere. *Q. e. 2.*

Dari etiam perfectionem militum phyſicam, facile apparet. Cum enim per milites vis inferri debeat (§. 15.); Vim vero corpore, licet

non semper immediate, sed mediantibus etiam armis, inferri constet: Opus est, ut corpus militum ad vim inferendam valeat; Ita ut in milite robur corporis requiratur. Cum vero ad vim inferendam etiam arma faciant (§. 231.), adeoque eorum usum callere debeant milites (§. 232.), qui vero in actionibus physicis consistit (*per not.*): Ad perfectionem militum physicam tam robur corporis, quam habitus armis utendi requiritur. Quoniam autem juris militaris objectum proprie non sunt nisi actiones militum morales (§. 89.), quorum consensus perfectionem moralem constituit (*per dem.*): Non etiam nisi de his tractandi locus hic est. Cum vero milites obligentur, usum armorum callere, adeoque habitum iis utendi sibi comparare (§. 232.): Patet, quod & ad perfectionem eorum moralem referendum sit, ut obligationi huic satisfaciant.

§. 556.

Fama militis in quo consistat.

Fama militis, qua talis, in eo consistit, ut alii judicent, ipsum obligationibus suis satisfacere, sive officiis suis recte fungi.

Fama enim dicitur judicium aliorum de alicujus perfectione (§. 553. *P. 1. Jur. nat. W.*): Fama itaque militis, qua talis, consistere debet in judicio aliorum de ejus perfectione. Quare cum perfectio militis, qua talis, moralis nempe, in eo consistat, ut obligationibus suis satisfaciat, sive officiis suis recte fungatur (§. 555.): Patet etiam, quod fama ejusdem in eo consistat, si alii judicium hoc de ipso ferre possint.

Famam bonam hic intelligi, cuivis facile apparebit. Licet enim eadem & mala esse possit. Voce tamen simpliciter posita, non nisi bona intelligi solet, & mala potius infamia dici (§. 862. *loco cit.*).

§. 557.

Quando non subsistat.

Fama itaque militis subsistere nequit, si obligationibus suis non satisfaciat, sed iisdem potius contraria agat.

Si enim milites obligationibus suis non satisfaciant, sed iisdem potius adversentur: Judicare etiam non licet aliis, quod milites obligationibus suis satisfaciant, sive officiis suis recte fungantur. Quod si itaque milites illud non agant: Tollitur ratio judicii hujus. Quemadmodum vero posita ratione sufficienti ponitur; Ita & ea sublata tollitur, quod propter eam est (§. 118 *Ontol.*). Si itaque milites obligationibus suis non satisfaciant: Tollitur etiam judicium illud aliorum. Quare cum in hoc aliorum judicio fama militis consistat (§. 556.): Patet, quod hæc subsistere nequeat, sed tollatur potius, si milites obligationibus suis non satisfaciant, sed iisdem contraria agant.

§. 558.

§. 558.

Fama itaque militis subsistere nequit, sed tollitur potius, si delinquant. *Non si delinquant.*

Cum enim delictum sit actio obligationi cujusdam contraria (*def.* §. 540.): Si milites delinquant, obligationibus suis contraria agunt. Quare cum fama militis subsistere nequeat, sed tollatur potius, si hoc agant (§. 558.): Patet, quod idem etiam fieri debeat, si delinquant.

§. 559.

Imperfectio militis, qua talis, moralis nempe, in eo consistit, sive enascitur, si obligationibus suis non satisfaciat, sive officiis suis recte non fungatur, sed iisdem potius contraria agat. *Imperfectio militis in quonam consistat.*

Perfectio enim ejusdem in eo consistit, ut obligationibus suis satisfaciat, sive officiis suis recte fungatur (§. 555.). Si itaque hoc non agat, perfectioni suæ contrarium agit. Quare cum contrarium perfectionis sit imperfectio (*per not.*): Patet etiam statim, quod imperfectio militis inde enascatur, si obligationibus suis non satisfaciat, sive officiis suis recte non fungatur.

Poterit vero etiam ostendi sequenti modo. Actiones militum tunc demum consentiunt, si obligationibus suis satisfaciant (*per dem.* §. *555.*). Quodsi itaque hoc non agant, sed potius iisdem contraria: Actiones eorum non consentiunt; adeoque ad eundem finem, propter quem milites constituuntur, non tendunt (*ibid.*). Quodsi vero quædam non tendant ad commune aliquod obtinendum, inter se dissentiunt (§. *504. Ontol. IV.*). Patet itaque, quod in eo casu actiones militum inter se dissentiant. Quare cum in hoc dissensu plurium a se invicem differentium in uno imperfectio ponatur (*ibid.*): Intelligitur, quod imperfectio militis in eo ponenda sit, si obligationibus suis non satisfaciat, sed iisdem contraria agat.

§. 560.

Cum itaque milites obligationibus suis contraria agant, si delinquunt (*per dem.* §. *558.*); Imperfectio vero militis in eo consistat, si obligationibus suis non satisfaciant, sed contraria iisdem agant (§. 559.): *Ex delictis militum imperfectio eorum enascitur.* *Ex delictis enascitur.*

§. 561.

Infamia militis, qua talis, in eo consistit, si alii judicent, eundem obligationibus suis non satisfacere, aut officiis suis recte non fungi. *Infamia militis in quonam consistat.*

 Infa-

Infamia enim dicitur judicium aliorum de imperfectione cujusdam (§. 862. P. 1. *Jur. nat. W.*). Infamia itaque militis, qua talis, consistere debet in judicio aliorum de ejusdem imperfectione. Quare cum imperfectio militis, qua talis, ex eo oriatur, si obligationibus suis non satisfaciat, sive officiis suis recte non fungatur, sed iisdem potius contraria agat (§. 559.): Patet, quod infamia ejusdem in eo consistat, si aliis judicium hoc de ipso ferre liceat.

Infamiam facti hic intelligi, per se patet & ex sequentibus clarius apparebit.

§. 562.

Per delicta contrahitur. *Delicta militum, & militaria in specie, naturaliter ipsis infamiam contrahunt.*

Delicta enim, tam in genere (*dem.* §. 540.), quam militaria in specie (§. 543.) actiones sunt, obligationibus contrariæ. Milites itaque, dum delinquunt, obligationibus suis contraria agunt, adeoque iisdem non satisfaciunt. Si vero hoc agunt: Nec alii judicare possunt aliter. Quare cum in hoc judicio aliorum de milite obligationibus suis non satisfaciente, infamia ejusdem consistat (§. 561.): Patet, quod per delicta militum, & militaria in specie, naturaliter infamia contrahatur.

§. 563.

Quæ saltem infamia facti est, *Infamia, quæ per delicta militum naturaliter contrahitur, facti saltem est, quæ dicitur.*

Cum enim delicta maleficia (§. 581. P. 8. *Jur. nat. W.*), adeoque facta sint (§. 580. *ib.*): Si per delicta infamia contrahitur, eadem ipso facto contrahitur. Et cum infamiam hic per delicta contrahi supponatur (*per hyp.*): Rationem ejusdem in solo jure naturæ contineri evidens est. Quare cum infamia, quæ ipso facto contrahitur, sive, si judicium illud, quod infamiam constituit, rationem suam habeat in solo jure naturæ, infamia illa facti dici soleat (*per def. & not.*): Patet, quod infamia illa, quæ per delicta militum naturaliter contrahitur, facti tantum sit.

§. 564.

Et effectus civiles non producit. *Infamia, quæ per delicta militum naturaliter contrahitur, effectus civiles non producit.*

Quod enim effectus civiles a jure civili, adeoque voluntate superioris in civitate pendeant, per se intelligitur. Solo itaque jure civili efficitur, ut quid effectus civiles producat. Quare cum infamia ea, quæ per deli-

delicta militum contrahitur naturaliter, in solo jure naturæ rationem suam habeat (*dem. §. 563.*): Patet etiam, quod eadem effectus civiles producere non possit.

§. 565.

Ut delicta militum infamiam juris, quæ dicitur, contrahant, juris positivi est. *Infamia juris quando contrahatur.*

Infamia juris enim dicitur, quæ rationem suam habet in lege civili, factum aliquod pro infami declarante (*per def.*). Quare cum a lege civili effectus civiles proveniant (*dem. §. 564.*): Quod illa effectus civiles producere debeat, facile intelligitur. Infamia vero, quæ per delicta militum naturaliter contrahitur, effectus civiles non producit (§. *eod.*). Quare cum hi a lege civili, adeoque jure positivo pendeant (*per dem.*): Patet, quod hoc juris positivi sit, si delicta militum infamiam juris contrahant.

Sic plura delicta pro infamibus declarantur jure civili (*l. 1. ff. de His, qui not. inf.*), & in specie miles, qui lege Julia de adulterio fuit damnatus, ita infamis declaratur, ut etiam ipsa sententia eum sacramento ignominiæ causa solvat (*l. 2. §. 3. eod.*). Item milites, qui aliena prædia conducunt, infames constituuntur (*l. fin. Cod. de Locat.*). Patet vero, infamiam juris intelligi, si quædam modo delicta pro infamibus declarantur: Cum naturaliter infamia sint omnia (per dem. §. 562.).

§. 566.

Delicta militum, quæ ex timiditate oriuntur, famæ eorum maxime nocent, & infamiam præcipue contrahunt. *Quænam delicta potissimum infament.*

Fama enim militis in eo continetur, quod obligationibus suis satisfaciat (§. 556.); Uti ex adverso infamia oritur ex eo, si iisdem contraria agat (§. 561.); Adeoque in utroque casu alii ita judicare debeant. Quare cum timiditas obligationibus militum, in specie militaribus, maxime repugnet (§. 242.); Delicta vero militum cum fama eorum subsistere nequeant (§. 558.), sed infamiam potius contrahant (§. 562.): Patet, quod delicta militum, quæ ex timiditate oriuntur, famæ eorum maxime noceant, & infamiam ipsis præcipue contrahant.

§. 567.

Delicta militum & militaria in specie, quemadmodum delicta in genere, non nisi sub certis circumstantiis fiunt. *Fiunt sub circumstantiis.*

Cum mundus sit series entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum inter se connexorum (§. 48. *Cosmol. WOLF.*); Omnia vero, quæ sunt vel fiunt, in hoc mundo esse vel fieri, facile intelligatur:

 Nihil

Nihil est, aut fieri potest, absque quod etiam sint vel fiant alia extra illud, cum eo tamen connexa. Quare cum ea, quæ cum re simul fiunt extra eandem, cum ea tamen connectuntur, circumstantiæ ejusdem dicantur (*per def.*): Omnia, quæ sunt, vel fiunt, adeoque & actiones, esse vel fieri sub certis circumstantiis apparet. Quare cum delicta tum in genere, tum militum & militaria in specie, actiones sint (*def. §. 540.*): Patet, quod & eadem non nisi sub certis circumstantiis fiant.

Cum circumstantiæ dicantur ea, quæ cum re simul fiunt, & connectantur (*per dem.*); Tempus vero sit ordo successivorum (§. 572. *Ontol. W.*); Spatium ordo coexistentium (§. 589. *loco cit.*), & locus in specie determinatus modus, quo unum cum aliis simul coexistit (§. 602. *ibid.*): Facile apparet tempus & locum circumstantias delictorum esse, quarum tamen plures adhuc inveniuntur.

§. 568.

Quæ delictum gravius vel levius reddunt.

Si propter circumstantias, sub quibus delictum committitur, majus aut minus nocumentum infertur, vel majus aut minus periculum imminet, quam absque iisdem vel positis aliis, delictum iis gravius vel levius redditur.

Gravitas enim delicti ex nocumento, quod eo infertur, & periculo, quod inde imminet, æstimanda est (*§. 625. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum hic supponatur, circumstantias, sub quibus committitur delictum, nocumentum vel periculum inde emergens majus vel minus reddere, quam absque iisdem, vel positis aliis, foret (*per hypoth.*): Patet, quod & illæ in casu dato delictum gravius vel levius reddant.

Sic v. gr. circumstantiæ loci & temporis delicti gravitatem augent vel minuunt: Delictum enim in aula principis commissum pro graviori habetur, quam si alibi perpetretur. Et furtum nocturnum periculosius, adeoque gravius, reputatur diurno.

§. 569.

Aggravantia & mitigantia dantur.

Quare cum circumstantiæ, quæ faciunt, ut delictum gravius reddatur, aggravantia; Quæ vero faciunt, ut levius evadat, mitigantia ejusdem dicantur (*per def.*); Delicta vero sub ejusmodi circumstantiis committi possint (§. 568.): *Dantur* etiam *delictorum militum & militarium in specie aggravantia & mitigantia.* Quæ adeo definiri possunt circumstantiæ, quæ faciunt, ut delictum militum, & militare in specie, gravius vel levius reddatur.

§. 570.

Miles, qui negligens est in præstatione officiorum suorum, delinquit. *Negligentia delictum est.*

Milites enim ad diligentiam in præstatione officiorum suorum adhibendam obligantur (§. 168.). Quare cum diligentia consistat in commissione eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 751. *Part. 1. Phil. pract. univ. W.*); Negligentia vero in omissione eorundem (§. 750. *ibid.*); Adeoque hæc illi opponatur (§. 751. *cit.*) & per omissionem diligentiæ definiri possit (§. 757. *loc. cit.*): Milites, qui negligentes sunt in præstatione officiorum suorum, diligentiam in eadem non adhibent; Atque adeo obligationi suæ non satisfaciunt, sed eidem potius contrarium agunt. Cum itaque milites, qui obligationibus suis, dolo scilicet vel culpa, contraria agunt, delinquant (§. 540.); Negligentia vero, cum non-usui facultatum cognoscendi debeatur (§. 751. *cit.*); Adeoque vincibilis sit (§. 692. *loc. cit.*) & a rectitudine actionis quoad intellectum deficiat (§. 81. *ibid.*), culpa committatur (§. 717. *ibid.*): Patet, quod miles, qui negligens est in præstatione officiorum suorum, delinquat.

§. 571.

Milites itaque *etiam culpa delinquere possunt.* *Culpa delinqui potest.*

Negligentia enim consistit in omissione eorum, quæ certo fine fieri debent, non-usui facultatum cognoscendi debita (§. 750. *loc. cit.*). Cum itaque in negligentia quoddam non fiat, quod fieri deberet; Idem vero libere fieri supponatur: Si negligentia committitur, in actione libera quid desideratur, & quidem cum id a facultate cognoscendi proveniat (*per alleg.*), ex parte intellectus. Si quid vero in actione libera vel ex parte intellectus, vel voluntatis, vel facultatis locomotivæ desideratur; Defectus rectitudinis oritur (§. 81. *ibid.*). Miles itaque, qui negligens est in præstatione officiorum suorum, a rectitudine actionis quoad intellectum deficit. Cum vero negligentia non-usui facultatis cognoscendi debeatur (*per add.*); Adeoque evitari posset, si usus hic adhiberetur: Defectus ille vincibilis est (§. 692. *l. cit*). Quare cum defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis culpa dicatur (§. 717. *ib.*): Miles, qui negligens est in præstatione officiorum suorum, culpam committit. Quoniam itaque miles, qui negligentiam admittit in præstatione officiorum suorum, delinquit (§. 570.): Patet, quod milites etiam culpa delinquere possint.

Quare cum delictum, quod culpa committitur, quasi delictum dicatur (§. 580. 581. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Milites quasi delicta etiam committere posse (§. 541.), & delicta præsertim militaria vera vel quasi delicta esse posse (§. 544.), jam demonstravimus.

§. 572.

§. 572.

Delictum militare quotuplex. *Delictum militare tot modis potest committi, quot sunt obligationes militares.*

Cum enim obligationibus militaribus contrarium agi possit (§. 536.): Illud tot modis fieri posse apparet, quot sunt earundem. Quare cum actio obligationi cuidam militari contraria delictum militare dicatur (§. 543.): Patet, quod hoc tot modis possit committi, quot sunt obligationes militares.

§. 573.

Qui legibus milit. contraria agunt, delinquunt. *Milites, qui faciunt ea, quæ legibus militaribus prohibentur, vel non faciunt, quæ iisdem præcipiuntur, delinquunt.*

Si enim milites faciant, quæ legibus militaribus prohibentur, vel omittant, quæ iisdem præcipiuntur, actiones suas non juxta illas, sed contraria potius ratione determinant (§. 138. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF*). Cum vero milites obligentur actiones suas determinare secundum leges militares (§. 135.): Milites, qui id agunt, obligationi suæ non satisfaciunt, sed eidem potius contrarium agunt. Quare cum milites, qui obligationibus suis non satisfaciunt, sed iisdem potius adversantur, delinquant (§. 540.): Patet etiam eodem delinquere, si faciant ea, quæ legibus militaribus prohibentur, vel omittant, quæ iisdem præcipiuntur.

Cum ad omne delictum dolus vel culpa requiratur (*def.* §. 540.): Facile apparet, quod milites dolo aut culpa facere ea, sive omittere debeant, ut delicti arguantur. Hoc itaque semper supponitur, si factum quoddam delictum esse in sequentibus demonstrabitur, illud dolo vel culpa committi vel omitti.

§. 574.

Item, qui leges milit. non servant, sed transgrediuntur. Cum itaque legem servare dicatur, qui actiones suas juxta eam determinat (§ 138. *loc. cit.*); Transgredi vero, qui easdem contraria ratione determinat, quam juxta illam determinare debebat (§. 139. *ibid.*); Milites autem, qui faciunt ea, quæ legibus militaribus prohibentur, & omittunt, quæ iisdem præcipiuntur, actiones suas non secundum illas, sed contraria potius ratione determinent (*dem.* § 573): Iidem etiam leges militares non servare, sed transgredi potius, apparet. Quare cum milites in eo casu delinquant (§. 573.): *Milites, qui leges militares non servant, sed easdem transgrediuntur, delinquunt.*

§. 575.

§. 575.

Milites, qui invito auctore belli a militia discedunt, delinquunt. *Aut a militia discedunt.*

Cum enim milites in genere ad militiam obligentur (§. 38.); Nec absque permissione auctoris belli ab ea discedere possint (§. 296.): Milites, qui eo invito discedunt, obligationi suæ contrarium agunt. Quare cum milites in hoc casu delinquant (§. 540.): Patet, quod milites, qui invito auctore belli a militia discedunt, delinquant.

Supponit hoc vero, auctorem belli jure invitum esse, sive in discessum dissentire posse. Pro dissentiente enim non habetur, qui non jure dissentit. Quare & milites conductitii, quorum tempus effluxit, recusata licet ipsis dimissione, proprie & naturaliter non delinquere, si discedant, mox demonstrabitur. In eo casu enim pro invito non habetur, cui nullum dissentiendi jus competit.

§. 576.

Milites, qui sponte sua, invito vero auctore belli, a militia discedunt, illam *deserere*, adeoque *Desertores* dicuntur. Et discessus militis a militia sponte sua sed invito auctore belli susceptus, *Desertio* vocatur. *Desertoris & desertionis definitio.*

Cum milites ad militiam, vario licet discrimine, obligentur (§. 38.); Auctor belli vero non in omni casu dissentire possit in discessum a militia (§. 503.): Apparet, quod tam in milite obligatio ad militiam, quam in auctore belli jus dissentiendi supponendum sit, ut desertio veri nominis committatur, quæ nempe pro delicto haberi debeat. Uti in sequentibus pluribus demonstrabitur: MODESTINUS quidem desertorem definit per eum, qui per prolixum tempus vagatus, (reducitur) (*l.* 3. §. 3. *ff. de Re milit.*). Hanc vero minus adæquatam esse, uti facile apparet, monuit JO. KOSTKA (§. 3. *art.* 30. *Observ. milit.*).

§. 577.

Milites, qui militiam deserunt, delinquunt, & quidem, qua tales. *Qui militiam deserunt, delinquunt.*

Milites enim in genere, tam lecti, quam conductitii, ad militiam obligantur (§. 38.); Neque adeo invito auctore belli ab eadem discedere possunt (§. 296.). Cum itaque milites, qui deserunt militiam, invito auctore belli ab ea discedere supponantur (§. 576.): Milites, qui deserunt, obligationi suæ adversantur. Quare cum milites, qui obligationibus suis agunt contraria, delinquant (§. 540.): Milites etiam, qui militiam deserunt, delinquere apparet. Sive brevius. Milites enim, qui militiam deserunt, ab eadem invito auctore belli discedunt (§. 576.). Quare cum milites, qui invito auctore belli a militia discedunt, delinquant (§. 575.): Patet, quod milites, qui militiam deserunt, delinquant. *Q. e. i.*

Et cum militia ſit ſtatus militum, qua talium (§. 83.): Obligationem ad eam militi, qua tali incumbere, facile concedetur. Quare cum obligatio, quæ militi, qua tali, incumbit, militaris dicatur (§. 120.): Obligationem ad militiam militarem eſſe, nullus poterit dubitare. Cum itaque milites, qui deſerunt, obligationi huic adverſentur (*per dem. n. 1.*): Eosdem obligationi militari contrarium agere, elucet. Milites autem, qui obligationi militari adverſantur, delinquunt qua tales (§. 542.): Patet itaque, quod milites, qui militiam deſerunt, in ſpecie qua tales delinquant. *Q. e. 2.*

Dolum ſemper aut culpam ſupponi, ſi milites delinquere dicantur, monuimus jam ad §. 573.

§. 578.

Quid deſertio ſupponat. *Ut deſertio pro delicto haberi poſſit, eadem obligationem ad militiam ſupponit.*

Cum enim delictum ſit actio obligationi cujusdam contraria (*def. §. 540.*): Illud ſemper in delinquente obligationem quandam ſupponere, cui ille adverſatur, palam eſt. Deſertio itaque etiam, ſi pro delicto haberi debeat, ſupponere debet obligationem quandam, cui adverſetur. Quare cum deſertio in diſceſſu a militia conſiſtat (§. 576.); Hic vero obligationi ad eandem contrarius ſit (*per dem. §. 577.*): Patet etiam, quod deſertio obligationem ad militiam ſupponere debeat, ut pro delicto habeatur.

§. 579.

Injuſte coactus deſertionis delictum non committit, *Si itaque miles, qui ad militiam injuſte fuit coactus, ab eadem diſcedat, ſive eam deſerat, naturaliter non delinquit, neque pro deſertore, quoad effectum nempe pœnæ, haberi poteſt, etſi juraverit.*

Miles enim, qui ad militiam injuſte cogitur, ad eandem non ſit obligatus (§. 46.): In milite itaque, ad militiam injuſte coacto, obligatio ad eandem non adeſt. Quare cum deſertio, ut pro delicto habeatur, ſupponat obligationem ad militiam (§. 578.); Deſertio vero in diſceſſu a militia conſiſtat (§. 576.): Si miles, qui injuſte ad militiam fuit coactus ab eadem diſcedat, naturaliter non delinquit. *Q. e. 1.*

Cum vero deſertio proprie non intelligatur abſque delicto (§. 577.); Ea vero pro delicto haberi non poſſit, niſi obligatio ad militiam ponatur (§. 578.): Licet miles injuſte coactus a militia diſcedat (*per hyp.*), adeoque deſertionem committere videatur (§. 576.), proprie tamen pro deſertore haberi nequit. *Q. e. 2.*

Et

Et cum milites injuste ad militiam coacti non obligentur, licet jurent (§. 152.); Propter deficientem obligationem ad militiam autem miles, injuste coactus, si discedat, neque delinquat (*per dem. n. 1.*); Neque pro desertore haberi possit (*per dem. n. 2*): Patet, quod & hoc non possit, etsi juraverit.

Cum hic *injuste* coactus supponatur ad militiam: Nullum ex hac thesi præjudicium metuendum est. Cogi enim etiam jure ad militiam posse subditos (§. 41), & milites ad juramentum (§. 153.), in superioribus jam demonstravimus. Justitiæ autem auctoris belli cujusvis tantum erit tribuendum, ut supponi liceat, ipsum omnem vim injustam a conductione militum abesse velle, & improbare, si quæ forsan ab iis injuste suscipiantur, quibus exercitium juris majestatici milites conducendi commisit. Ne etiam defectus obligationis in injuste coacto ad abusum trahatur: Statim casus quidam adjicientur, quibus ille cesset, sive purgetur, & quibus miles, licet quondam injuste fuerit coactus, delinquat tamen, si deserat.

§. 580.

Quod si tamen miles, ad militiam injuste coactus, postea stare voluerit, & illud verbis aut factis declaraverit, se promissioni illi invalidæ stare velle; Ille, si discedat a militia invito auctore belli, utique delinquit, & pro desertore habendus est. *Nisi postea promissioni stare voluerit,*

Miles enim, licet injuste ad militiam coactus, in casu dato ad eandem fit obligatus (§. 48.). Si itaque ab eadem invito auctore belli discedat, obligationi suæ adversatur. Quare cum miles, qui hoc agit, delinquat (§. 540.), & in specie, si a militia discedat, desertor fiat (§. 576.): Patet, quod in casu dato miles, injuste licet coactus, si a militia discedat, utique delinquat & pro desertore habendus sit.

§. 581.

Similiter, si miles injuste ad militiam coactus, libere eam continuaverit, etsi occasio deserendi non defuerit: Ille, si tandem a militia invito auctore belli discedat, delinquit & pro desertore habendus est. *Aut militiam sponte continuarit,*

In eo enim casu miles, injuste licet coactus, ad militiam fit obligatus (§. 49.). Quare cum plus ad desertionem, ut pro delicto haberi possit, non requiratur (§. 578.): Eodem, quo antea modo (§. 580.) patet, militem etiam in eo casu, si discedat, delinquere & pro desertore recte haberi.

§. 582.

Denique etiam, cum subditus extra casum necessitatis, adeoque injuste, coactus ad militiam, casu tamen necessitatis superveniente, ad mili- *Aut in subito casu*

necessitatis supervenerit. militiam obligetur (§. 50.); Obligatio hæc vero ex desertione delictum efficiat (§. 578.): *Subditus etiam, qui extra casum necessitatis injuste ad militiam coactus fuit, si casus iste supervenerit, delinquit & pro desertore recte habetur, si invito auctore belli a militia discedat.*

Hisce positis limitationibus, uti poni debent (*per dem.*), non facile eveniet casus, quo miles injuste licet ad militiam coactus, absque delicto eam deserere poterit. Fieri enim plerumque solet, ut consensum, quem ab initio recusarunt, postea vel tacite declarent, & militiam libere continuent, quam non nisi coacte susceperunt. Renunciant itaque hoc modo juri, quod ex coactione ipsis competebat, & obligationem sibimet ipsis inducunt, quæ antea non aderat. Eo minus itaque aliquid rei militari præjudicii metuendum erit ex ea, quam duce jure naturali, tueri licet, thesi, quod miles injuste coactus non delinquat, neque pro desertore, quoad effectum scilicet pœnæ habendus sit, si a militia discedat.

§. 583.

Qui non rogata dimissione discedit, delinquit. *Miles, qui a militia non rogata dimissione discedit, delinquit.*

Milites enim in genere ad dimissionem rogandam obligantur, si a militia solvi cupiant (§. 298.). Si itaque absque rogata dimissione discedant, obligationi suæ contrarium agunt. Quare cum miles, qui hoc facit, delinquat (§. 540.): Idem etiam patet de milite, qui non rogata dimissione discedit a militia.

Videri posset, quasi miles, qui absque dimissionis rogatione discedit, non delinquat modo, sed & desertor sit. Et plerumque etiam hoc ita se habet, uti §. seq. statim evincetur. Cum vero detur etiam casus, quo miles id agens delinquat quidem, naturaliter tamen proprie desertionem non committat, uti §. subsequenti demonstrabitur: Ideo desertionem in genere effari non licuit de omni, qui absque dimissione rogata discedit a militia.

§. 584.

In specie miles lectus & conductitius absque tempore. *Miles lectus & conductitius, qui ad certum tempus capitulatus non est, si absque rogata, aut rogata quidem, sed non impetrata dimissione a militia discedat, delinquit & desertor est.*

Milites enim tam lecti (§. 290.), quam conductitii ad certum tempus non capitulati invito auctore belli a militia discedere non possunt (§. 29;.) Quodsi itaque hoc agant: Obligationi suæ adversantur. Quare cum miles, qui obligationi suæ contrarium agit, delinquat (§. 540.), & in specie, qui invito auctore belli a militia discedat, desertor sit (§. 576.): Patet, quod miles lectus & conductitius, qui ad certum tempus capitulatus non est, si non rogata dimissione discedat a militia, non delinquat modo, sed & desertor sit. *Q. e. d.*

Licet

Licet vero militibus lectis casu necessitatis cessante (§. 500.), ut & conductitiis ad certum tempus non capitulatis (§. 501.), jus competat dimissionem rogandi: Hoc tamen jus perfectum non est (*ibid.*). Auctor itaque belli nec jure perfecto obligatur, ad dimissionem iisdem concedendam, si illam rogent: Quodsi itaque eandem recuset: Dici nequit, quod obligationi suæ adversetur. Quare cum in hoc demum casu duorum paciscentium alter etiam ab obligatione sua liberetur (*§. 827. Part. 3. Jur. nat. WOLF.*): Nec milites lecti & conductitii, ad certum tempus non capitulati, ab obligatione sua ad militiam solvuntur, sed ea potius adhuc subsistit, licet dimissio ipsis recusetur. Quare cum discessus a militia utique pro desertione, scilicet quoad effectum delicti habendus sit, si in milite obligatio ad militiam supponatur (§. 578.): Utique tam miles lectus, quam conductitius, si dimissione quidem rogata, sed non impetrata, discedant a militia, delinquunt & desertores sunt. *Q. e. 2.*

§. 585.

Miles conductitius, qui ad certum tempus capitulatus est, si illo elapso absque rogatione dimissionis discedat, delinquit quidem, naturaliter tamen desertor proprie dici nequit. *An miles, qui ad certum tempus capitulatus est.*

Milites enim in genere, sive lecti, sive conductitii, ad dimissionem rogandam obligantur, si discedere cupiant a militia (§. 298.). Miles itaque etiam conductitius, licet ad certum tempus saltem capitulatus fuerit, si illo elapso discedere velit, eadem obligatione tenetur, adeoque si non rogata dimissione discedat, obligationi suæ non satisfacit, sed adversatur. Quare cum miles in hoc casu delinquat (§. 540.): Patet, quod miles conductitius etiam delinquat, si elapso quidem tempore, ad quod capitulatus est, absque tamen dimissionis rogatione discedat. *Q. e. 1.*

Cum vero ad certum tantum tempus capitulatum illum fuisse, supponatur (*per hypoth.*); Capitulatio vero pactum sit (§. 53. 55.); Adeoque mutuo consensu nitatur (*§. 788. Part. 3. Jur. nat. WOLF.*): Auctor belli etiam consensit, ut tempore illo elapso miles discedere possit. Quodsi itaque tempus capitulatione expressum actu effluxerit, auctor belli dissentire nequit in discessum a militia (§. 503.); Adeoque pro consentiente habendus est (*§. 563. Part 5. Jur. nat. WOLF.*). Licet itaque miles dimissionem non rogaverit, neque adeo consensum expresse impetraverit: Hunc tamen præsumere licebit. Si itaque miles effluxo illo tempore discedat a militia, quod hoc fiat invito eodem proprie dici nequit. Quare cum desertor demum sit, qui invito auctore belli a mi-

 litia

litia discedit (§. 576.): Patet, quod miles conductitius ad certum tempus capitulatus, si hoc effluxo absque dimissione rogata discedat, etsi delinquat, pro desertore tamen haberi proprie non possit. *Q. e. 2.*

Legibus tamen positivis constitui posse, ut & in hoc casu pro desertore quoad effectum scilicet poenæ habeatur miles, vix dubitari poterit. Cum enim milites ad servandas leges militares obligentur (§. 137.), & hanc obligationem juramento firmare soleant; Miles vero, qui in leges militares jurat, in poenas etiam ipsis statutas consentiat (§. 155.); Adeoque illi per harum inflictionem injuria non fiat (§. 156.); Militem etiam conductitium, cum in militiam hoc pacto suscipiendam consentiat, pro desertore recte haberi, si expressa lege hoc fuerit statutum, apparet. Naturaliter enim etiam, cum delinquat (*per dem. n. 1.*), ipsum plecti posse, etsi non eadem, qua desertores, poena, juris erit.

§. 586.

Si ipsi dimissio recusetur. *Miles conductitius, ad certum tempus capitulatus, si illo elapso, dimissione rogata, sed recusata, a militia discedat, proprie non delinquit, & multo minus pro desertore haberi poterit.*

Cum enim milites conductitii effluxo illo tempore, ad quod capitulati sunt, ad militiam amplius non obligentur (§. 502.); Attamen si ab ea discedere velint, dimissionem rogare debeant (§. 298.): Si & hoc fecerint, obligationis eorum nihil reliqui est. Et cum dimissionem jure perfecto exigant (§. 502. cit.); Neque adeo eadem ipsis jure possit recusari (§. 235. *P. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Ex recusatione ejusdem militibus nova obligatio induci nequit. Si itaque milites conductitii, tempore convento, dimissione rogata sed recusata discedant, obligationi suæ non adversantur. Quare cum in hoc demum casu delinquant milites (§. 540.): Patet, quod nec iidem proprie non delinquant. *Q. e. 1.*

Cum vero desertio delictum involvat (§. 377.); Milites autem conductitii, si tempore capitulationis elapso, & dimissione rogata sed recusata, discedant, proprie non delinquant (*dem. n. 1.*): Nec iidem pro desertoribus haberi poterunt. *Q. e. 2.*

§. 587.

Desertio quale delictum sit. *Desertio delictum proprie militare, & quidem omnium maximum & præcipuum est.*

Desertio enim delictum est, & a militibus, qua talibus, committitur (§. 577.). Quare cum delictum, quod a milite, qua tali, committitur, militare dicatur (§. 543.): Patet, quod desertio sit delictum proprie militare. *Q. e. 1.*

Deser-

Desertio vero in discessu a militia consistit (§. 576.); Et in militia continetur ratio omnium obligationum militarium (§. 130.). Quare cum uti posita ratione sufficienti ponatur, ita eadem sublata, tollatur etiam, quod propter eam est (*§. 118. Ontol. WOLF.*): Per desertionem tolluntur omnes obligationes militares. Desertio itaque iisdem omnibus repugnat. Cum itaque actio quælibet obligationi saltem cuidam militari contraria delictum militare sit (§. 543.): Si delictum quoddam obligationibus militaribus omnibus simul repugnat, eo majus dari nequit (§. *352. loc. cit.*). Quo vero majus non datur, illud maximum est. Patet itaque, desertionem delictorum militarium omnium maximum & præcipuum esse. *Q. e. 2.*

§. 588.

Desertio delictum gravissimum est. *Delictum gravissimum est.*

Delicta enim militaria inter graviora referenda sunt (§. 548.). Quare cum desertio non modo sit delictum militare, sed præterea omnium maximum (§. 587.): Patet etiam, quod eadem delictum gravissimum sit.

§. 589.

Desertio simul perfidiam & perjurium involvit. *Quænam delicta involvat.*

Milites enim ad militiam juramento adstringi solent (*per hypoth.*); Uti fieri convenit (§. 148.): Juramentum vero militare est promissio jurata de servandis legibus militaribus, & præsertim de militia non deserenda (§. 149.). Qui itaque militiam deserit, sive desertionem committit, contrarium facit ejus, quod faciendum alteri promisit, sive, ad quod se alteri obligavit, & quod se facturum juravit, neque adeo juramentum servat (§. *931. Part. 3. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum is, qui contrarium facit ejus, ad quod faciendum sese alteri obligavit, perfidiam (§. *767. loc. cit.*), & qui juramentum non servat, perjurium committat (§. *932. ibid.*): Patet, quod desertio perfidiam simul & perjurium involvat.

Ex hac ratione turpitudinem desertionis naturalem deduxit perill. L. B. de WOLF (§. 768. *Jur. gent.*).

§. 590.

Desertio naturaliter delictum maxime infame est. *Delictum maxime infame est.*

Delicta enim militaria in genere naturaliter infamiam militibus contrahunt (§. 562.); Infamia vero militis in eo consistit, si alii judicare debeant, ipsum obligationibus suis non satisfecisse, sed potius contraria

egisse

egisse (§. 561.). Cum itaque desertio omnibus obligationibus militaribus simul repugnet (§. *587. dem. n. 2.*); Adeoque delictorum militarium maximum & præcipuum sit (§. *cit.*): Eandem etiam infamiam maximam contrahere militi, qui eam suscipit, apparet. Cum vero desertio perfidiam simul & perjurium involvat (§. 589.); Ex his vero eidem maxima nascatur turpitudo naturalis (§. *768. Jur. gent. WOLF.*): Quod desertio delictum naturaliter maxime infame sit, intelligitur.

§. 591.

Miles transfuga desertor est,

Miles transfuga, sive, qui ad hostem transfugit, desertor est.

Transfugæ enim dicuntur, qui a nostris ad hostes fugiunt, & eorum in bello causam contra nos sequuntur (§. *803. loc. cit.*). Quare cum hostis dicatur, adversus quem bellum geritur (§. 11.); Milites vero sint, per quos bellum geritur (§. 14.): Si milites ad hostem transfugiunt, eosdem bellum amplius contra hostem gerere non posse, apparet. Cum vero milites ad hoc obligentur (§. 157.); Idque obligatio eorum generalis (*schol. ad* §. *cit.*); Adeoque cum præstatione militiæ idem sit (§. 131.): Militem transfugam a militia discedere, intelligitur; Et illud ipso spontaneo, invito vero auctore belli fieri, supponitur, & per se patet. Cum itaque miles, qui a militia sponte sua, sed invito auctore belli, discedunt, desertores sint (§. 576.): De militibus transfugis idem patet.

Omnis itaque miles transfuga desertor, sed non omnis desertor transfuga est: Licet hoc plerumque fiat in bello. Transfugium itaque ad hostes a milite susceptum non simplex, sed qualificata desertio est, utpote cui circumstantia quædam accedit, quæ desertionis delictum gravius adhuc reddit (§. 569.). Cum enim per simplicem desertionem hoc saltem damnum oriatur, ut respublica careat ope militis desertoris: Per transfugium eadem hoc adhuc detrimentum sentit, ut cum debilitatione ejusdem vires hostis simul crescant. Majus itaque sine dubio est damnum, quod reipublicæ ex desertione cum transfugio connexa, quam quod ex simplici emergit; Adeoque etiam desertio per illud gravior redditur (§. 568.), uti ex sequentibus patebit.

§. 592.

& perduellis.

Transfugium militis ad hostem crimen perduellionis simul involvit.

Cum enim miles transfuga ad hostes se conferat (*per def.* § *591.*); Hostis vero dicatur, cum quo bellum geritur (§. 11.); Adeoque bellum supponatur: Per milites transfugas hostis comperit, quæ belli causa apud nos aguntur (SCHOEPFER *D. de milit. def. cap. 2.* §. *24.*); Sicque status potissimum exercitus inde ipsi innotescit. Hoc vero exercitui, adeoque & reipublicæ, cujus partes ille agit, perniciosum esse posse, nemo

nemo eſt, qui dubitet. Per militem itaque transfugam ea aguntur; quæ in everſionem aut labefactationem reipublicæ tendunt. Quare cum, qui hæc agit, crimen perduellionis committat (§. *1067. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod transfugium militis ad hoſtem crimen perduellionis ſimul involvat.

Aliter.

Transfuga miles ſimul fit miles hoſtis (*per def. & hyp.*); Quare cum hoſtis ſit, cum quo bellum geritur (§. 11.); Et miles ad bellum gerendum adhibeatur (§. 14.): Miles transfuga jam bellum infert ei, cui antea militabat, ſive reipublicæ, cujus ſubditus eſt (§. 77.). Cum vero bello vis inferatur (§. 1.): Hæc vero tendat ad labefactandas aut evertendas res alterius (*per not.*): Miles transfuga vires ſuas confert ad evertendam rempublicam, cujus tamen membrum fuit. Quare cum eo crimen perduellionis committatur (§. *1067. cit.*): Etiam hoc modo patet, illud cum transfugio militis ad hoſtem eſſe connexum.

Crimen perduellionis etiam deſertores committere putat SCHOEPFER (§. 37. *loc. cit.*): Et jus civile deſertionem lege Julia majeſtatis comprehendit (*l.* 2. *&* 3. *ff. ad L. Jul. maj.*). Cum vero ſimplex deſertio nihil contineat, quod contra perſonam ſuperioris committatur, vita aut imperio ipſum privando; Neque ex ſimplici alicujus deſertione everſio, aut labefactatio ſaltem reipublicæ metuenda ſit; In quibus tamen crimen perduellionis conſiſtit (§. 1067. *cit.*): Simplicem deſertionem ad illud referendam eſſe, mihi quidem non videtur.

§. 593.

Transfugium ad hoſtem in milite præſertim, delictum graviſſimum; Proprie tamen militare non eſt, quam quatenus ſimul deſertionem involvit. *Transfugium quale ſit delictum.*

Transfugium enim, ſi a milite committatur, deſertionem ſimul involvit (§. 591.). Quare cum deſertio delictum graviſſimum (§. 588.), & militarium omnium maximum ſit (§. 587.); In transfugio militis vero crimen perduellionis inſuper accedat (§. 592.), quod iterum per ſe graviſſimum eſt (§. *1068. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): In transfugio militis graviſſima duo delicta, deſertio nempe & perduellio concurrunt: Patet itaque, illud in milite delictum eſſe graviſſimum. *Q. e. 1.*

Cum vero delictum transfugarum a quovis etiam ſubdito committatur, qui a ſuis ad hoſtes fugit (§. *803. Jur. gent. WOLF.*); Ab aliis itaque, quam militibus, committi etiam poteſt. Non itaque militum proprium eſt, neque a milite, qua tali, committitur. Quare cum delictum, quod militum proprium non eſt, neque ab iis, qua talibus, committi-

mittitur, militare dici nequeat (§. 543.); Transfugium tamen militis simul desertionem (§. 591.), adeoque delictum militare (§. 587.), involvat: Transfugium militis ad hostem delictum militare proprie non est, quam quatenus desertionem simul involvit.

§. 594.

Capti delinquunt, si hostis milites fiant.

Miles ab hoste captus, qui hujus militiam amplectitur, antequam accedat alia causa, quae ipsum a militia solvit, delinquit.

Ut enim miles alteri se dare possit in militiam, a militia priori solvatur, necesse est (§. 513.). Ut itaque miles captus militiam hostis amplecti possit, a militia saltem, quam hactenus praestitit, solvi debet. Quare cum capti propterea non solvantur a militia (§. 306.), neque ab obligationibus suis liberentur (§. 307.), adeoque nec hosti se dare possint in militiam (§. 514.), propterea, quod capti sint: Milites capti utique obligationi suae adversantur, qui hostis militiam propterea solum amplectuntur, quod capti sint: Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Patet etiam, quod milites capti sola captivitate ducti ad militiam hostis amplectendam delinquant. *Q. e. 1.*

Cum vero captivitati aliae accedere possint causae, quibus miles captus a militia solvatur (§. 308. 511.); Adeoque in iis casibus ad militiam amplius non obligetur (§. 305.), sed vel hosti se dare possit in militiam (§. 515. 517.): Milites capti in iisdem casibus, si nempe captivitati alia accedat causa, quae ipsos a militia solvit, obligationi suae non adversantur. Quare cum milites tunc demum delinquant, si hoc faciant (§. 540.): Patet, quod miles ab hoste captus, qui hujus militiam amplectitur, tunc demum etiam delinquat, si alia causa non accedat, quae ipsum solvit a militia. *Q. e. 2.*

Quae licentiae huic ipso jure naturae concedendae obstare possent, removimus jam ad §. 513. & 309. Hic enim saltem quaeritur, an obligationi suae militari adversetur, si captus hosti se det in militiam? Alia enim accedere potest causa, cur licet a militia solutus, alienam tamen, & multo minus hostilem militiam amplecti quis nequeat. Quae vero, si penitius inspicientur, dubio subesse non possunt; Uti pluribus ostendimus loc. cit.

§. 595.

Pro desertoribus & transfugis habendi.

Miles ab hoste captus, qui, alia causa non accedente, quae ipsum militia solvit, hostis partes amplectitur, pro desertore & transfuga habendus est.

Cum

Cum enim causa solutionis a militia non sit captivitas (§. 306.); Alia vero causa solvens a militia hic non supponatur (*per hypoth.*): Obligationem ad militiam hic adhuc adesse patet. Cum vero obligationi huic jus respondeat (§. 23. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Auctori belli etiam jus est dissentiendi, ne a militia discedat miles ab hoste captus. Jure itaque pro invito habendus est auctor belli in casu præsenti. Quod si itaque miles captus, alia non accedente causa, quæ militia ipsum solvit, hostis partes sequatur: Invito auctore belli a militia discedit. Quare cum miles, qui invito auctore belli a militia discedit, desertor dicatur (§. 576.): Patet etiam, quod miles in eo casu pro desertore habendus sit. *Q. e. 1.*

Et cum in specie transfuga dicatur, qui partes suorum deserendi, hostiles contra suos amplectitur (*dem. §. 591.*); Hoc vero hic fieri supponatur (*per hypoth.*): Intelligitur etiam, quod miles captus, qui hostis militiam amplectitur, alia causa non superveniente, quæ ipsum a militia priori solvit, pro transfuga habendus sit. *Q. e. 2.*

Si enim alia quacunque ratione militia solvatur: Dici nequit, quod a suis ad hostem transfugiat. Sui enim non sunt, quibuscum militare amplius non obligatur. Et cum hostis sit, contra quem bellum geritur (§. 11.); Si vero militia solvatur, nec ad bellum contra eundem gerendum obligetur (§. 310.): Hostis intuitu ejus amplius dici nequit, qui antea erat. Simul vero apparet, quod in milite capto alia adesse possit causa, quæ ipsum, a militia licet solutum, arceat tamen ab amplexu militiæ cujusvis & multo magis hostilis; Si v. gr. subditus sit. Uti hoc pluribus jam monuimus & demonstravimus (*schol. ad* §. 513. *&* 309 *&* §. 516.).

§. 596.

Quare cum tam desertio (§. 587.), quam transfugium ad hostes (§. 593.) delictum gravissimum sit; Utrumque vero committat miles ab hoste captus, si absque alia causa accedente, ejusdem militiam amplectatur (§. 595.): *Amplexus servitiorum militarium apud hostem a milite capto susceptus, alia non accedente causa, delictum gravissimum est.* *Adeoque graviter delinquunt.*

§. 597.

Si miles ab hoste captus cogatur, vel vi adigatur ad militiam ejusdem amplectendam, nec delinquit, nec pro desertore aut transfuga haberi potest. *Non, si coguntur ad militiam hostilem.*

Si quis enim cogatur, sive vi externa adigatur (§. 579. *P. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*), ad quid faciendum; Hoc a libertate animæ non dependet. Cum itaque actiones, quæ a libertate animæ non pendent, liberæ

dici nequeant (§. 12. *loc. cit.*); Neque etiam actio coacta imputari possit coacto (§. 586. ibid.): Si miles ab hoste captus cogatur ad militiam ejusdem amplectendam, actio ejusdem neque libera, neque imputabilis est. Quare cum actio libera & imputabilis supponatur, ut quis delinquat (§. 545.): Facile patet, quod si miles ab hoste captus, non nisi vi externa coactus militiam ejusdem amplectatur, ille non delinquat. *Q. e. 1.*

Cum vero tam desertio (§. 587.), quam transfugium (§. 593.) delictum sit: Qui non delinquit, dum quid agit, nec desertionem aut transfugium committit. Quare cum miles ab hoste captus, si cogatur ad ejusdem militiam amplectendam, non delinquat (*per dem. n. 1.*): Eundem nec pro desertore aut transfuga haberi posse, apparet. *Q. e. 2.*

Cavendum vero est, ne pro actione coacta statim habeatur, quæ non nisi invita est, qualis est, si quis vel metu mali cujusdam imminentis permoveatur ad quid faciendum, quod non facere mallet (§. 582. *loc. cit.*). Quoniam enim hæc utique actio libera & imputabilis est (§. 589. *ibid.*): Miles captus utique delinquet, si vel minis, vel etiam durioribus quibusdam mediis, statim se permoveri patiatur ad hostis partes amplectendas.

§. 598.

Captus, qui non revertitur, delinquit.

Miles ab hoste captus, qui non revertitur, cum posset, delinquit.

Milites enim capti ab obligationibus suis non solvuntur, nisi in quantum per captivitatem impediuntur, quo minus iisdem satisfaciant (§. 307.). Quare cum ad militiam præstandam obligentur (§. 131.): Milites capti ad idem obligati manent; Licet captivitate impediantur, quo minus obligationi isti possint satisfacere. Quodsi vero ex captivitate redeant: In eum statum reducuntur, quo obligationi suæ satisfacere queunt. Si itaque non revertantur, cum possint: A voluntate ipsorum dependet, quod obligationi suæ non satisfaciant; Adeoque a rectitudine actionis deficiunt quoad voluntatem. Defectu itaque voluntatis obligationi suæ non satisfaciunt. Quare cum defectus a rectitudine actionis quoad voluntatem dolus dicatur (§. 701. *P. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); Milites vero, qui obligationibus suis dolo non satisfaciunt, delinquant (§. 540.): Miles etiam ab hoste captus, qui non revertitur, cum posset, delinquit.

Jure quidem civili delictum hoc pro tanto sumitur, ut qui captus, cum poterat redire, non rediit, pro transfuga habeatur (*l. 5. §. 5. ff de Re milit.*). Si vero notionibus velis inniti, neque transfuga, neque desertor haberi poterit. Desertio enim discessum a militia, vel derelictionem ejusdem (§. 576.); Transfugium vero amplexum militiæ hostilis (dem. §. 591.) supponit. Neutrum vero a milite capto suscipi, ponitur

(*per*

(*per hypoth.*). Licet itaque delinquat, si non revertatur, cum possit (*per dem.*): Neutiquam tamen pro transfuga aut desertore haberi poterit; Cum neque militiam suam derelinquere, neque hostilem amplecti supponatur. Forsan vero ARRIUS MENANDER in d. l. casum illum respicit, quo miles ex captivitate dimissus ad suos non revertitur, sed aut alibi digreditur, aut apud hostem manere sponte eligit. Utique enim tunc in priori casu desertionem, & in posteriori transfugium committit.

§. 599.

Miles, qui ministerium belli detrectat, sive servitia militaria quæcunque recusat, delinquit. *Detrectatio ministerii belli delictum est.*

Milites enim tam ad ministerium belli (§. 163.), quam ad servitia militaria præstanda obligantur (§. 181.). Si itaque hæc recusent, sive illud detrectent, obligationi suæ repugnant. Quare cum milites, qui hoc agunt, delinquant (§. 540): Patet etiam, quod miles, qui ministerium belli detrectat, vel servitia militaria quæcunque recusat, delinquat.

§. 600.

Si stipendium debito tempore non solvatur, sed ultra tempus remaneat, hoc militibus jus non dat, servitia militaria recusandi. *Non excusatur, licet stipendium remaneat.*

Militibus equidem stipendium præcise, adeoque debito tempore, solvendum est (§. 346.). Et cum pro præstatione operarum, sive servitiorum militarium (§. 180.), solvatur (§. 344.); Si vero ab una parte paciscentium non præstetur, quod debet, nec altera præstare teneatur, quod hæc debet (§. *827. Part. 3. Jur. nat. WOLF.*); Videri posset, quasi in eo casu nec milites ad præstationem servitiorum tenerentur. Quoniam vero causis saltem extrinsecis fieri posse constat, ut belli præsertim tempore, stipendiorum solutio impediatur (*per exper.*); Neque adeo auctor belli in præstatione ejus, ad quod obligatur, deficiat; In hoc vero demum casu & alter ab obligatione sua liberetur (*loc. cit.*): Nec milites ab obligatione sua servitia debita præstandi liberabuntur, si stipendia debito tempore non solvantur, sed ultra illud remaneant. Cum enim id ex aliis causis fieri possit, præsumi nequit, quod studio omittatur; Sed potius inter adversa referendum est, quæ cum patientia ferenda sunt (§. *593. Part. 1. loc. cit.*). Quare cum obligatio militum servitia præstandi in eo casu adhuc subsistat (*per dem.*); Obligatio vero necessitatem agendi involvat (§. *118. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); Neque adeo cum facultate contrarium agendi subsistere possit, in qua jus recusandi consistit (§. *156. ibid.*): Patet etiam, quod militibus jus eo non eveniat servitia militaria recusandi, si stipendiorum solutio ultra debitum tempus remaneat.

§. 601.

Sed & in eo casu delictum est,

Milites itaque, qui servitia militaria propterea recusant, quod stipendiorum solutio debito tempore non fiat, delinquunt.

Cum enim militibus in eo casu jus non sit servitia recusandi (§. 600.); Sed potius eosdem obligatio adhuc teneat illa præstandi (*per dem. ib.*): Si eadem recusent, obligationi suæ nihilo fecius adversantur. Quare cum milites, qui contra obligationem, qua tenentur, agunt, delinquant (§. 540.): Patet, quod fiat etiam in eo casu, si servitia recusent propterea, quod stipendia debito tempore non solvantur.

§. 602.

Et quidem militare.

Detrectatio ministerii belli delictum militare est.

Milites enim ad vim hosti inferendam constituuntur (§. 15.). Quare cum ministerium belli omnes actiones comprehendat, quibus hosti vis infertur, vel ab ipso illata repellitur (§. 162.); Milites vero ideo ad illud obligentur (§. 163.): Milites ad ministerium belli, qua tales, obligari facile apparet. Obligatio vero, quæ militi, qua tali, incumbit, militaris dicitur. Cum itaque detrectatio ministerii belli delictum sit (§. 599.); Atque adeo actionem obligationi cuidam contrariam supponat (*def.* §. 540.): Si milites ministerium belli detrectent, illos obligationi militari adversari intelligitur. Quare cum milites, si obligationi cuidam militari contraria agant, qua tales delinquant (§. 542.); Delictum vero a milite, qua tali, commissum, militare dicatur (§. 543.): Patet, quod detrectatio ministerii belli delictum militare sit.

§. 603.

Ut & recusatio servitiorum militarium.

Similiter recusatio servitiorum militarium delictum militare est.

Servitia enim militaria cum operis militaribus idem sunt (§. 180.). Operæ vero militares dicuntur, quas ministerium belli exigit (§. 172.). Quodsi itaque hæ sive servitia militaria recusentur, ministerium belli simul detrectari, absque re elucet. Cum vero detrectatio ministerii belli delictum militare sit (§. 602.): Idem etiam esse recusationem servitiorum militarium, apparet.

§. 604.

Recusatio pugnæ delictum est,

Milites, qui pugnare cum hoste recusant, delinquunt.

Milites enim ad pugnandum cum hoste obligantur (§. 159.). Si itaque pugnare recusant: Contrarium faciunt ejus, ad quod obligantur. Quare cum milites, qui contrarium faciunt obligationum suarum, delin-

delinquant (§. 540.): Patet, quod etiam delinquant milites, si cum hoste pugnare recusant.

§. 605.

Recusatio pugnæ cum hoste delictum militare est. *Et quidem militare.*

Cum enim pugna cum hoste ad vim ipsi inferendam tendat (*per not.*); Ut vero vim inferat hosti, in notione militis contineatur (§. 15.): Ad pugnam cum hoste militem, qua talem, obligari (§. 159.), apparet. Quare cum miles, qui pugnare recusat, propterea delinquat, quia ad idem obligatur (§. 604.): Eundem etiam, qua talem, delinquere patet. Quare cum delictum a milite, qua tali, commissum, militare dicatur (§. 543.): Intelligitur etiam, quod recusatio pugnæ cum hoste delictum militare sit.

§. 606.

Milites, qui ex acie fugiunt, delinquunt. *Fuga ex acie delictum est,*

Milites enim ad proelia committenda obligantur (§. 239.); Proelium vero pugna cum hoste dicitur (*per def. ibid.*). Qui itaque ex proelio sive acie fugiunt, pugnare recusant. Quare cum milites hoc agentes delinquant (§. 605.): Patet etiam, eos delinquere, qui ex acie fugiunt.

§. 607.

Fuga ex acie delictum militare, & quidem, præsertim, si a pluribus simul suscipiatur, gravissimum est. *Et quidem militare gravissimum.*

Fuga enim ex acie recusationem pugnæ continet (*dem.* §. *606.*). Recusatio pugnæ vero delictum militare est (§. 605.): Idem itaque etiam esse debet fuga ex acie. *Q. e. 1.*

Cum vero acies sive proelium pugna cum hoste dicatur (*def.* §. *606.*); Per pugnam vero hosti vis inferatur (*dem.* §. *605.*): In proelio sive acie vis hosti actu infertur & inferri debet. Quoniam itaque vis hosti infertur (§. 15.): Quo plures in acie sunt milites, eo major vis etiam hosti poterit inferri. Si itaque milites, & præsertim plures simul, ex acie aufugiant, minuitur vis, quæ hosti inferri debet; Adeoque vis hostis major evadere potest nostra. Vi vero majori facile repellitur minor. Per fugam itaque militum ex acie, præsertim si a pluribus simul suscipiatur, fieri facile potest, ut proelium amittatur, & exercitus cladem experiatur. Cladem vero tum exercitui, tum reipublicæ, cujus causam ille agit, perniciosissimam esse, res notissima est. Ex fuga itaque ex acie, a pluribus præsertim simul suscepta reipublicæ maximum periculum imminet, & detrimentum maximum inferri poterit. Quare cum

ex

ex nocumento, quod infertur, & periculo, quod imminet, gravitas delicti æstimanda sit (§. *625. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet etiam, quod fuga ex acie, præsertim si a pluribus simul fiat, delictum gravissimum sit. *Q. e. d.*

Hæ quidem & aliæ propositiones, quas jam demonstramus, etiam absque probatione a plerisque facile concedentur. Cum vero ad determinandas pœnas faciat nosse, quale sit delictum quodcunque, & quousque gravitas ejusdem extendatur; Methodus vero tum cognoscendi, tum cognita tradendi solidior non admittat, nisi sufficienter demonstrata: Superfluum reputari non poterit, quod in demonstrandis iis commoremur, quæ per se nota videri possent.

§. 608.

Præcipue infamat. *Fuga ex acie famæ militum maxime nocet, & infamiam ipsis præcipue contrahit.*

Cum enim proelia cum periculo amissionis vitæ, aut integritatis membrorum connexa sint (*dem.* §. *240.*): Fugam ex acie metu hujus periculi suscipi, judicare aliter non licet. Cum vero fuga ex acie delictum (§. 606.); Adeoque actio obligationi contraria sit (*def.* §. *540.*): Qui ex acie aufugiunt, metu periculi abduci se patiuntur ad quid faciendum, quod facere non debebant. In hoc vero vitio timiditas consistit (*def.* §. *242.*). Fugam itaque ex acie delictum esse, quod ex timiditate oritur, facile apparet. Quare cum delicta militum, quæ ex timiditate oriuntur, famæ eorum maxime noceant, & infamiam præcipue contrahant militibus (§. *566.*): Hoc etiam de fuga ex acie patet.

Cum delictis poenæ imponendæ sint, uti in sequentibus demonstrabitur; Dentur vero etiam poenæ infames; Quæ ut delictis etiam potissimum infamiam contrahentibus, irrogentur, convenit: Scire etiam expedit, quænam sint ea delicta, quæ famam militum maxime sugillent.

§. 609.

Resistentia imperii præfectorum delictum est. *Milites, qui imperii præfectorum vel infimorum resistunt, vel obedientiam ipsis recusant, delinquunt.*

Milites enim imperio præfectorum vel infimorum subjecti sunt (§. 212.); Adeoque vi hujus subjectionis ad obedientiam ipsis præstandam obligantur (§. *216.*). Quodsi itaque obedientiam iisdem recusent, vel imperio eorum resistant, obligationi suæ contrarium agunt. Quare cum milites, hoc facientes, delinquant (§. 540.): Milites etiam, qui imperio præfectorum vel infimorum resistunt, aut obedientiam ipsis recusant, delinquunt.

Hinc

Hinc legibus positivis graves poenæ statutæ sunt in eos, qui præfectis suis vel infimis, veluti exemtis, in rebus imperii militaris se opponunt, ita ut, si gladio nudato præsertim fiat, manu vel capite plectentur.

§. 610.

Milites, qui præfectis suis, ipsos castigare volentibus, resistunt, delinquunt. *Etiam si resistatur castigantibus.*

Jus enim milites castigandi concessum esse eorum præfectis, adeoque cum horum imperio connecti (§. 185.), hic supponitur (*per hypoth.*). Si itaque milites præfectis suis ipsos castigare volentibus se opponunt: imperio horum resistunt. Quare cum milites, si hoc faciunt, delinquant (§. 609.): Delinquent etiam, si castigationi præfectorum se opponant.

Cum jus milites castigandi proprie ad jurisdictionem in eosdem pertineat, de qua agendi locus nondum datur: Hic saltem per hypothesin præsupponitur, illud præfectis concessum esse. Suo vero loco clarius patebit, quod concedi conveniat. Dispositionem jurium positivorum de hac re affert PET. MüLLER (§. 6. *cap.* 5. *Diss. de Mand. Ducum milit.*). Jure etiam civili in hanc resistentiam severissime jam fuit animadversum (*l.* 13. §. 4. *ff. de Re milit.*).

§. 611.

Milites itaque, qui ea non faciunt, quæ ipsis a præfectis suis vi imperii his competentis mandantur, adeoque præcipiuntur, vel faciunt, quæ prohibentur, delinquunt. *Item, si non faciant, quæ mandantur,*

Milites enim ad omnia obligantur, quæ ipsis a præfectis suis vi imperii mandantur (§. 221.); Adeoque facienda, quæ præcipiuntur, & non facienda, quæ vetantur (§. 222.). Si itaque ea non faciant, quæ mandantur, & in specie præcipiuntur, vel faciant, quæ prohibentur, contrarium agunt eorum, ad quæ obligantur. Quare cum milites, qui hoc agunt, delinquant (§. 540.): Patet etiam, quod in casu dato delinquant.

Ex modo demonstratis etiam ostendi illud facere poterit. Milites enim, qui non faciunt, quæ ipsis a præfectis suis vi imperii mandantur, & in specie præcipiuntur, vel faciunt, quæ prohibentur, obedientiam iisdem non præstare (*dem.* §. 221.), sed imperio potius eorum resistere (*dem.* §. 216.), palam est. Quare cum milites, qui imperio præfectorum resistunt, vel debitam ipsis obedientiam recusant, delinquant (§. 609.): Eosdem delinquere, hoc etiam modo evincitur.

§. 612.

Modo ad ministerium belli spectent,

Milites, qui imperio præfectorum alia mandantium, quam quæ ad ministerium belli spectant, resistunt, proprie non delinquunt.

Milites equidem, qui imperio præfectorum vel minimorum resistunt, delinquunt (§. 609.). Cum vero imperium præfectorum ultra ministerium belli non procedat (§. 219.): Si quæ a præfectis militum mandantur, quæ ministerium belli non concernunt, hæc ad imperium eorum non pertinent. Dici itaque nequit, quod in iis milites imperio illorum resistant. Obligatio itaque militum ad ea, quæ ipsis a præfectis mandantur, restricta etiam est ad ea, quæ ministerium belli concernunt (§. 221.). Si itaque talia mandentur, quæ ad hoc non pertinent: Milites obligationi suæ adversari dici nequeunt. Quare cum milites tunc demum delinquant, si obligationibus suis contraria agunt (§. 540.): Patet, quod milites etiam proprie non delinquant, si imperio præfectorum alia mandantium, quam quæ ad ministerium belli faciunt, resistunt.

Consentiunt in hac re tam doctores juris, uti PET. MüLLER (§. 1. seqq. cap. 6. *Diss. de Mandatis Duc. milit.*); STEPH. WAGA (§. 6. *Diss. de Restit. famæ per vex.*) & alii, quam jura militaria positiva, uti Suecicum §. 24. art. 4. & Tigurinum §. 25 art. 25. Quorum priori constitutum est, ut in eo casu, si talia mandentur, cognitio ad judicium militare deferatur. Resistentia itaque etiam solum ad res imperii militaris restringi solet, uti juri militari patrio art. 10. & aliorum. Resistentia imperii etiam dici nequit, quæ fit in rebus ad imperium non pertinentibus, quales hic supponuntur. Omnem vero resistentiam, si etiam jure fieri possit, debita tamen reverentia fieri debere, facile patet, & adeo resistentiam in rebus quibuscunque absque hac factam delictum esse, mox demonstrabitur. Quantum etiam jus hoc resistendi restrictum sit, §. sequenti statim apparebit.

§. 613.

Licet dubium hoc sit.

Quodsi tamen dubium sit, an ea, quæ a præfectis mandantur, ad ministerium belli pertineant nec ne, milites utique delinquunt, si eadem non faciant, sed imperio talia mandantium resistant.

Si enim dubium sit, an ea, quæ a præfectis mandantur, ad ministerium belli pertineant, nec ne: Nihilominus milites ad ea absque resistentia facienda obligantur (§. 223.). Quodsi itaque in eo casu non faciant, quæ mandantur; Obligationi suæ adversantur. Quare cum milites, qui hoc agunt, delinquant (§. 540.): In casu etiam dato eosdem delinquere, apparet.

Judi-

Judicium enim de iis, quæ ad ministerium belli faciunt, nec ne, militibus relinqui nequit, uti nec in genere de iis, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt (§. 783. *Jur. gent.* WOLF.). Nullum itaque præjudicium ex eo metuendum est, quod resistere ipsis liceat in iis, quæ ad ministerium belli non pertinent (§. 612.). Cum judicium ipsis de iisdem ademtum sit. Nec facile eveniet casus, quo milites hoc jure suo uti poterunt.

§. 614.

Si certo appareat, quod ea, quæ militibus a præfectis suis mandantur, obligationibus ipsorum repugnent; Milites minime delinquunt, si eadem non faciant; Sed delinquerent potius, si iisdem obtemperarent. *Non si mandata obligationibus suis repugnent.*

Milites enim ad ea facienda non obligantur, quæ ipsis a præfectis suis mandantur, si certo appareat, quod eadem obligationibus suis contraria sint (§. 221.). Si itaque eadem non faciant, obligationi suæ non adversantur. Quare cum milites tunc demum delinquant, si hoc agant (§. 540.): Minime delinquent non facientes ea, quæ ipsis a præfectis mandantur, si hæc obligationibus ipsorum contraria sint. *Q. e. 1.*

Contra vero, cum hic mandari supponantur, quæ obligationibus militum contraria sunt (*per hypoth.*): Si milites eadem facerent, obligationibus suis adversarentur. Cum vero milites in hoc casu delinquant (§. 540.): Eosdem etiam delicturos esse, apparet, si quæ mandantur, facerent. *Q. e. 2.*

In genere vero dicimus, si obligationibus militum contraria mandentur. Cum enim milites aliis etiam obligationibus, quam militaribus, tam qua homines (§. 121.), quam qua cives (§. 124.), teneantur: Fieri etiam posset, ut mandentur, quæ non quidem militaribus, aliis tamen militum obligationibus repugnarent. Quare cum milites obligari nequeant ad ea, quæ obligationi cuidam naturali repugnant (§ 126.), & ab obligatione civili tunc demum solvantur, si eadem militari contraria sit (§. 127.): Nec si hisce obligationibus contraria mandentur, absque delicto eadem facerent. Optime itaque sentit PET. MüLLER, quod ad mandata legi naturæ obstantia non teneatur miles (§. 2. *cap.* 6. *Diss. de Mand. ducum milit.*).

§. 615.

Licet itaque dentur casus, quibus milites præfectis imperio suo abutentibus resistere possint: Omnis tamen militis resistentia, absque debita reverentia facta, delictum est. *Absque reverentia nunquam resistere licet.*

Milites enim non delinquere, si imperio præfectorum extra ministerium belli alia, vel obligationibus militum contraria mandantium resistant, demonstratum jam fuit (§. 612. 614.). Et cum præfecti militum,

tum, si talia mandent, fines imperii militaris excedant (§. 219.): Eosdem hoc abuti facile apparet. Licet vero imperio suo abutantur; Praefecti tamen adhuc manent, adeoque intuitu militum superiores. Quare cum superiori reverentia debeatur (§. *1049. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Praefectis vero imperium ex concessione superioris in civitate competat (§. 185.): Quin etiam illis a militibus reverentia debeatur, dubitari nequit. Si itaque milites absque hac debita reverentia imperio praefectorum in iis etiam, quibus licet, resisterent: Obligationi suae adversarentur. Cum itaque in hoc delictum ponatur (§. 540.): Patet, quod, etsi dentur casus, quibus absque delicto resistere liceat imperio praefectorum, omnis tamen resistentia absque debita reverentia delictum sit.

Cum superiore in civitate imperante, quod nimis durum, vel iniquum videtur, subditis supplicare tamen liceat (§. 1051. *loc. cit.*); Supplicare autem dicatur cum reverentia precari, ut quid fiat, vel non fiat (§. 1050. *ibid.*): Multo minus alienum etiam videri poterit, quod militibus vindicetur jus resistendi imperio injusta mandantium, modo id debita fiat reverentia. Et cum haec consistat in magnificatione cujusdam actibus externis declarata (§. 1182. *Part.* 1. *loc. cit.*): Milites etsi imperio praefectorum resistere posse aut debere sibi videantur: Actibus tamen externis nihilominus declarare debent, quod superioritatem praefectorum & suam ad obsequendum obligationem agnoscant. Hoc modo itaque restrictum jus in quibusdam resistendi, quod vel interdum in obligationem degenerat (§. 614), nunquam vitio verti poterit.

§. 616.

Res bene cessa delictum tollit.

Milites, qui in bello faciunt, quae probibita sunt, etsi res bene cesserit, nihilominus delinquunt.

Milites enim in bello gerendo alia facere non possunt, quam quae auctor belli ad illud gerendum necessaria judicat, adeoque fieri vult (§. 174.). Et hinc ad judicium auctoris belli & praefectorum sequendum obligantur; Neque suo in rebus ad bellum necessariis judicio stare possunt. Quod si itaque contrarium ejus, quod prohibetur, melius judicent: Hoc tamen suum judicium ipsis sequi non licet; Adeoque si faciant, quod prohibetur, obligationi suae adversantur. Licet itaque evenire possit, ut res bene cedat: Cum tamen eventus rerum a voluntate & viribus hominum non pendeant; Idem non illi, sed casui potius tribuendum est. Et aeque in detrimentum reipublicae res male cedere potuisset. Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Patet, quod miles etiam delicto non vacet, qui facit, quod prohibitum est, etsi res bene cesserit.

Legi

Legi utique merentur, quæ circa hanc rem monuit L. B. de WOLF (*schol. ad §. 912. Jur. gent.*) Et quod olim in tales, re licet bene cessa, rigidissime tamen ab ipsis etiam patribus ipsorum animadversum fuerit, ex antiquitate exempla referunt PET. MüLLER (*§. 4. cap. 5. Diss. de Mand. duc. milit.*) & ADR. BEIER (*n. 1237. Jur. milit. prud.*).

§. 617.

Milites itaque, qui absque mandato cum hoste pugnant, delinquunt, etsi res bene cesserit. *Pugna absque mandato delictum est.*

Militibus enim absque mandato pugnare cum hoste non licet (§. 333.). Obligationi itaque suæ adversantur, qui illud faciunt. Quare cum milites in eo casu delinquant (§. 540.): Delinquent etiam, qui absque mandato cum hoste pugnant. *Q. e. 1.*

Et cum militibus absque mandato pugnare non liceat (*per alleg.*): Inter prohibita hoc referendum est. Quare cum miles delinquat, si faciat, quod prohibitum est, etsi res bene cedat (§. 616.): Patet, eosdem, re licet bene cessa, delinquere, si absque mandato cum hoste pugnent. *Q. e. 2.*

In hoc etiam potissimum delictum eorum constitit, quos adeo severe punitos esse ad §. præced. monuimus.

§. 618.

Resistentia imperii militaris, sive recusatio obedientiæ militaris delictum militare est. *Resistentia imperii delictum militare est.*

Milites enim imperio militari, qua tales, subesse (§. 212.), & ad obedientiam militarem, qua tales, obligari (§. 216.), facile intelligitur. Resistentiam itaque illius, & recusationem hujus a militibus, qua talibus, suscipi, simul concipitur. Quare cum tam hæc, quam illa delictum sit (§. 609.); Delictum vero, quod a milite, qua tali, committitur, militare dicatur (§. 543.): Patet, quod utraque delictum militare sit.

§. 619.

Detrectatio servitiorum militarium & resistentia imperii militaris, si a pluribus suscipiatur, seditio est. *Et seditio est.*

Detrectatio servitiorum militarium supponit, quod hæc a militibus exigantur ab eo, cujus jus est, auctoris scilicet belli, sive præfectorum. Si itaque milites eadem detrectant, non faciunt, quod hic vult, adeoque actiones suas ad ejus voluntatem non componunt. Quare cum in hoc obedientia consistat (§. 205. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Qui servitia militaria detrectant, obedientiam recusant & quidem ei, cui imperium in eos competit. Imperium militare vero species imperii est (§. 183.).

 Impe-

Imperio itaque utique resistunt, qui militari resistunt. Quare cum resistentia imperii & recusatio obedientiæ superiori debitæ a pluribus suscepta, seditio sit (*per def.*): Patet, quod & detrectatio servitiorum militarium, & resistentia imperii militaris seditio sit, si a pluribus suscipiatur.

§. 620.

Seditionis militaris definitio.

Seditio, quæ a militibus suscipitur, *militaris* sive *bellica* vocatur. Quare cum facile pateat, si imperio militari resistatur, & servitia militaria detrectentur, illud fieri a militibus; Resistentia imperii militaris & detrectatio servitiorum militarium vero seditio sit (§. 619.): *Seditio militaris* definiri poterit, quod sit resistentia imperii militaris & recusatio obedientiæ militaris, in specie servitiorum militarium, a pluribus suscepta.

§. 621.

Delictum militare gravissimum est.

Seditio militaris delictum militare & quidem gravissimum est.

Seditio enim militaris in resistentia imperii militaris, & recusatione obedientiæ, in specie vero servitiorum militarium consistit (§. 620). Tam vero resistentia imperii militaris, quam recusatio obedientiæ (§. 618.) & in specie detrectatio servitiorum militarium (§. 603.) delictum militare est. Patet itaque, quod seditio militaris delictum militare sit. *Q. e. 1.*

Cum seditio militaris delictum sit (*per dem. n. 1.*); Delictum vero actionem obligationi contrariam involvat (*def.* §. *540.*): Seditionem militarem obligationibus militum adversari apparet; Et quidem cum in præstatione militiæ, sive servitiorum militarium obligatio eorum generalis ponenda sit (§. 131.), toti ipsarum complexui. Quare cum obligationes militum ad bellum gerendum tendant (§. 157.); Per bellum vero jus nostrum persequamur (§. 1.): Si milites obligationibus suis obnitantur, auctori belli jus suum persequi non licebit. Et cum seditio a pluribus committatur (*def.* §. *619.*); Bellum vero homines plures requirat (§. 13.): Seditio militaris efficit, quo minus persecutio juris,* quæ bello intenditur, obtineri possit. Cum vero cujusque maxime intersit, ut jus suum persequatur; Quod per se patet: Per seditionem militarem maximum detrimentum inferri auctori belli, hoc est, reipublicæ sive ejusdem rectori (§. 10.) apparet. Quare cum ex nocumento, quod infertur, gravitas delicti æstimanda sit (§. *625. Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet, quod seditio militaris delictum militare gravissimum sit. *Q. e. 2.*

Aliter.

Aliter.

Seditio militaris delictum militare est (*per dem. n. 1.*); Cum itaque delicta militaria ad graviora referenda sint (§. 548.): Illam delictum gravius esse, statim patet. Eadem vero simul a pluribus committitur (*def. §. 619.*). Quare cum delictum militare eo augeatur, si a pluribus perpetretur (*per dem. §. 607.*): Hoc modo etiam patet, quod seditio delictum gravissimum sit.

Id inde etiam statim elucet, quod seditio in genere delictum gravissimum sit; Adeoque idem multo magis de militari in specie prædicandum veniat: Cum ex hac majus adhuc periculum imminere possit; Præsertim, si in expeditione fiat. Pone enim casum, quod milites in eo ipso momento obedientiam recusent, & servitia militaria detrectent, quo hosti vel vis inferenda, vel vis ab ipso illata repellenda sit: Quis non perspicit, per seditionem illam militarem, irrita fieri, quæ suscepta felices progressus effectura forent, vel ab hoste maximum damnum dari posse, si tale quid accidat, quo minus vi ejusdem resistatur.

§. 622.

In seditione militari, quemadmodum in genere, adesse debet unus, vel quidam, qui faciunt, ut reliqui ad seditionem commoveantur. *Quomodo eadem oriatur.*

Seditio enim in genere a pluribus suscipitur (*def. §. 619.*). Ut itaque hi plures in unum consentiant, necesse est. Cum vero consensus sit volitio, ut fiat, quod vult alter (§. 27. *Inst. J. N. & G. WOLF.*): Omnes, qui seditiosi sunt, consentire debent in id, quod vult unus vel alter eorum. Adesse itaque debet quis, qui prius declaret, quid fieri debeat, antequam reliqui possint consentire. Declaratio vero voluntatis verbis vel factis absolvitur (*per not.*): In seditione itaque adesse quis debet, qui faciat, ut reliqui ad seditionem commoveantur.

Cum enim seditio militaris in resistentia imperii & detrectatione serviciorum militarium consistat (§. 620.): Omnes, qui seditiosi fiunt, imperio resistere, & servitia detrectare debent. Fieri vero nequit, ut hic animus in omnibus eodem momento simul oriatur. Ut itaque unus vel alter initium hujus resistentiæ faciat, opus est, cujus exemplo reliqui ad idem faciendum incitentur. Quod etiam actu contingere, exempla seditionum docent; Licet interdum difficilius sit, detegere eos, qui iisdem initia dederunt.

§. 623.

Qui quid faciunt, per quod alii commoventur ad seditionem suscipiendam, *Concitare* dicuntur, ad seditionem nempe. Ita ut *Concitatio*, ad seditionem nempe, definiri possit, per factum, seu actionem *Concitationis definitio.*

nem quamcunque, qua alii ad seditionem suscipiendam commoveri possunt.

Concitatio ad seditionem militarem Germanis peculiari vocabulo dici solet *Meuterey*. Quod licet & pro ipsa seditione a nonnullis interdum sumatur: Minus tamen recte fieri videtur; Cum alii adhuc extent termini, qui hanc indigitant, veluti *Aufruhr*, *Aufstand*; In scientiis vero vocabulis determinatus significatus tribui debeat. Stilo romano quidem concitatio ad seditionem, *factio* etiam dici posset. Cum vero vocabulum hoc consociationem ad quoddam delictum studio intentatam magis significare videatur; In concitatore vero non semper adesse possit animus alios etiam ad idem delictum, quod suscepit, commovendi; Licet id facto suo actu fiat: Neque illud proprium visum fuit ad concitationem seditionis exprimendam.

§. 624.

Quinam ejus rei sint. *Concitationis ad seditionem rei sunt, qui per verba seditiosa occasionem dant seditioni militari.*

Qui enim per verba seditiosa occasionem dant seditioni militari, faciunt, ut alii ad eandem suscipiendam commoveantur. Quod per se facile patet. Quare cum quævis actio seu quodvis factum, quo alii ad seditionem suscipiendam commoveri possunt, concitatio dicenda sit (§. 623.): Patet, quod ejus etiam rei sint, qui per verba seditiosa seditioni militari occasionem dant.

§. 625.

Qui seditionem concitant, quomodo delinquant. *Milites, qui seditionem concitant, non modo ipsimet delinquunt, sed etiam ut alii simul delinquant, faciunt.*

Qui enim concitant ad seditionem, aliquid faciunt, per quod alii ad eandem commoventur (§. 623.). Cum itaque seditio, militaris nempe, in resistentia imperii & detrectatione servitiorum consistat (§. 620.); Ad eandem vero alii verbis aut factis commoveri possint (*per dem. §. 622.*): Qui seditionem concitant, vel ipsimet primi solum imperio resistentes & servitia detrectantes, ipso suo facto alios commovent, vel simul alios verbis ad eandem invitant, adeoque in utroque casu faciunt, ut & alii imperio resistant & servitia detrectent. Quare cum resistentia imperii (§. 609.) & detrectatio servitiorum (§. 599.) delictum sit: Patet, quod milites, qui seditionem concitant, non delinquant modo, sed &, ut alii delinquant simul, faciant.

§. 626.

Auctoris delicti definitio. Qui facit, ut alii simul cum ipso delinquant, *Auctor delicti* dicitur.

§. 627.

Qui alios ad seditionem, in specie militarem, concitant, auctores ejusdem sunt. *Quisnam sit auctor seditionis.*

Qui enim seditionem, in specie militarem, concitant, non delinquunt modo, sed &, ut alii simul delinquant, faciunt (§. 625). Quare cum is, qui facit, ut alii cum ipso simul delinquant, auctor delicti dicatur (§. 626.); Seditio vero militaris delictum, & gravissimum quidem sit (§. 621.): Patet, quod auctores seditionis sint, qui alios ad eandem concitant.

§. 628.

Auctores delictorum militarium gravius delinquunt iis, qui per eos ad illa commoventur. *Auctores delictorum gravius delinquunt.*

Auctores delictorum enim non ipsimet solum delinquunt, sed & ut alii simul delinquant, faciunt (§. 626.). Faciunt itaque, ut delictum a pluribus committatur. Quare cum delicti militaris gravitas eo augeatur, si a pluribus perpetretur (*per dem.* §. 607.): Auctores delicti militaris gravitatem ejus augent. Quod cum non facere supponantur, qui saltem per auctores ad idem seduci se passi sunt: Patet, quod illi gravius his delinquant.

Alia quidem ratione, & in genere etiam ostendi poterit, auctores delictorum gravius delinquere iis, qui per ipsos commoventur. Cum vero hic delictorum militarium doctrina potissimum nos occupet; De his etiam solum illud facillimo, qui se præbuit, modo, demonstrasse sufficiet.

§. 629.

Concitatio ad seditionem militarem delictum gravissimum est. *Concitatio delictum gravissimum est.*

Qui enim alios ad seditionem militarem concitant, auctores ejusdem sunt (§. 627.). Quare cum seditio militaris delictum militare sit (§. 621.): Qui alios ad eandem concitant, sunt auctores delicti militaris. Auctores vero delictorum militarium gravius delinquunt iis, qui per eos ad illa commoventur (§. 628.). Concitatores itaque gravius delinquunt iis, qui per ipsos commoti seditiosi fiunt. Quare cum seditio militaris delictum gravissimum sit (§. 621.): Concitatores delictum gravissimo gravius adhuc, si potest, committunt. Atque hinc satis patet, quod concitatio ad seditionem militarem delictum gravissimum sit.

Hinc etiam jure romano sollicitatio sive concitatio militum ad seditionem ad crimen illud majestatis gravissimum refertur (*l. 1. ff. ad L. Jul. maj.*).

§. 630.

Etsi seditio actu non sequatur. *Qui ad seditionem milites quovis modo concitant, licet eadem actu non sequatur, nihilominus delinquunt.*

Per seditionem enim militarem maximum detrimentum infertur reipublicæ (*per dem.* §. *621.*). Si itaque seditio actu non oriatur, ad quam milites concitantur (*per hypoth.*): Damnum illud actu quidem non infertur. Cum vero per factum eorum, qui alios concitant, fieri posset, ut ad seditionem commoverentur alii (§. 623.): Periculum damni hujus reipublicæ tamen imminet. Quare cum delicta non modo ex damno, quod actu infertur, sed & ex periculo, quod inde imminet, æstimentur (§. *625. Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet, quod concitatio ad seditionem delictum sit, licet hæc actu non fuerit secuta.

§. 631.

Quinam auctores fugæ ex acie sint. *Qui initium faciunt fugæ ex acie, ejusdem adeoque delicti auctores sunt.*

Qui enim initium facit fugæ ex acie, sive quod perinde est, primus ex acie fugit, facit aliquid, quo & alii commoveri possent, ad idem faciendum. Quod per se patet. Cum vero fuga ex acie delictum (§. 606.), & quidem militare gravissimum sit (§. 607.): Qui ex acie primus fugit, non ipsemet modo graviter delinquit, sed & ut alii simul cum ipso delinquant, efficere potest, & quod actu faciat, supponitur. Quare cum is, qui facit, ut alii simul cum ipso delinquant, auctor delicti dicatur (§. 626.): Patet, quod ii, qui initium faciunt fugæ ex acie, ejus adeoque delicti auctores sint.

§. 632.

Milites pacis tempore æque delinquunt. *Milites, qui vel pacis tempore obligationibus suis contraria agunt, æque delinquunt, ac in bello actu constituti.*

Milites enim vel pacis tempore ad functiones bellicas ita exacte obligantur, ac si hostis adesset, adeoque in bello actu constituerentur (§. 170.). Pacis itaque tempore milites etiam obligationibus suis æquè, ac in bello contraria agere posse, apparet. Quare cum milites, si obligationibus suis contraria agant, delinquant (§. 540.): Patet, quod milites æque possint delinquere pacis tempore, quam si in bello actu constituerentur.

Dantur quidem delicta, quæ non nisi in bello committuntur, qualia sunt transfugium ad hostem, recusatio pugnæ, fuga ex acie, festinata deditio, & alia. Hæc itaque a militibus pacis tempore committi non posse,

posse, per se patet. Sunt vero alia & quidem quam plura, quæ & pacis tempore locum sibi vindicant. Qualia ex. gr. sunt desertio, seditio, concitatio ad eandem, & alia, quorum milites proh dolor! vel quotidie reos se reddunt.

§. 633.

Milites tamen belli tempore & præsertim in expeditione constituti gravius delinquunt, quam pacatis temporibus. *Gravius tamen belli tempore.*

Cum enim omnes obligationes militum ad vim hosti inferendam (§. 158.), & ab ipso illatam repellendam (§. 160.), tendant; Hostis vero sine bello non intelligatur (§. 11.); Et in expeditione constitui dicantur milites, si hostis actu adsit, aut ejus invasio metuatur (§. 393.): Facile apparet, quod obligationes militum belli tempore & præsertim in expeditionibus potissimum sese exserant. Cum vero per hostem maximum detrimentum inferri possit reipublicæ; Uti absque demonstratione facile quisque concedet: Belli etiam tempore & præsertim si in expeditionibus constituantur milites, majus quam pacis tempore, inferri posse nocumentum, apparet, si hi obligationibus suis non satisfaciant, sed iisdem potius agant contraria. Si vero milites hoc agunt, delinquunt (§. 540.). Cum itaque ex majori, quod infertur, damno, aut, quod imminet, periculo gravitas delicti æstimetur (§. 625. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Milites etiam belli tempore, ac præsertim in expeditionibus constituti, gravius, ac pacatis temporibus delinquere, consequitur.

Quod delicta æqualia supponantur, absque opera intelligitur. Cum enim delictum unum sua natura gravius esse possit altero (*loco cit.*): Fieri etiam potest, ut delictum quoddam a milite pacis tempore commissum gravius sit alio, quod in bello perperrat. Sic irreverentia levis licet erga præfectum delictum æque est (§. 615.), ac desertio (§. 577.) aut seditio (§. 621.): Hæc tamen sine dubio gravius illa. Licet itaque irreverentia levis contra præfectum a milite belli etiam tempore; Desertio vero pace committi supponatur: Hæc tamen illa gravius adhuc erit delictum. Sed si ponamus unum idemque delictum, desertionem ex. gr. ab uno pacis, & ab altero belli tempore perpetrari: Tunc utique hic illo gravius delinquet. Hoc propterea nosse intereit, quoniam delicta graviora gravioribus quoque pœnis punienda veniunt (§. 626. *loc. cit.*); Adeoque ad harum determinationem requiratur, ut sciamus, quodnam delictum, aut sub quibus circumstantiis idem delictum sit gravius.

§. 634.

Miles desertor, qui res ab auctore belli in usum hujus ipsi saltem suppeditatas veluti arma vel vestitum secum abripit, furtum simul committit. *Desertor quando furtum committat.*

 Arma

Arma enim (§. 365.), & veſtitus (§. 352.) militibus ab auctore belli ſuppeditantur, & in genere res in uſum belli ſaltem ſuppeditatæ hic ſupponuntur (*per hypoth.*). Intuitu itaque militum eædem ſunt res alienæ, & auctor belli ipſorum dominus eſt. Deſertio vero fit invito eodem (§. 576.), adeoque etiam eo inſcio; Uti per ſe patet. Si itaque a milite deſertore arma & veſtitus ſimul auferantur: Auferuntur res alienæ inſcio & invito domino. Auferuntur vero ſimul animo easdem ſibi habendi, vel ſaltem vendendi, adeoque lucrum ſibi inde faciendi. Ablatio vero rei alienæ inſcio ac invito domino animo eam ſibi habendi vel ſuam faciendi facta furtum dicitur (*§. 498. Part. 2. Jur. nat. WOLF.*): Patet itaque, quod miles deſertor, qui res ab auctore belli in uſum hujus ipſi ſaltem ſuppeditatas, veluti arma vel veſtitum ſecum abripit, furtum ſimul committat.

Si deſertor veſtitum modo abripit, furtum plerumque quidem ab eo non intenditur. Sed cum alio veſtitu milites deſtituantur; Abſque veſtitu tamen aufugere nequeant: Ut militarem ſecum ducant, neceſſitatis fere eſt, quam crimen deſertionis involvit. Fieri itaque etiam nonnunquam ſolet, ut deſertores veſtitum remittant, ſi alio potiri ipſis contingat. Cum vero plerisque occaſio eum remittendi non detur; Potius etiam levi animo ducantur, ut ex ejus venditione lucrum faciant: Furtum licet primario non intendatur deſertione, ex ea tamen ut plurimum conſequitur. Arma vero vel equum ſimul abripere, minoris adhuc neceſſitatis reputari poteſt: Niſi illis in augmentum criminis deſertionis adverſus inſequentes, hoc vero forſan ad celerandam fugam abuti velint malitioſi ſignorum ſuorum deſertores. Plerumque tamen ſine dubio per eorum venditionem lucrum aliquod ſibi comparare intendunt. Eo magis itaque hi furti ſimul rei cenſendi ſunt, & delictum ſuum malitia, quæ illud comitatur, augent vel aggravant (§. 632. *Part.* 8. *loc. cit.*).

§. 635.

Deſertio eo aggravatur.

Delictum itaque militis deſertoris, qui res in uſum belli ipſi ſaltem ſuppeditatas ſecum abripit, ſive: *Deſertio, quæ fit cum ablatione rerum in uſum ſaltem belli militi ſuppeditatarum, aggravatur.*

Cum ea, quæ cum re ſimul fiunt extra eandem, cum ea tamen connectuntur, circumſtantiæ ejusdem dicantur (*def. §. 567.*); Hic vero res in uſum belli ſuppeditatæ a deſertore ſimul abripi, ſive, deſertionem cum ablatione earundem ſimul fieri & connexam eſſe, ſupponatur (*per hypoth.*): Ablatio hæc ad circumſtantias delicti deſertionis pertinet. Per ablationem vero rei ſuæ domino damnum inferri, per ſe intelligitur. Et ſi ponatur, deſertorem arma eo animo ſecum ferre, ut contra forſan inſequentes ea tendere poſſit, ex ea etiam periculum adhuc ſingulare immi-

imminet. Si itaque desertor res ab auctore belli suppeditatas, & in specie arma, secum aufert: Ex hac circumstantia, quæ desertionem comitatur, majus nocumentum consequitur, & majus periculum imminet, quam absque eadem fieret. Quare cum si propter circumstantias, sub quibus delictum committitur, majus nocumentum inferatur, aut majus periculum immineat, quam absque iisdem, illud gravius reddatur (§. 568.): Patet, delictum desertionis ablatione rerum in usum belli saltem militi suppeditatarum aggravari.

§. 636.

Miles, qui a statione sua cedit absque mandato, vi hostili, vel alio vicem ejus subeunte, delinquit. *Discessus a statione delictum est.*

Militi enim a statione sua recedere non licet (§. 268.), sed ibi eo usque manere obligatur, usque dum alius vicem ejus subeat, aut ipsi discedere jubeatur, aut vi cogatur (§. 272.). Miles itaque, qui absque mandato, vi hostili, vel alio vicem ejus subeunte, a statione sua discedit, obligationi suæ contrarium agit. Quare cum milites, qui hoc agunt, delinquant (§. 540.): Militem etiam delinquere, qui absque mandato, vel alio locum ejus subeunte, & vi nulla coactus discedit a statione sua, apparet.

Cum itaque miles delinquat, si a statione discedat absque alio vicem ejus subeunte (*per dem.*): Facile intelligitur, quod a delicto non liberetur, si justo tempore non adveniat, qui vices ejus subeat. Licet enim mutatio stationum statutis temporibus fieri soleat: Excubiarum tamen lex est, non, ut tempore statuto effluxo, sed vicibus earum per alios demum susceptis, discedere possint a statione. Casu enim aut etiam delicto aliorum evenire potest, ut stato tempore non adveniat, seu mittatur, qui vices subeat. Quoniam vero excubiæ ponuntur, ad animadvertendum, ne quid hostilis aut detrimenti accidat (§. 265.): Accidere tale quid posset, si non expectatis vicibus discederent. Cum vero milites obligentur ad præcavendum, ne quid hostilis aut detrimenti eveniat (§. 264.): Ad excubias continuandas etiam sine dubio obligabuntur, licet sueto tempore ab alio non liberentur; Adeoque si discedant, utique obligationi suæ adversantur & delinquunt. In qua sententia etiam est *Ern. Joh. Frid.* MANZEL (§. 30. *Diss. de Excubiis*), qui etiam causas quasdam excusantes recenset (*loc. cit.* *). Quæ vero, quousque valeant, ex hic & alibi demonstratis, facile intelligitur.

§. 637.

Miles, qui in excubiis sive statione dormit, delinquit. *Item dormire in eadem.*

Excubiæ enim eo fine aguntur, ut observetur, ne quid hostilis accidat, vel detrimenti eveniat (§. 265.). Si quis vero dormit, observare

 nequit,

nequit, quæ accidunt (*quod per se patet*). Neque adeo dormiens excubias agere poterit. Quare cum milites ad excubias agendas obligentur (§. 266.): Obligationi suæ minime satisfaciunt, si in excubiis, sive statione, quæ locus dicitur, ubi illæ aguntur (§. 267.), dormiant, sed ejus potius contrarium agunt. Quoniam itaque milites, qui obligationibus suis adversantur, delinquunt (§. 540.): Patet, quod milites delinquant, si in excubiis, sive statione dormiant.

Cum omne delictum dolum aut culpam saltem supponat (*def.* §. 540.): Apparet, quod & militi in statione dormienti hæc vel ille debeat attribui. Quodsi enim ponatur, militem in statione positum deliquio animi aut alio morbo, propria culpa sibi non contracto, surripi & in somnum abjici: Delicti reus minime haberi poterit: Cum culpa æque atque dolo vacare supponatur. Quam ut & alias delictum quidem minuentes, non vero penitus tollentes causas adducit etiam MANZEL (§. 26. *loc. cit.*).

§. 638.

Vel ebrium esse. *Miles, qui in excubiis sive statione inebriatur, sive ebrius deprehenditur, delinquit.*

Per ebrietatem enim tam usus rationis, quam sensuum non turbatur modo, sed penitus etiam tolli potest (§. *423. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Absque usu vero rationis integro dijudicare non licebit, quæ forsan hostilia esse, aut detrimenti aliquid afferre possent. Et absque usu sensuum integro observare non datur, quæ aguntur. Quod per se patet. Per ebrietatem itaque aut actu fit, aut fieri saltem potest, ut miles in excubiis sive statione positus, non observet, ad quod observandum ibidem ponitur, scilicet, ne quid hostilis accidat, vel detrimenti eveniat (§. 265.). Cum vero milites obligentur ad omnia, quæ ad hoc præcavendum faciunt (§. 264.): Obligantur etiam, ne in excubiis sive statione ebrii sint. Miles itaque, qui in excubiis sive statione ebrius est, obligationi suæ satisfacere nequit, atque potius eidem adversatur. Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Hoc etiam de milite in excubiis vel statione ebrio patet.

Præterquam itaque, quod ebrietas in genere juri naturali repugnet (§. 424. *loc. cit.*); In specie eadem statui militari contraria est. Cum enim res militares celerrimæ sint expeditionis, & evenire posset, ut vel inopinato milites ad servitia adhibeantur; Adeoque & hi quovis momento ad eadem parati esse debeant (§. 279.): Studere etiam debent, ut continuo in eo deprehendantur statu, quo ad eadem sint apti. Per ebrietatem eos vero inidoneos reddi, vel ex demonstratis patet. Licet itaque ebrietas in genere poenis coerceri non soleat: Ratione tamen non desti-

destituitur, cur & in milites animadvertatur, qui eidem nimis se dedunt. Tristia enim non desunt exempla, quæ ex ebrietate militum ortum traxerunt, ut vel integrorum exercituum clades eidem debeantur. Pariter autem delinquit, sive quis in ipsa jam positus statione, sive sciens, quod excubiarum ordo ipsum tanget, inebriatur. Quod si enim hoc fiat tempore, quæ servitiorum præstatio aut excubiæ expectari non potuerunt: Nec eadem esse poterit poena, utpote quæ gravissima & pro circumstantiis vel capitalis esse solet (§. 25. *cit. Diss. de Excubiis*). Ceterum cum ebrii somno facile abripiantur; Fieri etiam posset, ut miles in excubiis ebrius somno obrueretur. Cum vero dormire in excubiis delictum sit (§. 637.): Vel ex hoc patet, quod idem etiam esse debeat ebrietas in excubiis.

§. 639.

In genere milites, si quid agant, vel non evitent, quo ad satisfaciendum obligationibus suis inidonei redduntur, delinquunt. *Si inidoneos se reddant ad officia sua.*

Obligationi enim satisfacere idem est, ac agere, vel non agere, ad quod agendum, vel non agendum obligamur (§. *120. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Quare cum obligatio in necessitate morali agendi vel non agendi consistat (§. *118. ibid.*); Adeoque oppositum ejus, ad quod obligamur, moraliter impossibile sit (§. *115. ibid.*): Posita obligatione quadam, eidem etiam satisfaciendum esse, facile apparet. Quare cum dentur obligationes militum peculiares (§. 81.): Milites etiam ad iisdem satisfaciendum obligantur. Cum vero ad impossibile nemo obligari possit (§. *209. loc. cit.*): Possibilitas agendi ea, ad quæ quis obligatur, requiritur ad id, ut quis obligationibus suis satisfaciat. Quare cum possibilitas agendi aptitudo sive idoneitas dicatur (*per def.*): Requiritur, ut quis idoneus sit ad satisfaciendum obligationibus suis. Si itaque milites quid agunt vel non evitant, quo ad satisfaciendum obligationibus suis inidonei redduntur: Per ipsos fit, ut iisdem satisfacere nequeant. Si quis vero ad quid obligatur, eundem etiam obligari ad ea, sine quibus obligationi illi satisfieri nequit, constat; Hoc est, qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media, sine quibus illo potiri non datur. Milites itaque etiam obligantur, ad ea non facienda sive evitanda, quæ ipsos inidoneos reddunt ad satisfaciendum obligationibus suis. Si itaque eadem faciunt, sive non evitant, contrarium agunt ejus, ad quod obligantur. Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Delinquunt etiam, qui faciunt, aut non evitant, per quod ad satisfaciendum obligationibus suis inidonei redduntur.

Hinc cum milites, qui in excubiis vel statione dormiunt, vel ebrii sunt, inidonei reddantur ad satisfaciendum obligationibus suis (*per dem.* §. 637.

637. & 638.): Ex hoc etiam principio faciliori adhuc, quam factum est, modo demonstrari poterit, illos delinquere.

§. 640.

Quomodo ebrietate porro delinquant.

Miles, qui sciens, quod excubiis destinatus sit, inebriatur, delinquit.

Miles enim ebrius inidoneus est ad excubias agendas (*per dem.* §. *638.*). Quare cum milites ad excubias agendas obligentur (§. 266.): Si miles excubiis destinatus ebrium se reddit, sive inebriari se patitur, agit quid sive non evitat, quo ad satisfaciendum obligationi suæ inidoneus redditur. Quare cum miles in hoc casu delinquat (§. 639.): Eundem etiam delinquere apparet.

Si enim ebrietas in milite percipitur, in excubiis quidem non ponetur, adeoque damnum, quod ab ebrio in statione metuendum est, cessat. Cum itaque demonstratio §. 638. allata huic modo casui adaptata sit: Ostendendum quoque fuit, militem delinquere, si modo per ebrietatem ineptum sese reddat ad officia sua debite præstanda. Quod & §§. seqq. latius adhuc extendetur.

§. 641.

Quod ulterius extenditur.

In genere etiam milites, servitiis militaribus quibuscunque destinati, si ebrietatem sibi contrahant, delinquunt.

Per ebrietatem enim milites ad servitia militaria qualiacumque præstanda inidoneos reddi, ex iis facile apparet, ex quibus de excubiis in specie illud fuit demonstratum (§. 638.). Cum vero ad servitia militaria præstanda obligentur (§. 182.): Milites, qui ad eadem destinati ebrietatem sibi contrahunt, quid agunt, quo inidonei redduntur ad satisfaciendum obligationi suæ. Quare cum milites in hoc casu delinquant (§. 639.): In genere etiam eosdem delinquere patet, si servitiis quibuscunque destinati ebrietatem sibi contrahant.

Minime vero quis inde inferat, milites ebrietate non delinquere, si sciant, se servitiis actu præstandis jam non destinari. Cum enim ebrietas in genere juri naturæ repugnet (§. 424. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*); Milites vero obligationibus naturalibus soluti non sint, sed iisdem etiam, æque ac reliqui homines, teneantur (§. 128.): Nec militi ebrietas unquam licere poterit. Hic vero saltem ostenditur, quandonam milites speciali adhuc obligatione teneantur, eandem vitandi, adeoque qua tales delinquant, si ei se dedant. Tantum itaque abest, ut hæc ebrietatis restrictio militibus ullo modo patrocinetur, ut potius arctior eorum obligatio ad ipsam vitandam inde elucescat. Quemadmodum ex corollario statim subsequente clarius adhuc patebit.

§. 642.

§. 642.

Cum itaque sæpissime accidat, ut vel præter opinionem milites ad servitia actu præstanda quam celerrime adhibendi sint (*per exper.*); Adeoque ad servitia continuo parati, & quoquo tempore præsto esse (§. 275.); Belli vero præsertim tempore continuo invigilare & quovis momento parati esse debeant (§. 279.); Et in genere milites servitiis militaribus quibuscunque destinati delinquant, si inebrientur (§. 641.): *Milites quovis fere, & belli præsertim tempore delinquunt, si ebrietati se dedant.* *Ad omne fere tempus.*

Qua tales nempe. Qua homines enim omni tempore delinquunt. Uti jam monui ad §. præced. Patet hinc vero, quam late sese extendat obligatio militum, qua talium etiam, vitandi ebrietatem.

§. 643.

Recedere a statione, & dormire in eadem delicta militaria gravissima sunt. *Recedere & dormire, quænam sint delicta.*

Statio enim dicitur locus, quo quis ad excubias agendas ponitur (§. 267.). Excubiæ vero aguntur ad observandum, ne quid hostilis aut damnosi eveniat (§. 265.). Si autem miles a statione discedat; Item etiam si dormiat in statione, hoc observare nequit. Quod per se patet; Neque adeo obligationi suæ excubias agendi satisfacit; Atque adeo in utroque casu delinquit (§. 636. 637.). Cum vero ad excubias, qua tales, obligentur milites (§. 266.): Per discessum a statione, vel somnum in eadem, etiam qua tales delinquere eos, apparet. Quare cum delictum a milite, qua tali, commissum, militare dicatur (§. 543.): Patet, quod recedere a statione vel dormire in eadem delicta militaria sint. *Q. e.* 1.

Cum vero excubiæ tendant ad præcavendum, ne quid hostilis accidat, vel detrimenti eveniat (§. 265.); Per neglectum illarum fieri posse, ut hostilis quid accidat, vel detrimenti eveniat, facile apparet. Damnum vero maximum inde enasci reipublicæ, si hostile quid, aut detrimentum aliud ipsi, aut ejus rectori, emergat, similiter patet. Quare cum ex damno, quod affertur, & periculo, quod imminet, gravitas delicti æstimetur (§. 625. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Recedere a statione vel dormire in eadem pro delictis gravissimis censenda sunt. *Q. e.* 2.

Dormire in statione hinc etiam adeo severe puniri solet, ut ex. gr. jure militari belgico miles in excubiis positus, dormiens deprehensus, stante pede occidi possit. Uti refert ADR. BEIER (*n. 1289. Jur. milit. prud.*).

prud.). Et in discedentem ab excubiis pœna capitalis jure romano jam fuit statuta (*L. 10. ff. de Re milit.*).

§. 644.

Desertio stationis famæ maxime nocet.

Desertio stationis, si ex metu præsertim periculi imminentis fiat, famæ militis maxime nocet et infamiam ipsi præcipue contrahit.

Cum enim timiditas vitium illud sit, quo metu periculi cujusvis nos abduci patimur ad faciendum, quod facere non debebamus, vel ad non faciendum, quod debebamus (*def.* §. *242.*): Si desertio stationis ex metu periculi imminentis fieri ponatur (*per hypoth.*), eandem ex timiditate oriri, apparet. Desertio vero stationis delictum militare est (§. 643.). Quare cum delicta militum in genere (§. 562.), potissimum vero ea, quæ ex timiditate oriuntur, famæ eorum maxime noceant, & infamiam ipsis præcipue contrahant (§. 566.): Hoc etiam de desertione stationis, si ex metu præsertim periculi imminentis fiat, apparet.

§. 645.

Desertionem aggravat.

Desertio, si fiat cum derelictione stationis, aggravatur.

Cum enim ea, quæ cum re simul fiunt extra eandem, cum ea tamen connectuntur, circumstantiæ ejusdem dicantur (*def.* §. *567.*). Si derelictio stationis simul cum desertione fiat, sive desertio ex statione suscipiatur, illa pro circumstantia hujus sine dubio habenda est. Ex derelictione stationis autem maximum nocumentum afferri potest, adeoque et maximum periculum imminet (*dem.* §. *643.*): Si vero propter circumstantias, sub quibus delictum committitur, majus aut minus nocumentum infertur, vel ejusdem periculum saltem imminet, quam absque iisdem fieret, delictum aggravatur (§. 568.). Cum itaque desertio jam per se delictum gravissimum (§. 588.), idem vero etiam derelictio stationis sit (§. 643.): Patet, quod desertio aggravetur, si fiat e statione, sive cum derelictione ejusdem.

§. 646.

Ebrietas in milite quale sit delictum.

Ebrietas in excubiis, sive statione, vel si a milite ad excubias, vel etiam servitia militaria quæcunque destinato, et belli præsertim tempore contrahatur, delictum militare gravissimum est.

Miles enim, qui in excubiis sive statione inebriatur, sive ebrius deprehenditur (§. 638.), item etiam, qui ad excubias (§. 640.), vel servitia quæcunque destinatus (§. 641.), adeoque & belli præsertim tempore (§. 642.), ebrietatem sibi contrahit, delinquit. Cum vero propter-

propterea delinquat, quoniam obligationibus suis, quibus qua miles tenetur, satisfacere non possit (*per dem. ibid.*): Eundem qua militem etiam delinquere, apparet. Quare cum delictum a milite, qua tali commissum, militare dicatur (§. 543.): Patet etiam, quod ebrietas militis in casibus enumeratis delictum militare sit. *Q. e. 1.*

Cum vero per delictum hocce neglectus excubiarum vel in genere servitiorum oriatur, aut metuendus saltem sit (*per alleg. n. 1.*); Ex neglectu vero excubiarum & in genere servitiorum militarium maximum nocumentum inferri possit, vel periculum saltem immineat (*dem.* §. *643.*): Facile intelligitur, quod ex ebrietate militis in casibus datis maximum nocumentum et periculum immineat. Quare cum gravitas delicti ex nocumento, quod ipso affertur, & periculo, quod inde imminet, æstimetur (§. *625. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet etiam, quod ebrietas militis in casibus enumeratis delictum gravissimum sit. *Q. e. 2.*

Apparet hinc discrimen inter ebrietatem in genere & ebrietatem militis officiis suis intenti. Ebrietas enim in genere, utpote obligationi naturali contraria (§. 424. *Part. 1. loc. cit.*) delictum quidem; Ebrietas vero militis, officiis suis intenti, delictum in specie militare est. Quare cum delicta militaria ad graviora sint referenda (§. 548.): Ebrietatis hujus in milite gravitas inde comprehenditur, et elucescit obligatio specialis, quæ milites tenet, illam fugiendi. Gravissimas hinc etiam pœnas in ebrietatem militum, præsertim in expeditione constitutorum, plerisque juribus positivis statutas esse, refert STEPH. WAGA (§. *10. Diss. de Restit. famæ per vex.*).

§. 647.

Miles in excubiis vel custodiis positus, qui ea non facit, quorum gratia ad easdem constituitur, sive ipsi expresse injungantur, sive necessitas aut finis, quorum gratia excubiæ vel custodiæ aguntur, ea exigat, delinquit. *Miles in excubiis vel custodiis quando delinquat.*

Milites enim ad excubias vel custodias constituti omnia facere debent, quæ vel ipsis expresse injunguntur, vel quæ necessitas aut finis, cujus gratia excubiæ aguntur, exigit (§. 271.): Miles itaque in excubiis vel custodiis positus, qui eadem non facit, obligationi suæ adversatur (§. 536.). Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Idem etiam de illo patet.

§. 648.

Miles, qui captivum, custodiæ suæ commissum, sinit evadere, delinquit. *Si captivum sinat evadere.*

 Cum

Cum enim custodia consistat in cura observandi, ne personæ quædam evadant, vel res quædam auferantur (§. 269.): Si captivus custodiæ alicujus committatur, finis hujus exigit, ne ille evadat. Quodsi itaque miles captivum custodiæ suæ commissum evadere sinat, ea non facit, quæ finis custodiarum requirit. Quare cum in hoc casu miles delinquat (§. 647.): Delinquit etiam, si captivum, qui custodiæ suæ committitur, sinat evadere.

§. 649.

Delictum dolo commissum gravius est.

Miles gravius delinquit, si dolo id faciat, quam si culpa; Sive: *Delictum militis gravius est, si dolo, quam si culpa committatur.*

Cum enim dolus ex proposito committatur (§. 712. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); Culpa vero intentionem mali excludat (§. 730. *ibid.*): Si miles dolo delinquat, ex proposito, adeoque data opera agit; Si culpa, non item. Quare cum malitia dicatur, si quis agat data opera (*schol. §. 631. Part. 1. Jur. nat. W.*): Miles qui dolo delinquit, malitiose agit. Cum itaque delicta ex malitia commissa graviora sint (§. 632. *ibid.*): Patet, quod delictum militis gravius sit, si dolo committatur, quam si culpa saltem.

§. 650.

Hinc verum gravius quasi delicto.

Cum itaque delicta, quæ dolo committuntur, vera; Quæ culpa saltem, quasi delicta dicantur (*def. §. 541.*); Delicta vero tam militum in genere (§. *cit.*), quam militaria in specie (§. 544.), vera vel quasi delicta esse possint; Delicta autem militum, quæ dolo committuntur, graviora sint iis, quæ non nisi culpa contingunt (§. 649.): *Delicta militum, & in specie militaria, vera graviora sunt quasi delictis illorum.*

§. 651.

Miles, qui dolo evadere sinit captivum, gravius delinquit, quam si culpa.

Miles, qui captivum custodiæ suæ commissum, evadere sinit, gravius delinquit, si dolo ipsius id contingat, quam si culpa saltem.

Miles enim, qui captivum custodiæ suæ commissum evadere sinit, delinquit (§. 648.). Gravius vero delinquit miles, si dolo id faciat, quam si culpa saltem (§. 649.). Quod si itaque ponatur, milites dolo captivum custodiae ipsius commissum evadere (*per hypoth.*): Gravius etiam eundem delinquere apparet, quam si culpa ejus hoc saltem contingat.

§. 652.

Cum hostis sit, cum quo bellum geritur (§. 11.); Bello vero vis inferatur (§. 1.): Ab hoste violentam invasionem metuendam esse, facile intelligitur, & per se notum est. Præcavendum itaque est, ne hostis vel furtim appropinquet, vel irrepat. Quod cum fieri facile posset, si a nostratibus distingui non possent, qui ab ejus partibus sunt: Expedit adhiberi aliquid militibus, quo agnosci, adeoque ab hostibus distingui, & ex cujus defectu hostes agnosci possint. Fieri vero hoc, si militibus symbolum quoddam aut vocabulum mandetur, cujus prolatione pro nostratibus agnosci, adeoque ab hostibus distingui possint, experientia comprobatur: *Expedit itaque militibus symbolum quoddam aut vocabulum committere, cujus prolatione agnosci, & ab hostibus, uti hi ab illis distingui possint.* *Milites præ hostibus agnosci posse, expedit.*

§. 653.

Symbolum, sive vocabulum, quod militibus committitur, sive retinendum datur, ad eum usum, ut ejus prolatione agnoscantur & ab hostibus distinguantur, *Tessera* dici solet, germanice die *Losung*, vel vocabulo a Gallis recepto, *die Parole.* *Tesseræ definitio.*

§. 654.

Miles, qui tesseram aperit, delinquit. *Ejus revelatio delictum est.*

Cum enim tessera detur in eum usum militibus, ut agnosci & ab hostibus distingui possint (§. 653.); Hoc vero in bello utique expediat & necessarium sit (§. 652.): Tesseræ etiam usum ad bellum gerendum necessarium esse, facile apparet. Cum itaque milites ad omnia obligentur, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt (§. 157.): Milites etiam ad eum usum tesseræ faciendum obligantur, qui eodem intenditur. Usus vero tesseræ in eo consistit, ut nostrates agnosci & ab hostibus distingui possint (*per alleg.*). Quodsi itaque hostes tesseram comperiant, fieri potest, ut pro nostratibus habeantur. Hostes vero eandem comperiunt, vel comperire saltem possunt, si milites eam quoquo modo aperiant. Milites itaque, qui hoc agunt, ejus usum non faciunt, qui intenditur; Adeoque cum ad hoc obligentur (*per dem.*) obligationi suæ adversantur (§. 536.). Quare cum milites, qui faciunt, quæ obligationibus ipsorum repugnant, delinquant (§. 540.): Militem etiam, qui tesseram aperit, delinquere apparet.

In genere, *qui aperiunt*, dicimus, ut eo intelligatur, milites delinquere, qui vel ex inconsiderantia tesseram aperiunt coram iis, quorum nosse

nosse eam jus non est; Adeoque culpa eorum saltem fieri possit, ut hostis eandem comperiat. Quodsi enim studio adeoque dolo illam hosti notam faciant: Gravius ipsos delinquere, & vel proditionis crimen committere, patet.

§. 655.

Et quidem militare gravissimum.

Revelatio tesseræ delictum militare et quidem gravissimum est.

Cum enim tessera detur in eum usum, ut milites eo agnoscantur, & ab hostibus discernantur (§. 653.): Non nisi militibus eadem datur. Ejusdem itaque etiam revelatio non nisi in militem cadit. Hinc cum eadem delictum sit (§. 654.): Delictum hoc a milite, quatenus talis est, committitur. Quamobrem cum delictum a milite, qua tali commissum, militare dicatur (§. 543.): Apparet, revelationem tesseræ esse delictum militare. *Q. e. 1.*

Cum vero si tessera aperiatur, hostis eam comperire, adeoque fieri possit, ut ille amplius a nostratibus discerni nequeat (*dem.* §. 654.): Hostis in eo casu facile sub specie nostratum irrepere & invasionem facere poterit (§. 652.). Ex revelatione itaque tesseræ invasio hostilis metuenda est. Per hanc vero maximum detrimentum inferri, & vel totum exercitum perdi posse, constat. Si itaque tessera aperiatur, maximum nocumentum dari potest, adeoque summum periculum inde imminet. Quare cum ex nocumento, quod infertur, & periculo, quod imminet, gravitas delicti æstimetur (§. 625. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod revelatio tesseræ crimen etiam sit gravissimum. *Q. e. 2.*

§. 656.

Oblivio tesseræ neque.

Oblivio tesseræ delictum proprie non est, nisi quatenus est in potestate militum, eandem non oblivisci, sive oblivionem ejus declinare.

Cum enim oblivio involvat impotentiam ideas rerum antea perceptarum reproducendi (§. 216. *Psych. emp. WOLF.*), & reproductas recognoscendi (§. 215. *ibid.*): Oblivio etiam actionibus liberis non accenseri (§. 25. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*), neque imputari potest (§. 547. *ibid.*), quam quatenus est in potestate nostra ideas perceptas reproducendi, & impotentiam illam impediendi, adeoque oblivionem declinandi. Quare cum ad delicta, uti in genere, ita & militaria in specie, requirantur actiones liberæ & imputabiles (§. 545.): Patet, quod oblivio etiam tesseræ proprie pro delicto reputari nequeat, quam quatenus est in potestate militum eandem non oblivisci sive oblivionem ejus declinandi.

Cum

Cum dentur media ad retinenda ea, quæ non oblivisci interest: Miles utique delinquit, si eadem, quantum ipsi adsunt, negligat. Sic cum officialibus, etiam inferioribus, deesse non possint media, literis ea mandandi, quæ ipsis retinenda sunt; Sed potius officii eorum ratio hoc postulet: Utique delinquent, si illud omittant, adeoque oblivionem tesseræ non declinent, utpote, quod in eorum potestate est. Contra vero, cum in militibus gregariis literarum peritia requiri aut supponi nequeat, neque etiam ipsis media scribendi, & pugillares, qui dicuntur secum ducendi, adeo facile suppeditentur: Vitio iisdem verti non poterit, si tesseram literis non mandarint, adeoque oblivionem ejus eo declinarint. Præterea cum in tesseram sæpius dari soleant vocabula exoticarum linguarum, aut talia, quibus res militibus plane ignotæ indigitantur, & quorum adeo ipsis distincta notio esse nequit: Facilius etiam ignoscenda erit in eo casu oblivio tesseræ, cum adminiculo prorsus destituantur milites, quo reminiscentiam ejusdem adjuvare possent.

§. 657.

Discessus absque venia a mansione delictum est.

Miles, qui absque venia a loco ipsi assignato sive mansione sua discedit sive abest, delinquit.

Milites enim absque venia impetrata a mansione sua discedere nequeunt (§. 277.). Miles itaque, qui absque venia a loco sibi assignato, sive statione sua, discedit, aut abest, obligationi suæ adversatur (§. 536.). Quare cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Idem etiam de illo patet.

§. 658.

Ut & emansio ultra veniam.

Si miles ultra veniam emanet, delinquit.

Venia enim dicitur permissio militi data a mansione sua discedendi & alibi commorandi (§. 277.). Cum vero eadem indistincte concedi nequeat, quod per se patet: Ad certum tantum tempus illa restringi solet. Venia itaque ultra tempus hoc non durat; Adeoque si miles diutius emanet: Reliquo tempore absque venia abest. Cum vero hoc non possit (§. *cit.*), sed si faciat, delinquat (§. 657.): Patet, quod si miles ultra veniam emaneat, delinquat.

§. 659.

Vel si alicubi discedat.

Si miles, veniam nactus alicubi eundi, alibi discedat, delinquit.

Cum enim supponatur, militem saltem ad certum locum eundi veniam impetrasse (*per hypoth.*): Eadem etiam ultra eundem non extenditur; Adeoque si alibi divergat, absque venia abest. Cum vero milites absque venia abesse nequeant (§. 277.), sed delinquant, si absint (§. 657.): Miles etiam delinquit, si veniam nactus alicubi eundi, alibi divergat.

§. 660.

§. 660.

Emansoris definitio. Miles, qui absque venia a mansione sua discedit, vel abest, vel ultra veniam emanet, aut alibi discedit, *Emansor*; Discessus vel absentia vero militis a mansione sua, absque venia vel ultra eandem *Emansio* dicitur.

§. 661.

Emansio delictum est. Quare cum miles, qui absque venia a mansione sua abest (§. 657.), vel ultra illam emanet (§. 658.), aut alibi discedit (§. 659.), delinquat; Discessus vero talis emansio dicatur (§. 660.): *Emansio delictum est, & quidem*, cum militem supponat, adeoque a milite, qua tali committatur, *militare.*

Cum vero delicta absque dolo vel culpa non committantur (§. 540.): Facile intelligitur, emansionem etiam dolo vel culpa saltem committi debere, ut delicti nomen mereatur. Nec milites eandem proprie committere, si necessitate quadam externa emaneant (§. 546.).

§. 662.

Non tamen desertio. *Emansor pro desertore statim haberi nequit.*

Licet enim emansor absque venia, adeoque invito auctore belli (§. 277.), a loco mansionis suæ discedat vel absit (§. 660.): Illum tamen non animo a militia discedendi, vel hanc derelinquendi, abesse, supponitur. Quod itaque emansor invito auctore belli a militia discedat, dici nequit. Quare cum desertor dicatur, qui invito auctore belli a militia discedit (§. 576.): Patet, quod emansor pro desertore statim haberi nequeat.

Perperam itaque desertoribus accensentur emansores a STEPH. WAGA (§. 10. *Diss. de Restit. famæ per vex.*). Nec allegata *lege 3. §. 2. ff. de Re milit.* illud probatur. Ibi enim tantummodo dicitur, emansorem esse, qui diu vagatus, ad castra regreditur. Non itaque animum militiam deserendi, sed potius ad eandem revertendi supponi in emansore apparet. Merito itaque illud etiam reprehendit SCHOEPFER (*§. 45. cap. 1. Diss. de Milite desertore*).

§. 663.

Discessus a statione gravior emansione. *Miles, qui a statione recedit, gravius quidem delinquit, emansore; Si vero non simul plane discedat, pro desertore haberi nequit.*

Emansor enim dicitur, qui in genere a mansione sua, sive loco sibi commorandi gratia assignato, absque venia discedit (§. 660.). Quare cum militi, in statione posito, locus certus quidem assignatus etiam sit (§. 267.): Miles, qui a statione recedit, emansor etiam forsan

forsan dici poterit: Licet hæc differentia adhuc intercedat, quod statio non commorandi, sed excubandi saltem gratia assignetur. Cum vero militi in statione posito, excubiæ agendæ simul commissæ sint (§. *cit.*), quæ adeo si a statione recedat, negliguntur; Ex neglectu vero harum maximum emergere possit detrimentum (*dem.* §. *643.*); Adeoque discessus a statione delictum gravissimum sit (§. *cit.*): Patet, quod miles, qui a statione recedit, gravius delinquat emansore: Cum ab hoc tantum nocumentum non metuendum sit, vel periculum non immineat, quam ab illo. *Q. e. 1.*

Cum vero hic supponatur, militem, qui stationem relinquit, non plane discedere, sed ad suos reverti (*per hypoth.*): Quod militiam simul deserat, dici nequit. Quare cum desertor demum dicatur, qui a militia animo scilicet eandem deserendi discedit (§. 277.): Patet, quod miles, qui a statione recedit, si non plane discedat, pro desertore haberi nequeat. *Q. e. 2.*

Hæc propositio adjicitur occasione *l.* 3. §. 5. *&* 6. *ff. de Re milit.* ubi dicitur: *Qui stationis munus relinquit, plus quam emansor est*: *Si quis vero ab excubatione præsidis, vel cujusvis præpositi desistat, peccatum desertionis subibit.* Ex demonstratis autem apparet, quod, qui a statione, adeoque & ab excubatione præpositi recedit, si hoc non animo plane discedendi faciat, desertor dici nequeat. MODESTINUS etiam in d. l. nihil aliud indigitare videtur, quam quod delictum ejus, qui stationem relinquit, gravius sit emansione, adeoque gravius etiam puniendum; Si vero ab excubatione præpositi in specie desistat, desertori, quoad poenam æquiparandus sit. Id quod etiam verba adjecta arguunt: *Itaque pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ dejicitur.* Quæ sine dubio innuunt, quod hic ad poenam potissimum respiciatur.

§. 664.

Delicta animo non committuntur, sed ad eadem requiritur actio externa, qua animus delinquendi declaratur. ***Delicta animo non committuntur.***

Delicta enim facta sunt (§. *580. Part. 8. Jur. nat.* WOLF). Quare cum facta dicantur actiones, quatenus his quidpiam ab agente diversum ad actum perducitur (§. *153. Part. 2. Phil. pract. univ.* WOLF.): Delicta non nisi motu organorum corporis perfici, facile patet. Cum itaque actiones, quæ non nisi motu organorum corporis perficiuntur, externæ dicantur (§. *1. Inst. J. N. & G.* WOLF.): Delicta actiones externas requirunt. Actiones externas vero internis opponi, per se intelligitur. Hinc cum idem simul esse, & non esse nequeat (§. *28. Ontol.* WOLF.): Nec opposita simul esse posse, apparet. Delicta itaque actio-

nibus internis absolvi non posse, palam est. Quare cum actiones internæ dicantur, quæ sola vi animæ eliciuntur (§. 1. *cit.*): Patet, quod delicta animo non committantur, sed ad ea requiratur actio externa, qua animus delinquendi declaratur.

Propositio hæc juri quidem militari non propria, sed juris criminalis universalis sive naturalis est. Cum vero hujus theoria hactenus tradita non sit; Nec propositionem illam alibi demonstratam invenerimus: Eadem demonstranda nobis fuit, ut ea pro principio uti possimus ad eruenda alia, & potissimum ad desertionis delictum clarius inspiciendum. Quod quidem, quantum extra nexum cum aliis principiis generalibus licuit, agere studuimus. Negari enim non poterit, quod si in systemate tradatur, rigidiori adhuc modo illud fieri, & majori luce illam affundi forsan posse.

§. 665.

Vera tamen non absque animo.

Delicta vera tamen absque animo, delinquendi scilicet, non committuntur.

Delicta vera enim dolo committuntur (*def.* §. 541.). Dolus vero in defectu a rectitudine actionis quoad voluntatem consistit (§. 701. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.* WOLF.). Delicta vera itaque cooperante voluntate committuntur. Quare cum voluntas sive propositum delictum committendi animus delinquendi dici soleat (*per def. & hypoth.*): Patet, quod delicta vera absque animo, delinquendi scilicet, non committantur.

Idem monendum erit de hac, quod de propositione proxime præcedenti monitum fuit. Doctrinam enim de animo delinquendi supponit. Quam vero ex instituto tractare, hujus loci non est. Notionem itaque ejusdem aliqualem supponere, opus fuit, suo loco plenius explicandam. De delictis etiam veris tantummodo hic demonstramus, quod non absque animo committantur: Cum hoc fini nostro sufficiat. Licet enim quasi delicta culpa tantum committantur (*def.* §. 541.); Culpa vero in defectu a rectitudine quoad intellectum saltem consistat (§. 717. *Part.* 1. *Phil. pract. univ* WOLF.): Videri poterit, quasi delicta absque animo delinquendi committi. Cum vero defectus ille, qui culpam constituit, vincibilis supponatur (§. *cit.*): Adeoque evitari potuisset, modo committens voluisset (§. 692. *loc. cit.*): In quasi delictis voluntas etiam, aut noluntas saltem concurrit. De quasi delictis itaque forsan etiam evinci poterit, quod non absque animo committantur. Quoniam vero hoc altioris indaginis, nec proprie hujus loci est: Jam illud non aggredimur, sed juri criminum universali, si fortasse hoc tradere nobis semel contigerit, reservamus.

§. 666.

§. 666.

Delictum desertionis non nisi dolo committitur. *Desertio dolo committitur.*

Desertio enim consistit in discessu a militia sponte, sed invito auctore belli facto (§. 576.). Liberam itaque voluntatem in eo, qui eam committit, supponit, sive supponit, ut libera voluntate committatur. Quoniam vero desertio delictum est (§. 577.); Adeoque qui illam committunt, obligationi suæ adversentur (*def.* §. *540.*): Qui desertionem committunt, a rectitudine actionis deficiunt (§. 537.). Cum vero desertio liberam voluntatem in committente supponat (*per dem.*): Eosdem a rectitudine actionis quoad voluntatem deficere, apparet. In desertione itaque semper adest defectus a rectitudine actionis quoad voluntatem. Quare cum defectus a rectitudine actionis quoad voluntatem dolus dicatur (*per alleg.* §. *665.*): Patet, quod delictum desertionis non nisi dolo committatur.

§. 667.

Cum itaque delictum desertionis non nisi dolo committatur (§. 666.); Delictum vero, quod dolo committitur, verum dicatur (*def.* §. 541.): *Delictum desertionis est delictum verum.* *Est delictum verum.*

§. 668.

Ad delictum desertionis itaque requiritur, ut discessus militis non modo fiat animo militiam deserendi, sed etiam ut animus hic actu quodam externo declaretur. *Quid ad eam requiratur.*

Desertio enim delictum verum est (§. 667.). Quare cum delicta vera non absque animo, delinquendi scilicet, committantur (§. 665.): Nec desertio admitti potest absque animo eandem committendi, hoc est, militiam deserendi. Quare cum in discessu militis, a militia nempe, consistat desertio (§. 576.): Patet, quod ad eam requiratur, ut discessus militis fiat animo militiam deserendi. *Q. e. 1.*

Cum vero delicta in genere non solo animo committantur, sed etiam ad eadem requiratur actio externa, qua animus delinquendi declaratur (§. 664.): Statim apparet, quod ad desertionem non sufficiat, discessum fieri animo deserendi, sed etiam requiri ad eandem, ut animus iste actu quodam externo declaretur. *Q. e. 2.*

§. 669.

Si miles discedens quid agat, quocum militia subsistere simul nequit, seu, quo posito, eadem tollitur, actu externo declarat, se militiam deseruisse, adeoque, se animo militiæ deserendæ discessisse. *Quando actu externo eadem declaretur.*

 Cum

Cum idem simul esse & non esse nequeat (§. 28. *Ontol.* WOLF.): Si quid ponatur, quocum militia subsistere nequit, eandem tolli facile intelligitur. Cum itaque hic ponatur, militem discedentem tale quid agere, quocum militia subsistere nequit (*per hypoth.*): Ille simul in militia manere nequit. Et cum hoc sponte sua agere itidem supponatur (*per hypoth.*): Quod amplius in militia manere nolit, adeoque eam deseruerit, apparet. Quare cum ex actu quodam externo hoc constare supponatur (*per hypoth.*): Patet, quod si miles discedens quid agat, quocum militia simul subsistere nequit, seu quo posito eadem tollitur, actu externo declaret, se militiam deseruisse. *Q. e. 1.*

Et cum desertio delictum verum sit (§. 667.). Delicta vera autem non absque animo committantur (§. 665.): Nec desertio absque animo deserendi scilicet committitur. Quare cum miles discedens, qui quid agit, quocum militia subsistere nequit, actu externo declaret, se eam dereliquisse (*per dem. n. 1.*): Simul apparet, quod animo deserendi discesserit. *Q. e. 2.*

§. 670.

Quando desertio perficiatur. *Si miles sponte sua, invito vero auctore belli discedens, actu quodam externo declaret, se militiam deseruisse, desertionem perfecit, sive consummavit.*

Ad desertionem enim requiritur, ut discessus militis non modo fiat animo militiam deserendi, sed etiam ut animus hic actu quodam externo declaretur (§. 668.). Cum itaque hic ponatur, militem sponte sua, invito vero auctore belli discedentem actu externo declarare, se militiam deseruisse (*per hypoth.*); Adeoque simul declaret, se animo deserendi discessisse (*per dem. §. 669. n. 2.*): Reliqui nihil est, quod ad desertionem committendam requiritur. Quare cum delictum perfectum, sive consummatum dicatur, si nihil reliqui est, quod ad illud committendum requiritur (*per definit.*): Patet, quod si miles sponte sua, invito vero auctore belli discedens, actu externo declaret se militiam deseruisse, desertionem perfecerit, sive consummaverit.

§. 671.

Quod ulterius explicatur. Hinc cum, si miles discedens quid agat, quocum militia subsistere nequit, ille actu externo declaret, se militiam deseruisse (§. 669.); In hoc casu vero desertionem perfecerit sive consummaverit miles discedens (§. 670.): *Si miles discedens quid agat, quocum militia subsistere nequit, desertionem perfecit, sive consummavit.*

§. 672.

Desertio perfici itaque dicitur, si miles sponte sua, invito vero au- *Desertionis* ctore belli discedens, actu quodam externo declaret, se militiam dese- *perfectæ s.* ruisse. Ut adeo *desertio perfecta* sive *consummata* definiri possit per dis- *consummatæ defini-* cessum militis spontaneum, invito vero auctore belli factum, & conne- *tio.* xum cum actu quodam externo, quo declaratur, quod militiam deseruerit (§. 670.), sive, quocum militia subsistere nequit (§. 671.).

§. 673.

Si miles discedens alteri se det in militiam, desertionem perficit. *Perficitur alterius militiæ susceptione.*
Cum enim quis duobus simul militare non possit (*per dem.* §. 74.): Si miles alteri se det in militiam, in militia, quam hactenus secutus fuit, simul manere nequit. Miles itaque discedens, qui alteri se dat in militiam, agit quid, quod cum militia consistere nequit; Adeoque actu externo declarat, quod militiam deseruit (§. 669.). Quare cum miles discedens, si quid agat, quod cum militia subsistere nequit (§. 671.), sive actu quodam externo declaret, se eam deseruisse (§. 670.), desertionem perficiat: Idem dicendum erit de eo, qui alteri se dat in militiam.

Quod quis duobus simul militare nequeat, exceptionem admittere videri posset in summis ducibus, qui nonnunquam militiæ plurium adhuc, quam duorum, nomen præ se ferunt. Et cum præsentis propositionis demonstratio thesi huic innitatur (*per dem.*): Videri etiam posset, quasi assertum pro generali haberi nequeat. Sæpius enim accidit, ut dux quidam belli summus unius jam servitiis adstrictus, etiam in alterius se conferat militiam, quem tamen ideo desertionem admittere, tantum abest, ut potius militiam priorem retineat. Constat vero, militiam personarum talium genere & dignitate eminentium ut plurimum honorariam magis, quam realem esse, nec ut plurimum actu præstari, sed nominetenus saltem geri. Quod si enim militia actu præstari debeat, eandem duobus vel pluribus simul præstari non posse, absque opera intelligitur. Cum itaque, ubi in scientiis versamur, non rerum species, sed ipsas res supponere liceat; Adeoque, si de militia agatur, talis, quæ actu præstari debet, non quæ honoris saltem & nominis gratia geritur, intelligi possit: Utique firmo pede nititur, quod quis duobus simul, actu scilicet, militare nequeat. Quod vero etiam dux belli summus, qui & alterius militiæ nomen suscipit, pro desertore habendus non sit, res ipsa loquitur. Fieri enim hoc non solet, neque potest, absque consensu ejus, cujus militiæ nomen jam gerit. Dici itaque nequit, quod invito illo discedat, sive alterius militiæ se dedat. Quare cum desertio non intelligatur, nisi quæ fit invito auctore belli (§. 576.); Tali definitio non competit; Neque adeo definitum (§. 256. *Log.* WOLF.). Quodsi enim ponatur, ducem belli vel summum & cujuscunque demum dignitatis invito principe alterius servitiis se addicere: Quin pro desertore haberi possit, dubitari

non poterit. Licet utique dignitati ejus tantum soleat concedi, ut leniori modo cum ipso agatur.

§. 674.

Vitæ generis alius electione.

Similiter, *si miles invito auctore belli discedens aliud vitæ genus eligat, desertionem perficit.*

Cum enim milites ad servitia continuo debeant esse parati (§. 275.), nec negotiis aliis implicari (§. 475.); Illud vero fieri nequeat, & hoc fiat, si aliud vitæ genus eligant (*quod per se patet*): Facile apparet, quod in hoc casu quid agant, quocum militia simul subsistere nequit. Quare cum miles, qui quid agit, quocum militia nequit subsistere, actu externo declaret, se eandem deseruisse (§. 669.); Et in hoc casu desertio pro perfecta habenda sit (§. 670.): Patet, quod etiam miles discedens, si aliud vitæ genus eligat, desertionem perficiat.

§. 675.

Desertionis attentatæ definitio.

Si miles actu quodam externo declaret animum a militia discedendi sive militiam deserendi, desertionem vero non perficiat: *Desertio* tantum dicitur *attentata*. Quæ adeo definiri poterit per actum militis externum, quo animum militiam deserendi declarat, quem tamen ipsa desertio, sive perfectio ejusdem non sequitur.

In genere enim delictum dicitur attentatum, si quis in actus externos ad idem committendum facientes, quibus animus illud committendi declaratur, erumpat, consummatio vero ejusdem non sequatur (*per def.*). Idem itaque etiam ad desertionem attentatam, qua speciem delicti, requiri, apparet. Suos autem gradus eandem admittere, æque intelligitur. Uti mox ostendetur.

§. 676.

Committitur præparatione.

Miles itaque, *qui quocunque modo ad desertionem committendam se præparat, eandem attentat.*

Præparatio enim ad aliquid committendum actus externos involvit, ex quibus animus illud agendi elucescit (*per hypoth.*). Si itaque miles ad desertionem quocunque modo se præparet, agit quid, quo animus illam committendi declaratur. Quare cum miles desertionem attentare dicatur, si actu externo declaret animum militiam deserendi (§. 675.): Patet, quod miles attentet desertionem, si ad eandem quocunque modo sese præparet.

Sic si miles vasa sua, qualiacunque sint, colligat, ea, quæ secum ducere non poterit, vendat, & duplici v. gr. indusio sese induat: Animum deserendi prodit. Cum enim desertor, nescius, an alibi statim conducatur,

tur, opus habeat pecunia, ut sustentare interea se possit; Præparatio vero in iis actibus consistat, qui ad aliquid agendum necessarii, illud præcedunt (*per def.*): Miles utique ad desertionem se præparare dicendus erit, qui talia suscipit.

§. 677.

Miles, qui cum discessu a mansione sua desertionem attentat, propius illam attentat. *Quando propius attentetur.*

Desertio enim in discessu militis, a militia nempe, consistit (§. 576.). Ut itaque desertio committatur, opus est discessu militis; Et eadem non consummatur, nisi discessu a militia, actu quodam externo declarato (§. 672.). Cum vero desertio jam absque discessu attentari possit (§. 676.): Facile apparet, desertionem a consummatione longius adhuc abesse, si absque discessu, quam si cum eodem attentetur; Adeoque consummationi magis appropinquare, si eadem cum discessu, a mansione nempe, quam si absque eo attentetur. Quare cum facile appareat, quod desertio propius attentata dicenda sit, si eadem ad consummationem magis accedat: Patet etiam, quod miles, qui cum discessu a mansione sua, desertionem attentat, propius illam attentet.

§. 678.

Desertio attentata delictum est. Sive: Miles, qui desertionem attentat, delinquit. *Delictum est.*

Qui enim desertionem attentat, agit quid, actu scilicet externo, quod ad eandem committendam facit (§. 675.). Cum itaque desertionem obligationi militum contrariam esse, constet (*dem.* §. 577.): Facile etiam apparet, militem, qui desertionem attentat, agere quid, & actu quidem externo, quod obligationi suæ repugnat. Quare cum milites, qui quid agunt, actu scilicet externo, qualis ad delictum requiritur (§. 664.), quod obligationibus eorum contrarium est, delinquant (§. 540.): Patet, quod miles etiam delinquat, qui desertionem attentat; Sive, quod desertio attentata delictum sit.

§. 679.

Desertio commissa dici nequit, nisi fuerit consummata sive perfecta; Sive: Desertionem commisisse dici nequit, nisi qui eandem consummavit, sive perfecit. *Desertio quando commissa dicenda sit.*

Desertionem enim commissam dici non posse, facile intelligitur, si aliquid reliquum sit, quod ad eam committendam requiritur. Ut itaque commissa dici queat, nihil hujus superesse debet. Quare cum, si nihil

nihil reliqui sit, quod ad desertionem committendam requiritur, eadem demum dicatur perfecta, sive consummata (*dem.* §. *670.*): Patet, quod desertio tunc demum dici possit commissa, sive miles eam commisisse, si fuerit consummata sive perfecta.

§. 680.

Attentata dici nequit commissa.

Qui desertionem propius attentat, actu eandem committit, jam vero commisisse dici nequit.

Cum enim desertio in discessu a militia consistat (§. 576.): Facile apparet, quod eandem actu committat; qui a militia discedit, sive qui in discessu est a militia, hoc est, qui animo militiam deserendi discedit. Quare cum desertio attentata conjuncta sit cum animo deserendi sive a militia discedendi (§. 675.); Ea vero, quæ fit cum ipso discessu a mansione, propius attentata dicatur (§. 677.): Qui desertionem propius attentat, animo militiam deserendi discedit, sive in ipso discessu est a militia. Cum itaque miles, qui est in ipso discessu a militia, desertionem actu committat (*per dem.*): Miles etiam, qui desertionem propius attentat, eandem actu committit. *Q. e. 1.*

Commisisse vero dici nequit desertionem, nisi qui eandem perfecit (§. 679.). Quare cum desertionem nondum perfecerit, qui eam saltem attentat (§. 675.): Miles, qui desertionem, propius licet, attentat, commisisse tamen eandem dici nequit. *Q. e. 2.*

§. 681.

Quando attentando non committatur.

Miles, qui desertionem absque discessu a mansione sua attentat, eandem actu committere dici nequit.

Desertio enim discessum, a militia nempe, adeoque & a mansione supponit (§. 576.); Neque hinc absque discessu committitur. Quare cum hic desertionem absque eodem attentari, uti illud fieri potest (§. 676.), ponatur (*per hypoth.*): Apparet, quod miles, qui eandem absque discessu a mansione sua attentat, eam actu committere dici nequeat.

§. 682.

Quinam pro desertore habendus.

Pro desertore haberi nequit, nisi qui desertionem aut jam commisit, aut actu saltem committit.

Cum enim desertor dicatur, qui invito auctore belli a militia discedit (§. 576.); Discessus vero hic militis a militia, desertio dicatur (*ibid.*): Facile apparet, quod desertor sit, qui desertionem committit, & adeo quoque sine dubio, qui eam jam commisit. Quare cum definitum compe-

competere nequeat, nisi cui convenit definitio, sive notæ in hac enumeratæ (§. 256. *Log. WOLF.*): Patet, quod pro desertore haberi nequeat, nisi qui desertionem aut jam commisit, aut actu saltem committat.

§. 683.

Hinc cum miles, qui desertionem absque discessu attentat, eandem actu committere dici nequeat (§. 681.), & multo minus, quod eandem commiserit (*per dem.* §. 680. *n.* 1.): Statim apparet, quod *pro desertore haberi nequeat, qui desertionem absque discessu attentat* (§. 682.). *Non qui absque discessu attentat.*

§. 684.

Contra eum *desertionem* commiserit, *qui* eandem *perfecit sive consummavit* (§. 679.): Hic etiam *pro desertore habendus est.* *Bene vero, qui consummavit.*

§. 685.

Si miles, desertionem propius attentans, deprehendatur, pro desertore recte habetur; neutiquam vero, si ante desertionem perfectam animum deferendi deponat, & sponte revertatur. *Quando propius attentans.*

Si enim miles desertionem propius attentans deprehendatur: Supponitur, quod actu adhuc versetur in attentando. Quare cum miles, qui desertionem propius attentat, actu eandem committat (§. 680.): Si talis deprehendatur, actu adhuc desertionem committit. Cum itaque is, qui desertionem actu committit, pro desertore habendus sit (§. 682.): Pro tali etiam recte habetur miles, qui desertionem propius attentans, deprehenditur. *Q. e.* 1.

Cum vero desertio absque animo deserendi & discessu non committatur (§. 668.): Si miles, qui desertionem propius licet attentavit, animum deserendi deponat, a discessu desistat, & revertatur, eundem desertionem adhuc committere, dici nequit. Et cum ante desertionem perfectam hoc fieri supponatur (*per hypoth.*); Desertio vero tunc demum commissa dici possit, si fuerit perfecta (§. 679.): Multo minus desertionem jam commisisse dici poterit. Quoniam itaque pro desertore haberi nequit, nisi qui desertionem aut jam commisit, aut actu adhuc committit (§. 682): Patet, quod miles desertionem propius licet attentans, si in eo non deprehendatur, sed animum deserendi deponat & ante desertionem perfectam revertatur, pro desertore haberi nequeat. *Q. e.* 2.

Supponitur, aliam rationem, juris præsertim positivi, hic non superaccedere, propter quam pro desertore haberi quis debeat. Nam si v. gr.

statutum sit, ut miles, qui absque venia discedens, tertio die pro desertore reputari debeat: Utique etiam talis desertor habebitur miles, qui absque venia discesserit, & post hoc demum tempus, ultro licet, revertatur, etsi vel desertionem non attentaverit; Et multo magis adeo, si propius hoc fecerit. Hoc vero in eo nititur, quod desertio in illo casu præsumatur. Id quod tamen contraria probatione elidi adhuc poterit.

§. 686.

Quis in flagranti deprehensus dicatur. Cum si delinquens in committendo delicto, sive in ipso actu, quo delictum committit, deprehendatur, in flagranti, scilicet delicto, deprehensus dicatur (*per not. & hypoth.*): *Desertor in flagranti deprehensus* dicendus erit, si deprehendatur in committendo desertionem, sive in ipso actu, quo desertionem committit.

§. 687.

Si propius attentans deprehendatur. Quare cum miles desertionem propius attentans sit in ipso actu illam committendi (§. 680.): *Si miles desertionem propius attentans deprehendatur, in flagranti deprehenditur* (§. 68;.).

§. 688.

Pro desertore habendus. Et cum miles, qui est in ipso actu committendi desertionem (§. 682.), adeoque & propius eam attentans, si deprehendatur (§. 685.), pro desertore habendus sit: *Pro desertore* etiam *habendus erit miles, qui super desertione in flagranti deprehenditur* (§. 686. 687.).

§. 689.

Quando miles discedens pro desertore habendus. *Miles a mansione sua discedens, qui actibus externis declarat, quod animo militiam deserendi discedat, si deprehendatur, pro desertore recte habetur.*

Cum enim hic ponatur, quod miles animum militiam deserendi actu externo declaret (*per hypoth.*): Apparet eundem desertionem attentare (§. 675.). Ponitur vero simul, quod hoc faciat discedens a mansione sua (*per hypoth.*). Desertionem itaque cum discessu a mansione sua, adeoque propius attentat (§. 677.). Quamobrem cum miles propius attentans desertionem pro desertore recte habeatur, si deprehendatur (§. 685.): Patet, quod pro eo habendus etiam sit miles, qui a mansione sua discedens actibus externis declarat, quod animo deserendi discedat, si nempe deprehendatur.

§. 690.

Si quid agit militiam tollens. *Si miles discedens quid agat, quocum militia subsistere nequit, pro desertore recte habetur.*

Si

Si enim miles diſcedens quid agat, quocum militia ſubſiſtere nequit, declarat, quod vel actu militiam deſeruerit, vel animo ſaltem eam deſerendi diſceſſerit (§. 669.). Quare cum miles diſcedens, qui actu externo vel animum deſerendi declarat, pro deſertore recte habeatur (§. 689.): Pro eodem etiam utique habendus erit, qui quid agit, quocum militia ſubſiſtere nequit.

§. 691.

Si miles longo tempore absque venia, vel ultra veniam abſit, pro deſertore recte habetur. *Qui longo tempore abeſt.*

Cum enim milites ad ſervitia continuo parati, adeoque quoquo tempore præſto eſſe debeant (§. 275.): Diuturna abſentia absque venia cum militia ſubſiſtere nequit. Milites itaque, qui longo tempore abſunt, & quidem ſponte ſua, invito vero auctore belli, quid agunt, quocum militia nequit ſubſiſtere. Militem vero, qui absque, vel ultra veniam abeſt, ſponte quidem ſua, invito vero auctore belli abeſſe, facile intelligitur (§. 277.). Et cum abſit (*per hypoth.*): Eundem diſceſſiſſe, a manſione nempe ſua, ſimul apparet. Quamobrem cum miles diſcedens, qui quid agit, quocum militia ſubſiſtere nequit, pro deſertore habendus ſit (§. 690.): Patet, quod pro eodem recte etiam habeatur miles, qui longo tempore absque vel ultra veniam abeſt.

Legibus poſitivis definiri ſolet tempus, a quo miles absque venia diſcedens pro deſertore habeatur. Sic jure patrio ſtatutum eſt, ut tertio die hoc fiat. Cum enim miles, qui absque venia diſcedit, vel ultra eam emanet, emanſor quidem ſit (§. 660.), adeoque delinquat (§. 661.): Pro deſertore tamen ſtatim haberi nequit (§. 662.). Quare cum deſertio gravius delictum ſit emanſione; Adeoque poena etiam graviori plectendum (§. 626. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Noſſe utique intereſt, ex quo tempore emanſor pro deſertore debeat haberi.

§. 692.

Si miles absque venia diſcedens reducere ipſum volentibus reſiſtat, ſive contra eosdem ſe defendat, pro deſertore recte habetur. *Qui reduci ſe pati non vult.*

Si enim miles absque venia diſcedens reduci ſe detrectat, & potius reſiſtit iis, qui reducere ipſum volunt, actu externo declarat, quod reverti nolit. Si vero non revertatur, eundem militiam debere deſerere, facile patet. Si itaque diſcedens reduci ſe non patiatur, declarat animum deſerendi. Diſcedendo vero hoc fieri a milite, & eundem deſuper deprehendi ſupponitur (*per hypoth.*). Quare cum ſi miles diſcedens actu externo declarat animum militiam deſerendi, ſi deprehendatur,

tur, pro desertore habendus sit (§. 689.): Patet etiam, quod pro tali recte habeatur miles, qui absque venia discedens resistit, reducere eum volentibus.

§. 693.

Non qui sponte revertitur.

Miles, qui animo quidem deserendi discedit, ante vero desertionem perfectam animum hunc deponit, & sponte revertitur, delinquit quidem, alia vero causa non accedente, pro desertore proprie habendus non est.

Cum enim miles animo deserendi discessisse supponatur (*per hypoth.*); Discessus vero actum externum efficiat: In casu præsenti militem actu externo declarasse animum deserendi sumitur. Desertionem vero non perfecisse, simul ponitur. Quare cum miles, qui actu externo declarat animum militiam deserendi, desertionem vero non perficit, attentasse eam dicatur (§. 675.); Attentatum vero desertionis delictum sit (§. 678.): Utique etiam miles, qui animo deserendi discedit, ante vero desertionem perfectam revertitur, delinquit. *Q. e. 1.*

Cum vero hic militem discedere ponatur (*per hypoth.*); Adeoque desertio cum discessu attentetur (*per dem. n. 1.*): Miles, qui animo deserendi discedit, desertionem propius attentat (§. 677.). Quare cum miles desertionem propius attentans pro desertore haberi nequeat, si ante desertionem perfectam animum deserendi deponat, & sponte revertatur (§. 685.): Patet, quod miles, qui animo deserendi quidem discessit, desertione vero nondum perfecta, animum illum deponit & revertitur, pro desertore habendus non sit, licet delinquat. *Q. e. 2.*

Supponitur merito aliam rationem juris præsertim positivi non accedere, propter quam quis pro desertore recte habeatur. Sic si v. gr. statutum sit, ut miles, qui absque venia discedit, tertio die pro desertore æstimetur (*schol* §. 691.): Utique etiam desertor habebitur miles, qui absque venia discessit, si post hoc demum tempus, ultro licet, revertatur.

§. 694.

Aut ex alia ratione discedit.

Si miles discedens absque venia actu externo declaret sive probet se ex alia, quam militiæ deserendæ ratione discedere, pro desertore haberi nequit.

Pro desertore enim miles a mansione sua discedens, tunc demum habetur, si actibus externis declaret, quod animo deserendi discedat (§. 689.). Quare cum hic non supponatur, quod hoc actu externo declaret, sed contrarium potius, nempe quod ex alia ratione, quam militiam deserendi animo discedat (*per hypoth.*): Patet etiam, quod pro desertore talis haberi non possit.

Aliter.

Aliter.

Desertio enim absque animo deserendi, actu externo declarato, non committitur (§. 668.). Quare cum hic ponatur, militem discedentem non animum deserendi sed aliam discessus sui rationem actu externo declarare (*per hypoth.*): Pro eo, qui desertionem committat, haberi non poterit. Quare cum pro desertore haberi nequeat, qui desertionem non committit, aut commisit (§. 682.): In casu etiam dato miles pro eodem habendus non erit.

§. 695.

Si miles, qui cum venia discessit, a mansione sua, ultra illam vero emanet, sive alibi divergit, actu externo declaret, se hoc facere animo deserendi, pro desertore utique habendus est. *Bene vero, qui ultra veniam emanet, vel alibi divergit.*

Cum enim venia in permissione militi data a mansione sua discedendi consistat (§. 277.): Si miles cum venia discedat a mansione sua, dici quidem nequit, quod invito auctore belli discesserit; Neque adeo pro desertore habendus est (§. 576.). Quod si vero miles ultra veniam emaneat, vel alibi discedat, idem est ac si absque venia absit sive discesserit (*dem.* §. 658. 659.): Cum venia ad certum tantum tempus vel locum indulta intelligatur. Licet itaque hic ponatur, militem cum venia discessisse (*per hypoth.*): Si tamen ultra eam emaneat vel alibi divergat, utique habendus est pro tali, qui absque venia abest sive discessit. Quare cum si miles absque venia a mansione sua discedens actu externo declaret, se hoc facere animo deserendi, pro desertore habeatur (§. 689.): Patet etiam, quod si miles, qui cum venia quidem discessit, ultra eam vero emanet, vel alibi divergit, actu externo declaret, se animo deserendi hoc facere, pro desertore habendus sit.

§. 696.

Si miles cum venia discedens, intra veniae terminos quid agat, quocum militia subsistere nequit, pro desertore habendus est. *Quando etiam durante venia.*

Cum enim militem cum venia discedere, hic supponatur (*per hypoth.*); Adeoque dici nequeat, quod invito auctore belli discesserit (§. 277.): Videri posset, quasi miles, qui cum venia discedit, durante eadem pro desertore haberi nequeat: Cum in desertore discessus invito auctore belli susceptus supponatur (§. 576.). Cum vero venia sit saltem permissio discedendi a mansione, neutiquam vero a militia (§. 277.), uti dimissio (§ 297.): Si miles veniam nactus a militia discedat, utique invito auctore belli discedere dici potest. Militem vero discedentem, si

 quid

quid agat, quod cum militia subsistere nequit, a militia discedere apparet (§. 669.); Miles itaque etiam cum venia discedens, si durante venia quid agat, quo militia tollitur, invito auctore belli discedere dici potest. Si vero miles, invito scilicet auctore belli, discedens, quid agat, quocum militia subsistere nequit, desertionem perficit (§. 671.). Quare cum miles, qui desertionem perfecit, pro desertore habeatur (§. 684.): Patet, quod pro eodem etiam habendus sit miles, qui cum venia discedens quid agit, quocum militia nequit subsistere.

Non infrequens etiam est locutio, militem in vel cum venia deseruisse. Quod in specie fit ab iis, qui veniam in aliquem saltem locum eundi nacti, alibi & vel extra territorium se convertunt, & cum ultra simplicis emansionis terminos emaneant, eo declarent animum militiam deserendi. Cum hi alibi discedere supponantur, quam ipsis concessum est: Invito auctore belli discedere eo clarius apparet (*dem.* §. 659.). Fieri vero etiam potest, ut locum veniæ non egrediatur miles, & tamen quid agat, quocum militia non subsistit. Sic si v. gr. in aliam regionem, ex qua oriundus est miles, cum venia missus ibidem militiæ se dedat. Non ad eum itaque saltem, qui locum veniæ egreditur, restringenda fuit propositio, sed ita generaliter formanda, ut casus hic etiam sub eadem comprehendatur.

§. 697.

Si alii se det in militiam.

Si itaque miles cum venia discedens alteri se det in militiam, pro desertore recte habetur, licet vel venia finita revertatur, & vel adeo militiam hanc denuo reliquerit.

Si enim miles alteri se det in militiam, agit quid, quocum militia subsistere nequit (*dem.* §. 673.). Quare cum si miles cum venia licet discedens, & vel durante eadem tale quid agat, pro desertore habendus sit (§. 696.): Statim etiam apparet, quod pro eodem recte habeatur miles, qui cum venia discedens, & vel intra hujus terminos alii se det in militiam. *Q. e. 1.*

Licet vero ponatur, talem venia finita ultro reverti, militiam priorem denuo amplexurus (*per hypoth.*); Adeoque videri posset, cum ultra tempus concessum non abfit, nec invito auctore belli cum discessisse; Neque propterea pro desertore haberi posse: Desertionem tamen vere perfecit (§. 673.); Adeoque cum factum infectum fieri nequeat (*per vulg.*): Neque desertio consummata eo fit infecta, quod miles revertatur, & militiam, quam injuste subiit, iterum relinquat. Quare cum, qui desertionem perfecit, pro desertore habendus sit (§. 684.): Patet, quod pro tali recte etiam habeatur miles, qui durante venia alienam

mili-

militiam suscipit, etsi venia finita ultro revertatur, & militiam injuste susceptam relinquat. *Q. e. 2.*

Ex militiæ alterius susceptione desertio alio quidem etiam modo sequi potest. Cum enim militia ad tam breve tempus iniri non soleat, ad quod, saltem plerumque, venia conceditur: Miles, qui alienæ militiæ se dedit, venia finita hanc remittere, aut reverti saltem pro lubitu non poterit. Quodsi vero etiam ponatur, illum reverti consentiente novo domino posse, vel ipso invito discedere & militiam ejusdem deserere, adeoque veniæ tempus non excedere: Hoc tamen non obstante pro desertore, uti jam ostensum fuit, recte habebitur. Aliud vero plane est in præfectis militum superioribus, quibus quandoque permittitur, militiam alibi voluntariorum instar præstare. Cum enim specialis permissio facto huic accedat (*per hypoth.*): Dici nequit, quod invito auctore belli fiat; Nec pro facto, quocum militia non subsistat, haberi poterit: Cum ab hujus actuali præstatione talis ad tempus solvatur, consentiente nempe belli domino.

§. 698.

Ante desertionem attentasse quis censendus.

Miles, qui absque venia discedit, aut ultra eam emanet, aut alibi divergit, si sponte revertatur, pro desertore quidem absque alia causa superaccedente haberi nequit, desertionem tamen attentasse recte censetur, si alias absentiæ suæ rationes allegare non poterit.

Cum enim miles, qui & animo deserendi discedit, pro desertore habendus non sit, si ante desertionem perfectam sponte revertatur (§. 693.); Hic vero animus deserendi in discedente nondum ponatur (*per hypoth.*): Multo minus miles pro desertore statim haberi poterit, qui absque venia discedat, ultra eam emaneat, aut alibi divergat, modo sponte revertatur. *Q. e. 1.*

Cum vero aliæ accedere possint causæ, propter quas miles, qui vel absque venia, vel ultra veniam abest, pro desertore habeatur, uti si vel longo tempore absit (§. 691.), vel actu externo animum deserendi declaret (§. 695.): Patet, quod hoc demum intelligendum sit, si talis causa non accedat. *Q. e. 2.*

Quoniam autem porro nihil est, vel fit sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit aut fiat (§. 70. *Ontol. WOLF.*): Ratio etiam adesse debet, cur miles vel sine venia discesserit, vel ultra eam emanserit, vel alibi divagatus sit. Cum vero cuique rationes, cur quid faciat, optime debeant esse notæ (*quod per se patet*): Miles, qui vel sine vel ultra veniam abfuit sive discessit, optime etiam nosse debet rationes, cur illud fecerit. Quodsi vero probabiles absentiæ suæ rationes allegare non poterit: Probabiliter eas colligere, adeoque præsumere licebit (§. 245.

Part.

Part. 2. Jur. nat. WOLF.). Si vero rationes nullæ peculiares prostant, præsumendum est id, quod plerumque fit (§. *248. loc. cit.*). Quare cum hic aliæ rationes peculiares & probabiles non supponantur (*per hypoth.*): Ratio alia præsumi nequit, cur miles vel sine venia discesserit, vel ultra eam emanserit, quam ex qua plerumque hoc fieri solet. Cum vero ipsa desertio in discessu militis invito auctore belli suscepto consistat (§. 576.); Ordinario etiam milites absque venia discedentes, vel ultra eam emanentes, aut alibi divergentes, animo deserendi hoc faciant (*per exper.*): Si miles vel absque venia discedat, vel ultra emaneat, aut alibi divergat, præsumi etiam aliud nequit, quam quod animo deserendi illud egerit, si nempe rationes aliæ non appareant. Quod hic non supponitur. Actu itaque externo, qualis est discessus, animum deserendi declaravit. Illum vero sponte reverti & desertionem saltem non perfecisse itidem sumitur (*per hypoth.*). Quamobrem cum si miles actu quodam externo animum deserendi militiam declaret, desertionem vero non perficiat, attentare eandem dicatur (§. 675.): Apparet etiam, quod miles eandem attentasse recte censeatur, si absque venia discedat, vel ultra eam emaneat, aut alibi divergat, & absentiæ suæ rationes alias probabiles allegare nequeat. *Q. e.* 3.

§. 699.

In specie quando emansor. Quare cum miles, qui absque venia a mansione sua abest, vel ultra eam emanet, aut alibi discedit, emansor dicatur (§. 660.): *Emansor si sponte revertatur, alia causa non superaccedente pro desertore quidem haberi nequit; Si vero rationes alias absentiæ suæ allegare non poterit, desertionem attentasse recte censetur* (§. 698.).

§. 700.

Quando pro desertore habendus. *Si emansor deprehensus reverti detrectet & reduci se non patiatur ab iis, qui ipsum deprehendunt, pro desertore recte habetur.*

Cum enim desertio fiat animo militiam deserendi (§. 668.); Adeoque non revertendi (*quod per se patet*): Si emansor deprehensus reverti detrectet, animum deserendi utique declarat. Emansorem vero a mansione sua discedere, constat (§. 660.). Quare cum miles a mansione sua discedens, qui actu externo animum deserendi declarat, pro desertore recte habeatur, si deprehenditur (§. 689.): Pro eodem etiam habendus erit emansor, deprehensus, si reverti detrectet, & reduci se pati nolit ab iis, qui ipsum deprehendunt.

§. 701.

§. 701.

Si miles, qui ad certum tempus & locum veniam impetravit, animo deferendi alibi discedat, vel animum eundem alio declaret modo, desertionem autem non perficiat, sed venia exspirante redeat, desertionem quidem attentasse censendus est, pro desertore vero haberi nequit. *Quandonam miles desertionem attentet intra veniam.*

Miles enim, qui actu externo declarat animum militiam deserendi, desertionem vero non perficit, eandem attentasse tantum dicitur (§. 675.). Quare cum hic supponatur, militem, qui veniam nactus est ad certum tempus & locum, alibi quidem discedere, eoque vel alio modo animum deferendi declarare, sed desertionem non perficere & redire (*per hypoth.*): Patet, quod talis desertionem attentasse quidem censendus sit. *Q. e. 1.*

Cum vero miles, qui animo deserendi discedit, sive desertionem attentat, ante vero desertionem perfectam redeat, pro desertore haberi nequeat (§. 693.): Simul apparet, quod multo minus pro tali habendus sit miles, qui cum venia discedens, animum quidem deserendi declaret, desertionem vero non perficiat, & vel ante veniam expirantem redeat. *Q. e. 2.*

§. 702.

Si miles non ad diem commeatus, sed serius revertatur, emansor quidem est, adeoque si dolus aut culpa ejus subsit, delinquit, non vero pro desertore statim habendus. *Si ad diem commeatus non reversus.*

Cum enim commeatus dicantur literæ, quæ militi in testimonium veniæ impetratæ dantur (§. 278.): Militem, qui non ad diem commeatus, sed serius revertitur, ultra veniam emanere, facile intelligitur. Quare cum miles, qui ultra veniam emanet, emansor dicatur (§. 660.): Patet, quod miles etiam, qui non ad diem commeatus, sed serius revertitur, emansor sit. *Q. e. 1.*

Quare cum emansio delictum sit (§. 661.), supposito scilicet, quod dolo vel culpa fiat (*schol. ib.*): Apparet simul, quod talis, si nempe dolo aut culpa, nec forsan necessitate quadam externa impeditus debito tempore non revertatur, delinquat. *Q. e. 2.*

Cum vero emansor, si revertatur, alia causa non accedente, pro desertore haberi nequeat (§. 699.); Alia vero causa, quæ desertorem constituit, hic non supponatur (*per hypoth.*): Intelligitur etiam, quod miles non ad diem commeatus, sed serius rediens pro desertore statim habendus non sit. *Q. e. 3.*

Optime consentit cum hac & aliis thesibus constitutio juris romani, dum pronunciat, *si ad diem commeatus quis non veniat, perinde in eum statuendum esse, ac si emansisset, vel deseruisset, pro numero temporis: Facta prius copia docendi, num forte casibus quibusdam detentus sit, propter quos venia dignus videatur* (*l.* 3. §. 7. *ff. de Re milit.*). Crassa itaque nimis applicatione hujus legis milites ad diem commeatus non revertentes, nullo habito discrimine, ad desertores, vel capitali poena afficiendos, referre videtur SCHOEPFER (§. 65. *cap.* 2. *Diss. de Milite des.*), sibimetque ipsi contradicere, dum inter desertorem & emansorem differentiam tamen admittat (§. 45. *cap.* 1. *loc. cit.*). Quod enim dicatur, in talem statuendum esse, ac si emansisset, vel *deseruisset*: Illud non indistincte sumendum esse, facile intelligitur. Additur enim *pro numero temporis, & facta prius copia docendi, num forte casibus quibusdam detentus sit.* Quare cum & in anterioribus sit demonstratum, militem, si longo tempore ultra veniam absit, pro desertore recte haberi (§. 691.), & in emansore etiam rationes aliæ probabiles attendendæ sint (§. 698.): Principiis antea stabilitis dispositionem hanc juris convenire apparet.

§. 703.

Si miles animum deferendi saltem habuerit.

Si miles animum deserendi habuerit, actibus vero externis illum non declaraverit, pro desertore haberi nequit.

Ad desertionem enim animus deserendi non sufficit, sed requiritur etiam, ut hic actu quodam externo declaretur (§. 668.), Qui itaque animum deserendi actibus externis nondum declaravit, desertionem committere aut commisisse dici nequit. Quare cum pro desertore haberi nequeat, nisi qui desertionem aut committit aut commisit (§. 682.): Patet, quod talis dici nequeat miles, qui animum saltem deserendi habuit, actu vero quodam externo illum nondum declaravit.

§. 704.

Desertionis propositæ definitio.

Si miles animum saltem habuerit deserendi, actu vero externo eundem nondum declaraverit, *Desertio* saltem dicitur *proposita*. Quæ adeo definiri poterit per animum deserendi actu externo nondum declaratum.

§. 705.

Attentata dici nequit.

Miles itaque, qui desertionem tantum sibi proposuit, eandem attentasse dici nequit, nec pro desertore haberi.

Attentare enim dicitur desertionem miles, qui actu quodam externo animum deserendi declarat (§. 675.). Quare cum miles, qui desertionem tantum sibi proposuit, animum deserendi actu externo nondum declarasse ponatur (§. 704.): Patet, quod talis desertionem attentasse dici nequeat. *Q. e. i.*

Et

Et cum nec pro desertore haberi possit miles, qui animum deserendi actu externo non declaravit (§. 703.): Nec pro eodem haberi poterit, qui desertionem tantum sibi proposuit. *Q. e. 2.*

§. 706.

Si miles de desertione facienda tantum cogitaverit, aut secum etiam deliberaverit, nondum vero animo secum eandem decreverit, desertionem sibi proposuisse dici nequit. *Quando desertio proposita dici nequeat.*

Propositum enim decretum animæ sive actum voluntatis involvit (§. *503. Part. 1. Theol. nat. WOLF.*); Cogitatio vero, quemadmodum etiam deliberatio, sive consultatio (§. *499. loco cit.*), non idem, sed ad intellectum saltem spectat (§. *23. Psychol. emp. WOLF.*). Quare cum hic supponatur, militem de desertione facienda saltem cogitare, aut secum deliberare, nondum vero eam animo secum decernere (*per hypoth.*): Patet etiam, quod desertionem sibi proposuisse dici nequeat, qui de eadem admittenda saltem cogitat, nondum vero animo eandem secum decernit.

§. 707.

Si miles de desertione forsan suscipienda saltem cogitet, aut secum deliberet, eandem vero animo nondum decernat, *Desertio* dicitur *cogitata.* Quæ definiri adeo poterit per cogitationem sive deliberationem de desertione forsan suscipienda cum decreto animæ nondum conjuncta. *Desertionis cogitatæ definitio.*

§. 708.

Miles itaque, qui de desertione saltem cogitavit, eandem attentasse minime dici, multo minus pro desertore haberi poterit. *Dici nequit attentata.*

Miles enim, qui de desertione saltem cogitat, eandem sibi proposuisse dici nequit (§. 706.). Miles vero, qui desertionem vel sibi jam proposuit, eandem tamen attentasse dicendus non est, neque pro desertore haberi potest (§. 705.). Multo minus itaque illud dici poterit de eo, qui de desertione saltem cogitavit.

§. 709.

Desertio tam proposita, quam cogitata pro delicto haberi nequit. *Cum proposita delictum non sit.*

Cum enim desertio cogitata nondum dici possit proposita (§. 706.); Proposita vero etiam actus externos nondum supponat (§. 704.): Utramque solo animo saltem consistere, & ad actus tantum internos referri debere, facile apparet. Quare cum delictum solo animo non committatur, sed ad illud actio quædam externa requiratur, qua animus delin-

quendi declaratur (§. 664.): Patet, quod desertio tam proposita, quam cogitata solum, pro delicto haberi nequeat.

Hoc ad effectum saltem poenæ positivæ dici posse, facile apparet. Hinc ipso etiam jure civili dicitur, quod cogitationis poenam nemo patiatur (*l. 18. ff. de Pœnis*). Cum vero judicio divino & vel cogitationes subjaceant: Propositum etiam & vel sola cogitatio de delicto aliquo committendo, licet non delictum, peccatum tamen est, vindictæ divinæ subjectum. Quod vero actus internus nec ideo delictum efficiat, quod ab eodem periculum immineat, ostendit *perill. L. B. de WOLF* (*schol. ad §. 643. Part. 8. Jur. nat.*).

§. 710.

Si plures simul deserant, quid præcedat.

Si plures simul deserant, illi inter se antea debent consentire in desertionem simul faciendam.

Si enim plures simul deserant: Eosdem idem agere facile apparet. Cum vero desertio delictum verum sit (§. 667.); Neque adeo absque animo committatur (§. 665.): In desertoribus voluntas sive animus deserendi supponitur. Si itaque plures una deserunt: Velle debent idem, quod volunt alii. Quare cum qui vult, ut fiat, quod fieri vult alter, consentire dicatur (§. 658. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Patet, quod si plures simul deserant, illi inter se antea consentire debeant in desertionem simul faciendam.

§. 711.

Conspirationis ad desertionem definitio.

Hinc cum, si plures in idem delictum simul committendum consentiant, conspirare dicantur (*per def.*); Desertio vero sit delictum (§. 577.): Si milites plures in desertionem simul faciendam consentiant, ad eandem eos conspirare, apparet. Ut adeo *Conspiratio ad desertionem* sit consensus plurium in desertionem simul committendam.

Stilo militari, vocabulo licet barbaro, dici solet *ein Desertions-complot.*

§. 712.

Præcedit desertionem plurium.

Desertionem itaque *plurium præcedere debet conspiratio.*

Si enim plures simul deserunt, iidem antea consentire debent in desertionem simul faciendam (§. 710.). Quare cum consensus plurium in desertionem simul faciendam conspiratio dicatur (§. 711.): Statim patet, quod conspiratio desertionem plurium debeat præcedere.

Non vero quis sibi persuadeat, militibus hic imponi conspirandi necessitatem. Cum enim non debeant deserere; Conspiratio vero desertionis gratia fiat (§. 711.): Facile etiam intelligitur, quod nec debeant conspirare, sive hoc ipsis licere nequeat. Dum itaque dicitur, quod desertionem

nem plurium præcedere debeat conspiratio: Aliud nihil asseritur, quam quod desertio plurium fieri nequeat sine prævia conspiratione, sive illa hanc requirat.

§. 713.

Inter eos, qui simul deserunt, adesse debet unus vel plures, qui faciunt, ut ad desertionem alii commoveantur. *Desertio plurium quid involvat.*

Si enim plures simul deserunt, iidem antea in desertionem faciendam consentire debent (§. 710.). Ut quis vero consentiat in aliquid, opus est, ut fieri velit, quod fieri vult alter (§. 658. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Si itaque quis consentire debeat, necesse est, ut sciat, quid alter fieri velit. Cum vero de alterius voluntate non constet, nisi eadem verbis aut factis declaretur (§. 660. *loco cit.*): Ut desertio a pluribus simul suscipiatur, opus est, ut unus vel plures voluntatem suam deserendi declarent aliis, qui per hanc declarationem ad consensum suum in desertionem simul suscipiendam commoveantur. Facto itaque illorum fit, vel fieri saltem supponitur, ut & alii ad desertionem perducantur. Cum vero hoc in omni desertione a pluribus simul suscipienda locum habere debeat (*per dem.*): Patet, quod inter eos, qui simul deserunt, unus vel plures esse debeant, qui faciunt, ut alii ad desertionem simul commoveantur.

§. 714.

Qui facit, ut ad desertionem simul cum ipso suscipiendam alius commoveatur, auctor desertionis est. *Quisnam sit auctor desertionis.*

Desertio enim delictum est (§. 577.). Qui itaque facit, ut alius simul cum ipso deserat, ille facit, ut alius cum ipso simul delinquat. Quare cum is, qui facit, ut & alii delinquant, auctor delicti dicatur (§. 626.): Patet, quod auctor desertionis sit, qui facit, ut alius cum ipso deserat, sive ad desertionem simul suscipiendam commoveatur

§. 715.

Hinc cum is, qui facit, ut alius ad delinquendum commoveatur, seducere cum dicatur (*per def.*): *Qui alium ad desertionem cum ipso simul faciendam seducit, auctor ejusdem est.* *Is, qui alterum seducit.*

§. 716.

Et porro cum desertio delictum militare sit (§. 587.); Auctores vero delictorum militarium gravius delinquant iis, qui per ipsos ad eadem commoventur (§. 628.); *Qui facit, ut ad desertionem simul facien-* *Gravius delinquit seducto.*

dam alius commoveatur, sive, qui alium ad eandem seducit, gravius delinquit eo, qui seductus deserit.

§. 717.

Quid, si desertio non sequatur invitationem?

Miles, qui alterum ad desertionem secum faciendam invitat, aut in genere seducere conatur, eo delinquit, licet hic non consentiat, sive desertio actu non sequatur.

Miles enim, qui alterum ad desertionem secum faciendam invitat, eundem ad hanc seducere intendit. Animum vero hunc suum expresse, adeoque actu externo declarat, dum ipsum invitat, quod verbis fieri constat. Licet itaque ponatur, quod alter consentire nolit, sive desertio actu non sequatur (*per hyp.*); Adeoque seductio non perficiatur: Miles tamen, qui alterum ad desertionem invitat, id agit, quod ad eandem facit. Seductionem vero ad desertionem delictum esse, in aprico est (§. 716.). Quare cum delictum dicatur attentatum, si quis in actus externos ad idem committendum facientes erumpat, consummatio vero ejusdem non sequatur (*schol.* §. 675.): Seductio etiam attentata dicenda erit, si miles id egerit, quod ad eam committendam facit, eadem vero actu non sequatur. Delictum vero, modo licet attentatum, attamen delictum est (*per dem.* §. 678.). Atque hinc patet, quod miles, qui alterum ad desertionem invitat, sive in genere seducere conatur, delinquat, etsi hic non consentiat, aut desertio actu non sequatur.

§. 718.

Desertio conspirationem necessario non sequitur.

Ut desertio conspirationem ad eandem actu sequatur, absolute non requiritur.

Fieri enim potest, ut ii, qui in desertionem conspirarunt, vel sponte desistant ab illius executione, vel ante desertionem susceptam detegantur, adeoque vel inviti ab eadem desistere cogantur (*per exper.*). Facta igitur conspiratione ad desertionem, æque possibile est, ut hæc sequatur, quam non. Quare cum necessarium dici nequeat, cujus contrarium æque possibile est (§. 279. *Ontol. WOLF.*): Facile apparet, quod absolute non requiratur, sive opus non sit, ut desertio actu sequatur conspirationem ad eandem.

§. 719.

Hæc pro desertione attentata habenda.

Conspiratio ad desertionem plus est desertione proposita, & vel pro attentata haberi poterit.

Conspiratio enim in consensu, in desertionem nempe, consistit (§. 711.). Consensus vero verbis vel factis declaratur (§. 660. *Part. 1. Phil. pract. univ.*

univ. WOLF.); Adeoque non solo animo deserendi nititur. Quare cum desertio proposita solo animo deserendi, actibus externis non declarato, absolvatur (§. 704.): Patet, quod conspiratio ad desertionem plus sit desertione proposita. *Q. e. 1.*

Cum itaque eadem non solo animo deserendi contineatur, sed hic actu externo declaretur (*per dem. n. 1.*); Si vero animus deserendi actu quodam externo declaretur, desertio dicatur attentata (§. 675.): Apparet, quod pro desertione attentata haberi poterit. *Q. e. 2.*

Aliter.

Conspiratio ad desertionem præparatoria ejusdem est (§. 711.). Quare cum desertionem attentet, qui quocunque modo se ad eam præparet (§. 676.): Patet, quod pro desertione attentata haberi poterit conspiratio ad eandem.

§. 720.

Conspiratio ad desertionem delictum & quidem militare est, etsi etiam hæc actu non sequatur. *Delictum est, desertione licet non secuta.*

Desertio enim obligationi militum contrariatur (*dem.* §. 577.). Quare cum conspiratio ad desertionem faciendam tendat (§. 711.): Eandem obligationi militum contrariam esse apparet. Non vero solo animo absolvitur, sed actus externos supponit (*per dem.* § 719.). Conspiratio itaque ad actiones externas referenda est. Quare cum actio, externa scilicet, obligationi cujusdam contraria delictum dicatur (*def.* §. 540.): Patet, quod conspiratio ad desertionem delictum sit. *Q. e. 1.*

Sive brevius. Conspiratio ad desertionem pro desertione attentata haberi poterit (§. 719.). Quare cum desertio attentata delictum sit (§. 678.): Idem de illa apparet. *Q. e. 1.*

Desertionem vero non nisi a milite committi, facile intelligitur (§. 576.). Quare cum conspiratio ad desertionem eandem intendat (§. 711.): Nec hæc ab aliis, quam militibus, agitatur. Cum itaque delictum sit (*per dem. n. 1.*); Delictum vero, quod non nisi a milite, hoc est, a milite, qua tali, committitur, militare dicatur (§. 543.): Eadem etiam delictum militare est. *Q. e. 2.*

Cum vero ad conspirationem non requiratur, ut desertio eam actu sequatur (§. 718.): Apparet, quod eadem nihilominus delictum sit, licet desertio non sequatur actu. *Q. e. 3.*

§. 721.

§. 721.

Quid conspiratio involvat. *In conspiratione ad desertionem adesse debet unus vel plures, qui faciunt, ut reliqui in desertionem simul faciendam consentiant.*

Ut enim plures in idem consentiant, requiritur, ut sit unus vel plures, qui quid fieri velint, declarent (*per dem.* §. 713.). Quare cum conspiratio ad desertionem in consensu plurium in idem, desertionem nempe simul committendam consistat (§. 711.): Ad eandem etiam requiritur, ut unus vel plures declarent animum deserendi aliis, qui eo ad consensum suum commoventur. Facto itaque illorum fit & fieri supponitur, ut in desertionem alii consentiant. Quare cum per hunc consensum conspiratio demum oriatur (§. *cit.*): Patet, quod in conspiratione ad desertionem adesse debeat unus vel plures, qui faciunt, ut reliqui in desertionem simul faciendam consentiant.

§. 722.

Quisnam ejus auctor sit. *Qui facit, ut alii ad conspirationem commoveantur, auctor ejusdem est.*

Conspiratio enim ad desertionem delictum est (§. 720.): Qui itaque facit, ut alii ad eandem commoveantur, efficit, ut alii cum ipso delinquant. Quare cum is, qui hoc efficit, auctor delicti dicatur (§. 626.): Patet, quod is, qui facit, ut alii ad conspirationem commoveantur, auctor sit ejusdem.

§. 723.

Gravius is delinquit. Hinc cum conspiratio ad desertionem delictum militare sit (§. 720.); Auctores vero delictorum militarium gravius delinquant iis, qui per eos ad eadem commoventur (§. 628.): *Qui facit, ut ad conspirationem alii commoveantur, sive auctor ejusdem, gravius delinquit iis, qui saltem consensum suum præbent.*

§. 724.

Reticendo desertionem delinquitur. *Miles, qui conscientiam habet desertionis, quæ ab uno vel pluribus intenditur, delinquit, si eam reticeat, neque aperiat.*

Milites enim obligantur ad omnia, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt (§. 157.). Cum vero obligationes militum in genere ad bellum gerendum tendant (*schol. ibid.*): Ad hoc necessarium est, ut singuli obligationibus suis satisfaciant. Obligantur itaque etiam milites, quantum in ipsis est, ad efficiendum, ut alii hoc faciant, adeoque ad impediendum, quantum possunt, ne obligationibus suis adversentur. Per desertionem vero milites obligationi suæ generali contrarium agere, liquet

liquet (*per dem.* §. 577.). Obligantur itaque etiam milites ad impediendum, quantum ipsis datur, ne alii deserant. Impediri vero hoc potest, si desertio, quæ ab uno vel pluribus intentatur, detegatur ab eo, qui ejusdem conscientiam habet (*quod per se patet*). Obligatur itaque etiam talis ad eam detegendam; Adeoque eum obligationi suæ adversari, si illam reticeat, apparet (§. 536.). Quare cum milites, si obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Patet, quod miles etiam, qui conscientiam habet desertionis, quæ ab uno vel pluribus intentatur, delinquat, si eam reticeat, neque aperiat.

Sufficere equidem videri posset, si is, qui conscientiam habet desertionis ab aliis committendæ, eos dehortetur, ne eandem perficiant, sed ut potius ab animo suo desistant. Cui dehortationi si locum concedant, desertio æque impediretur, ac si detegatur, & remedio quidem leniori, quod utique duriori præferendum est. Denunciationem enim poenam sequi constat. Cum vero intentans desertionem ipsum dehortanti facile promittet, se ab ea desistere velle, ut saltem hunc a detegendo detineat: Remedium hoc tutum non satis est, adeoque efficaciori opus ad impediendam desertionem, quam quis imminere comperit.

Nec obstat, quod delictum actionem quandam supponat; Hic vero saltem non factum, sive actionis omissio occurrat. Hanc enim æque actionem privativam licet esse (§. 24. *Part.* 1. *Phil. pract. univ. WOLF.*), & non facto etiam delinqui posse (§. 697. *ibid.*), constat. Imo etiam, qui non impedit factum alterius, quod poterat, ei hoc imputatur (§. 678. *loc. cit.*); Et factum alienum imputatur reticenti, ubi non reticendo poterat impediri (§. 679. *ibid.*).

§. 725.

Etsi in eam non consentiat.

Hinc cum facile appareat, quod miles, qui ab altero ad desertionem ab ipso intentatam invitatur, hujus notitiam acquirat; Miles vero, qui conscientiam habet desertionis ab alio intentatæ, delinquat, nisi eam aperiat (§. 724.): *Miles etiam, qui ab altero ad desertionem invitatur, etsi non consentiat, delinquit tamen, si illud reticeat, neque detegat.*

Dehortatio hic multo minus sufficiet, cum desertionem intentans sciat, quod alius hujus notitiam habeat. Quod in casu præcedenti non supponitur. Fieri enim equidem potest, præsertim in conspiratione ad desertionem, ut quis casu eandem comperiat, insciis iis, qui ejusdem participes sunt.

§. 726.

Qui alteri cohorti se addicit, desertor non est.

Miles, qui ab una cohorte discedit, & alteri ejusdem exercitus se addicit, delinquit quidem, proprie tamen desertor non est.

Cum cohorti cuique certus locus commorandi gratia assignari soleat (*per exper. & hypoth.*), Locus vero, qui militibus commorandi gratia assi-

aſſignatur, manſio dicatur (§. 276. *ſchol.*): Facile apparet, quod miles, qui a cohorte ſua diſcedit, a manſione ſua diſcedat. Quare cum miles, qui a manſione ſua diſcedit, invito nempe auctore belli, quod ſubintelligitur, delinquat (§. 657.): Miles etiam delinquit, qui cohortem ſuam deſerit, & alii ſe addicit. *Q. e. 1.*

Cum vero milites gentis cujusdam in univerſum ſumti, exercitus dicantur (§. 190.); Cohortes vero partes ejusdem conſtituant (§. 191.): Qui ab una cohorte diſcedit, & alteri unius nempe ejusdemque exercitus ſe addicit, a militia diſcedere dici nequit. Quare cum deſertor demum ſit, qui a militia diſcedit (§. 576.): Patet, quod deſertor proprie non ſit, qui ab una cohorte diſcedit, & alteri ejusdem exercitus ſe addicit. *Q. e. 2.*

Cum hic cohortes unius ejusdemque exercitus, adeoque ejusdem principis ſupponantur: Facile patet, quod alius plane caſus conſtituatur, ſi copiis auxiliaribus ſe addicat, in eodem licet tunc exercitu conſtitutis. Cum enim non perpetuum ſed temporarium quid ſaltem hoc eſſe ſoleat, ut copiæ auxiliares cum propriis unum exercitum conſtituant, & finita expeditione ſive bello illæ ab his iterum ſecedant: Miles, qui iisdem ſe addixit, militiæ domini prioris plane ſubduceretur; Adeoque utique pro deſertore recte cenſeretur.

§. 727.

Nec qui coactus diſcedit.

Si miles neceſſitate quadam externa coactus fuit ad diſceſſum a militia, pro deſertore haberi nequit, nec etiam delinquit.

Deſertio enim diſceſſum ſpontaneum a militia ſupponit (§. 576.). Cum itaque hic ſupponatur, militem neceſſitate quadam externa ad diſceſſum cogi (*per hypoth.*); Neque adeo diſceſſus ſpontaneus ſit: Facile patet, quod deſertionem non committat. Quare cum pro deſertore haberi nequeat, qui deſertionem non committit (§. 682.): Nec pro tali habendus erit miles, qui neceſſitate quadam externa coactus a militia diſcedit. *Q. e. 1.*

Cum vero milites invito auctore belli a militia diſcedere nequeant (§. 296.): Apparet, quod obligationi ſuæ contrarium agant, ſi diſcedant a militia. Neceſſitate externa vero hoc fieri, hic ſupponitur (*per hypoth.*): Quare cum milites, licet obligationibus ſuis adverſando delinquant (§. 54..), hoc tamen æque non faciant, ſi neceſſitate quadam externa vel phyſica impellantur ad iisdem contraria agenda (§. 546.): Miles etiam, qui neceſſitate quadam externa ad diſceſſum a militia cogitur, non delinquit. *Q. e. 2.*

Caſus

Casus tales recenset SCHOEPFER (§. 70. *seqq. cap.* 3. *Diss. de Milite desert.*). Quemadmodum vero miles, qui captus, cum posset, non revertitur, delinquit (§. 598.): Ita quoque apparet, quod miles, qui necessitate quidem externa ad discedendum coactus fuit, delinquat tamen, si, cum possit, non redeat; Imo cum tunc sua sponte absit, sive remaneat a militia, pro desertore habendus sit.

§. 728.

Qui non proprie ad militiam, sed ad militibus saltem auxilia præbenda obligantur, delinquunt quidem, pro desertoribus vero haberi nequeunt, si absque dimissione discedant. ***Nec qui ad militiam proprie non obligantur.***

Cum enim desertio in discessu a militia consistat (§. 576.); A militia vero discedere dici nequeunt, qui ad eam non obligantur: Hi etiam desertionem committere dici nequeunt. Præterea cum desertio supponat obligationem ad militiam (§. 578.): Desertio non committitur ab iis, qui ad militiam non obligantur. Quare cum pro desertore haberi nequeat, qui desertionem non committit (§. 682.): Patet, quod nec pro talibus haberi possint ii, qui ad militiam proprie non obligantur, si absque dimissione discedant. *Q. e. 1.*

Cum vero supponatur, eosdem ad auxilia præbenda militibus obligari (*per hypoth.*); Auxilia vero præbere non possint, si discedant: Facile intelligitur, quod obligationi suæ adversentur, si discedant absque dimissione, hoc est, permissione ejus, cui obligantur (§. 297.). Quare cum, qui obligationi suæ contrarium quid agit, delinquat (*per dem.* §. 540.): Patet, quod etsi pro desertoribus haberi nequeant, delinquant tamen ii, qui ad auxilia militibus saltem præbenda obligantur, si absque dimissione discedant. *Q. e. 2.*

§. 729.

Quamobrem cum *concionatores bellici, auditores, chirurgi, lixæ & alii* non proprie ad ipsam militiam & bellum gerendum, sed ad auxilia tantum militibus præbenda obligentur (*quod per se intelligitur*); Neque etiam adeo ad milites referantur, quam quoties de ipsorum favore agitur (§. 449.): Iidem *quidem delinquunt, si absque dimissione discedant, pro desertoribus vero haberi nequeunt.* ***Ut concionatores, auditores & alii.***

De quibusdam dubium forsan videri posset, an ad milites proprie sic dictos, an ad eos saltem referendi sint, qui iisdem auxilia præbent. Quæstio præferrim de tibicinibus & tympanotribis moveri poterit. Facile autem patet, quod cum milites sint, qui ad bellum gerendum adhibentur (§. 14.): Ad eosdem etiam referendos esse, qui bello proprie gerendo inserviunt. Quare cum ad bellum gerendum opus sit, ut milites ad pu-

 gnan-

gnandum cum hoste tam convocari, quam, si e re ita videatur, a pugnando avocari possint; Quod experientia testis comprobat; Huc vero tendat usus tympanorum, & in equitatu tubarum (*per hypoth.*): Tympanotribas & buccinatores ad milites proprie sic dictos referri, dubium non videtur. Tibias autem vero usui bellico non sufficere, sed vel ad oblectandos solum milites spectare, constat. Tibicines itaque etiam, & maxime eminentioris gradus, qui voce gallica *Hautbois* dicuntur, ab eorum numero non absque ratione eximuntur. Quodsi vero & hi aut alii quidam, uti famuli præfectorum, ad militiam lege positiva expresse & vel juramento adstringantur; Ei vero, qui in leges militares jurat, injuria non fiat, si vel gravissima poena illis statuta ipsi infligatur (§. 156.): Dubitari etiam nequit, quod in hoc casu ad desertores referri debeant, & de eo conqueri non possint, si absque dimissione discedant.

§. 730.

Nec voluntarii.

Voluntarii, si absque dimissione, a militia discedunt, delinquunt quidem, pro desertoribus vero haberi nequeunt.

Voluntarii enim diutius in militia manere non obligantur, quam ipsis libuerit (§. 304.): Obligatio itaque ad militiam restricta saltem est ad eorum arbitrium, adeoque cessat, quamprimum voluerint. Quare cum voluntarius, si discedat, declaret, quod ad militiam obligatus esse amplius nolit; Quod per se patet: In voluntario discedente cessat etiam obligatio ad militiam. Desertio vero hanc obligationem supponit (§. 578.). Desertio itaque a voluntario discedente non committitur. Quamobrem cum pro desertore haberi nequeat, qui desertionem non committit (§. 682.); Nec pro eo habendus est voluntarius, qui absque dimissione discedit. *Q. e. 1.*

Cum vero voluntarii, dum militant, ad omnia obligentur, ad quæ milites in genere (§. 303.), & in specie etiam, si discedere velint, illud indicare & permissionem exigere debeant (§. *304. schol.*); In permissione vero militi data discedendi a militia dimissio consistat (§. 297.): Facile patet, quod si voluntarii absque dimissione discedant, obligationi suæ non satisfaciant, sed eidem contrarium agant. Quare cum milites, qui obligationibus suis adversantur, delinquant (§. 540.): Delinquent etiam voluntarii, qui absque dimissione a militia discedunt. *Q. e. 2.*

§. 731.

Qui hosti se dedunt, quando delinquant.

Milites, qui absque necessitate sive mandato hosti se dedunt, aut arma deponunt, delinquunt.

Milites enim ad hosti resistendum (§. 161.), adeoque vim ejus arcendam & repellendam obligantur (§. 160.). Si vero hosti se dedant, quod eidem amplius non resistant, constat. Et cum arma dicantur ea instru-

inſtrumenta, quibus hoſti vis infertur, vel vis ejusdem arcetur (§. 231.): Facile etiam apparet, quod ſi arma deponant, vim ejusdem arcere & repellere amplius non ſatagant. Milites itaque, qui hoſti ſe dedunt, aut arma deponunt, obligationi ſuæ non ſatisfaciunt, ſed eidem contrarium quid agunt. Quare cum milites, qui obligationibus ſuis adverſantur, ſuppoſito, quod id fiat dolo vel culpa, delinquant (§. 540.): Milites etiam, qui hoſti ſe dedunt, aut arma deponunt, dolo nempe aut culpa eorum intercedente, delinquunt. *Q. e. 1.*

Milites vero, ſi neceſſitate quadam externa ſive phyſica impediuntur, quo minus obligationibus ſuis ſatisfaciant, non delinquunt (§. 546). Et cum milites ad ea, quæ ipſis circa miniſterium belli a præfectis ſuis mandantur, facienda obligentur (§. 221.): Si ad mandatum hoſti ſe dedunt, aut arma deponunt, obligationi ſuæ adverſari, & propterea delinquere dici nequeunt. Non itaque delinquunt milites, ſi ex neceſſitate vel ad mandatum præfectorum hoſti ſe dedant, aut arma deponant. Licet itaque in genere milites, ſi hoſti ſe dedant, aut arma deponant, dummodo id fiat culpa aut dolo, delinquant (*dem. n. 1.*): Hoc tamen eo reſtringendum erit, ſi absque neceſſitate aut mandato id faciant. *Q. e. 2.*

Nec objici poterit, quod milites ad mandata ſaltem obligentur, ſi eadem obligationibus ſuis non ſint adverſa (§. 221.); Cum vero deditio & depoſitio armorum obligationi ipſorum repugnent (*per dem. n. 1.*): Milites ad easdem non teneri, licet mandentur. Cum enim milites majorem vim hoſti inferre, nec plures hoſtilitates committere queant, quam fieri vult auctor belli (§. 330.); Neque adeo absque juſſu aut conceſſione hujus aut præfectorum hoſtilitates exercere poſſint (§. 331.): Obligatio hæc ad hoſti reſiſtendum & vim ejus repellendam intelligi ſaltem poteſt, ſi reſiſtentia & repulſio mandetur. Hinc ſi contrarium ejusdem mandetur, ut nempe a reſiſtendo hoſti & vi ejus repellenda deſiſtatur, & arma potius ponantur: Hoc obligationi ipſorum repugnare dici nequit. Deditio etiam prudens ſæpius plus prodeſt, quam pertinax reſiſtentia, effectu non ſperando deſtituta. Illa itaque in bello neceſſitatis eſſe poteſt. Cum itaque judicium de neceſſitate eorum, quæ ad bellum faciunt, relinquendum ſit auctori belli (§. 783. *Jur. gent. WOLF.*), adeoque & præfectis, per quos hic imperium ſuum exercet (§. 185.): Judicium etiam de deditione hoſti facienda, aut armorum depoſitione, præfectis relinqui debet a militibus.

§. 732.

Dux belli ſive præfectus militum vel loci cujusdam, qui extra neceſſitatem vel mandatum auctoris belli exercitum imperio ſuo ſubditum, ſive locum cuſtodiæ ſuæ conſiſum, hoſti dedit, graviter delinquit. *Qui exercitum vel locum hoſti dedit, delinquit.*

In genere enim milites, qui præter necessitatem sive mandatum, hosti se dedunt, delinquunt (§. 731.). Milites vero etiam ad urbem obsessam, cujus præsidium sunt, defendendam obligantur (§. 253.). Quod si vero urbs hosti dedatur, eam non defendi apparet. Milites itaque, qui urbem hosti dedunt, obligationi suæ non satisfaciunt, sed eidem adversantur: Adeoque delinquunt (§. 540.); Posito nempe, quod ad id necessitate non adigantur, vel mandato obligentur (*per dem.* §. *731. n. 2.*). Exercitus vero, ut & locus, qui contra hostem defendendus est, unius imperio solet committi, qui dux belli (§. *194.*), sive præfectus loci dicitur. Quare cum præfecti militum in genere ad milites referendi sint (§. 186.): Hunc etiam ad locum custodiæ suæ consisum defendendum obligari, adeoque si præter necessitatem vel mandatum auctoris belli eundem, vel exercitum imperio suo subditum hosti dedat, delinquere, facile intelligitur. *Q. e. 1.*

Exercitus vero dicuntur vel milites gentis unius in universum sumti, vel qui ad bellum quoddam gerendum simul adhibentur (§. 190.); Adeoque per eundem hosti vis infertur (§. 15.), & vis ejusdem simul arcetur (*dem.* §. *160.*). Munimenta vero vel loca, quibus præsidia defensionis gratia imponuntur, tendunt etiam ad vim hostis arcendam (*dem.* §. *252.*). Quod si itaque exercitus, aut locus ad defendendum concessus, hosti dedatur, hujus vis amplius non arcetur, sed potius eidem in rempublicam locus conceditur. Quantum vero damni sentiat respublica ex vi hostili, adeoque quam perniciosa res sit jactura exercitus vel loci muniti, & quantum periculi inde immineat, notissimum est. Quamobrem cum ex nocumento quod affertur, & periculo, quod imminet, gravitas delicti æstimanda sit (§. *625. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Apparet, quam graviter delinquat dux belli, sive præfectus loci, qui absque necessitate vel mandato exercitum vel locum, imperio vel custodiæ suæ consisum, hosti dedit. *Q. e. 2.*

Quæ de deditionis necessitate & mandato ad eandem monuimus ad §. præcedentem, huc etiam faciunt.

§. 733.

Deditionis festinatæ definitio.

Deditio, quæ fit hosti præter necessitatem, extremam scilicet, sive mandatum superioris, *festinata* dicitur.

De festinata urbis inprimis *obsessæ deditione* diatriben conscripsit vir ill. CAR. GOTTLIEB KNORRE Halæ 1740., quæ plura huc spectantia continet.

§. 734.

§. 734.

Deditio itaque *festinata delictum militare gravissimum est.* *Delictum militare gravissimum est.*

Deditio enim festinata dicitur, quæ fit hosti præter necessitatem aut mandatum (§. 733.). Quare cum tam milites, qui semet (§. 731.), quam dux belli sive præfectus, qui exercitum sive locum custodiæ suæ commissum absque necessitate sive mandato hosti dedunt, delinquant (§. 732.): Patet, quod deditio festinata delictum sit. *Q. e. 1.*

Deditio vero milites (§. 731.), aut eorum præfectos supponit (§. 732.). Non itaque nisi a militibus, adeoque ab his, qua talibus, committitur. Quare cum delictum, quod a militibus, qua talibus, committitur, militare dicatur (§. 543.): Patet etiam, quod sit delictum militare. *Q. e. 2.*

Ex deditione porro, quæ fit hosti, reipublicæ maximum detrimentum infertur, & summum periculum imminet (*dem.* §. *732. n. 2.*). Quare cum ab hoc detrimento vel periculo gravitas delicti æstimanda sit (§. *625. ibi cit.*): Denique etiam patet, quod deditio festinata delictum gravissimum sit. *Q. e. 3.*

§. 735.

Deditio festinata famæ militis maxime nocet & infamiam ipsi præcipue contrahit. *Famæ præsertim nocet.*

Cum enim deditio festinata non fiat ex necessitate vel mandato (§. 733.); Nihil tamen absque ratione sufficienti fiat (§. *70. Ontol. WOLF.*): Ratio ejusdem alia poni nequit, quam metus periculi a longiori resistentia imminentis. Quoniam vero timiditas tribuitur ei, qui metu periculi cujusvis ad quid faciendum abduci se patitur, quod non debebat (*def.* §. *242.*): Deditio festinata ex timiditate oritur. Eadem vero delictum militare est (§. 734.). Quare cum delicta militum in genere (§. 562.), potissimum vero ea, quæ ex timiditate oriuntur, famæ eorum maxime noceant, & infamiam ipsis præcipue contrahant (§. 566.): Idem etiam de deditione festinata intelligitur.

Fieri hinc etiam solet, ut dux præsertim belli, qui nimis festinato se vel urbem hosti dedit, pro infami declaretur, & poena infami plectatur.

§. 736.

Si a duce vel præfecto superiore deditio proponatur vel mandetur, in eam concerto vero appareat, eam festinatam esse, milites eorumque præfecti inferiores delinquunt, si in eam consentiant. *In eam consentientes quando delinquant.*

Licet

Licet enim milites obligentur ad ea, quæ ipsis a præfectis suis, & præsertim etiam præfecti minores, quæ ipsis a majoribus mandantur (§. 214.): Subintelligitur tamen, quod certo non appareat, eadem obligationibus ipsorum repugnare (§. 221.). Quamobrem cum deditio, quæ fit absque necessitate vel mandato, adeoque festinata est (§. 733.), obligationi militum utique repugnet (*per dem.* §. 731.): Si certo appareat, eandem festinatam esse, milites utique obligationi suæ adversantur, in eam consentientes, si mandetur a præfecto, & multo magis, si tantum proponatur, adeoque libera ipsis relinquatur consentiendi facultas. Quamobrem, cum milites, qui obligationibus suis contraria agunt, delinquant (§. 540.): Idem etiam dicendum erit de militibus eorumque præfectis inferioribus, qui in deditionem a duce vel præfecto superiore propositam aut mandatam consentiant, si certo appareat, illam esse festinatam.

Legibus itaque etiam positivis poenæ graviores statutæ inveniuntur in milites & præfectos inferiores, qui in eandem consensum suum præbent, nec præfectum superiorem ab ea dehortantur, ita ut jure militari patrio præfecti vel dignitatis & famæ expertes in eo casu declarentur.

§. 737.

Non si dubium sit, an sit festinata.

Si dubium sit, an deditio festinata sit, nec ne: Milites, si in eam consentiant, non delinquunt.

Si enim ea, quæ militibus mandantur, dubia sint: Milites ad eadem facienda obligantur (§. 223.). Si itaque dubium esse ponatur, an deditio festinata sit, nec ne: Milites utique ad consentiendum in eandem obligantur. Milites itaque, si consentiant, obligationi suæ minime adversantur, sed potius eidem satisfaciunt. Quamobrem cum milites tunc demum, si obligationibus suis non satisfaciant, sed iisdem contraria agant, delinquant (§. 540.): Milites non delinquere apparet, consentientes in deditionem, si dubium sit, an sit festinata.

Rationem hoc habet in eo, quod judicium de necessitate eorum, quæ ad bellum gerendum faciunt, relinquendum sit auctori belli, sive ei, cui hic imperium militare commisit. Uti hoc plenius appaœt ex demonstratione §. 223. cit.

§. 738.

Milites præfectum cogentes delinquunt.

Si milites præfectum ad deditionem festinatam cogant, gravissime delinquunt.

Milites enim deditionem festinatam committere, facile apparet, si præfectum ad eandem cogant. Quare cum ea delictum sit gravissimum (§. 734.):

(§. 734.): Gravissime etiam delinquunt milites, si ad deditionem festinatam præfectum cogant.

Plenius vero illud hoc modo evincitur. Coacte agere dicitur, qui non nisi vi externa impulsus agit (§. 579. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Quod si itaque milites præfectum cogere debeant ad deditionem: Vi externa impelli debet ad eandem. Facile hinc apparet, quod milites præfectum cogere volentes ampliorem defensionem recusent; Adeoque imperio ipsius resistant, & servitia detrectent. Quamobrem cum detrectatio servitiorum & resistentia imperii seditionem efficiat (§. 619.): Iidem simul seditionem committunt. Seditio vero, quæ fit a militibus, sive militaris, delictum gravissimum est. Patet itaque, quod milites gravissime delinquant, si præfectum ad seditionem festinatam cogant.

§. 739.

Si præfectus loci cujusdam per seditionem militum ad deditionem festinatam cogatur, non delinquit. *Præfectus ad deditionem coactus non delinquit.*

Seditione enim præfectus ad deditionem cogitur (*dem.* §. 738.) & hoc fieri in præsenti ponitur (*per hypoth.*). Seditio vero in detrectatione servitiorum & recusatione imperii consistit (§. 619.). Milites itaque, si præfectum ad deditionem cogere nituntur, servitia præstare detrectant. Ope itaque militum præfectus destituitur. Sine militibus vero quemadmodum bellum in genere geri nequit (§. 17.), ita nec urbs poterit defendi. Physice itaque impossibile est, ut urbem amplius defendat. Quare cum necessarium, physice nempe, sit, cujus contrarium physice impossibile est (§. 279. *Ontol. WOLF.*): Si defensio urbis physice impossibilis sit, contrarium ejusdem, deditio nempe, physice erit necessaria. Si itaque milites præfectum ad deditionem cogant, adest necessitas physica, ut illam dedat. Quare cum præfectus loci tunc demum delinquat, si præter necessitatem urbem dedat (§. 732.); Milites vero, si necessitate quadam physica solum impediantur, quo minus obligationibus suis satisfaciant, non delinquant (§. 546.): Patet, quod præfectus loci etiam non delinquat, si a militibus coactus urbem dedat.

Eodem modo & facili applicatione illud etiam de duce belli, vel præfecto militum quocunque patet, qui a militibus coactus hosti se dedit.

§. 740.

Miles, qui absque consensu præfectorum matrimonium init, sive sponsalia celebrat, delinquit. *Matrimonium absque consensu delictum est.*

Milites enim absque consensu præfectorum neque matrimonium inire (§. 495.), neque sponsalia celebrare possunt (§. 497.), sed ad utrum-

que consensum præfectorum sive auctoris petere obligantur (*ibid.*). Miles itaque, qui absque consensu hoc impetrato unum vel alterum facit, obligationi suæ adversatur (§. 536.). Quare cum milites, qui hoc faciunt, delinquant (§. 540.): Patet, quod etiam delinquat miles, qui absque consensu præfectorum uxorem ducit, sive sponsalia saltem celebrat.

Et cum consensus ad matrimonium militibus, etiam, si petatur, recusari possit (§. 496.): Apparet statim, quod & delinquant, etsi eundem petierint, non vero impetrarint.

§. 741.

Quando etiam in præfectis superioribus.

Præfecti etiam *militum superiores, si in casu prohibitionis absque consensu autoris belli, matrimonium ineant, sive sponsalia celebrent, delinquunt.*

Præfectis enim militum superioribus prohiberi etiam, ne absque consensu matrimonium ineant, ratio adest (§. 498.). Quodsi itaque illud prohibitum esse ponatur, dubium esse nequit, quod ad consensum petendum obligentur; Adeoque obligationi suæ non satisfaciant, si absque consensu matrimonium ineant, sive sponsalia celebrent (§. 536.). Milites vero, si obligationibus suis non satisfaciunt, sed iisdem adversantur, delinquunt (§. 540.). Quare cum militum nomine præfecti etiam eorum comprehendantur (§. 186.): Patet, præfectos etiam militum superiores delinquere, si in casu prohibitionis uxorem absque consensu auctoris belli ducant, sive sibi desponsent.

Exempla poenarum legibus positivis propterea statutarum adduximus ad §. 499.

§. 742.

Ut & abusus imperii.

Præfecti militum, qui imperio in milites ipsis commisso quocunque modo abutuntur, delinquunt.

Imperium enim, quod præfectis in milites competit, non proprio, sed ejus nomine exercetur, qui illud ipsis commisit (§. 185.). Hinc quantumcunque illud sit, maxime tamen limitatum est (§. 218.). Ultra limites itaque illos non procedit, qui unde æstimandi sint, explicavimus (§. 220.). Præfectos itaque ad illud ulterius non extendendum obligari, adeoque hoc officii sui esse, apparet. Cum autem rectus usus juris is sit, quem officia exigunt, in contrario vero abusus consistat (§. 61. Part. 1. Jur. nat. WOLF.): Facile patet, quod ad imperio recte utendum obligentur; Et cum abusus recto usui opponatur (§. 646. Part. 1. Theol. nat. WOLF.), quod obligationi suæ contrarium agant, si imperio

perio quocunque modo abutantur. Quare cum milites, qui obligationibus suis adversantur, delinquant (§. 540.): Præfectos etiam militum delinquere elucet, si imperio in milites ipsis commisso quocunque modo abutantur.

§. 743.

Præfecti militum, qui militibus alia mandant, quam quæ ministerium belli respiciunt, delinquunt.

Et mandatum ultra ministerium belli.

Cum enim imperium præfectorum ultra ministerium belli non procedat (§. 219.); Præfecti vero, qui illud ultra, quam procedit, extendunt, ipso abutantur (*per dem.* §. 742.): Præfectos, qui militibus alia mandant, quam quæ ministerium belli respiciunt, imperio suo abuti, apparet. Quare cum præfecti, qui imperio ipsis commisso quocunque modo abutuntur, delinquant (§. *cit.*): Patet, quod & ii delinquant, qui militibus alia mandant, quæ ad ministerium belli non pertinent.

Hinc cum facile concedatur, servitia, quæ personam modo præfectorum respiciunt, ad ministerium belli non pertinere: Præfectos etiam imperio suo abuti, adeoque obligationi suæ adversari apparet, qui ad eadem milites trahunt, nisi id expresse vel tacite saltem concessum sit. Sic & levia extra ministerium belli militibus mandari conceditur Jure militari Brandenburgico. Uti jam monuimus ad §. 221.

§. 744.

Præfecti, qui militibus stipendia præcise non exsolvunt, sive diminuunt, delinquunt.

Sic & stipendiorum non præcisa solutio.

Stipendia militibus per præfectos exsolvi, hic ponitur (*per hypoth.*). Quare cum militibus stipendia præcise solvenda sint (§. 346.): Præfectos ad eorum præcisam exsolutionem obligari, adeoque si eam negligant, obligationi suæ non satisfacere, sed eidem adversari, apparet (§. 536.). Cum itaque in genere milites, si obligationibus suis contraria agant, delinquant (§. 540.): Præfecti etiam sine dubio delinquunt, si militibus, stipendia præcise non absolvant. *Q. e. 1.*

Stipendia vero eadem, adeoque integra debere exsolvi, quæ militibus ab auctore belli constituta sunt, absque opera intelligitur. Integra vero non solvuntur, si diminuantur. Præfecti itaque militum, quibus exsolutio stipendiorum commissa est, obligationi suæ non satisfaciunt, si eadem integra non solvant, sed diminuant (§. 536.): Eodem itaque, quo antea modo patet, in hoc casu delinqui. *Q. e. 2.*

Diminutio stipendii jure itaque etiam positivo pro tanto delicto solet reputari in præfectis, ut jactura famæ & militiæ cum eo plerumque conne-

nectatur. Imo sola non præcisa solutio tanti est præjudicii, ut præfectus graviori punitioni se subjiciat, & vel absque literis mitti possit, si ejusdem se reddat reum.

§. 745.

Fraus omnis circa militiam delictum est.

Milites vel eorum præfecti, qui ullo modo circa militiam fraudem committunt, delinquunt.

Defraudare enim in genere non licet (*§. 682. Part. 2. Jur. nat. WOLF*). Quare cum illicitum sit, ad quod non faciendum obligamur (*§. 170. Part. 1. Phil. pract. univ. ej.*): Ad non defraudandum quisque obligatur. Cum itaque milites obligentur ad ea, ad quæ homines in genere (§. 121.): Milites etiam, adeoque & eorum præfecti (§. 186.), ad nullo modo circa militiam defraudandum obligantur; Adeoque si ullo modo circa eandem fraudem committant, obligationi suæ adversantur (§. 536.). Quare cum in hoc casu milites delinquant (§. 540.): Delinquunt etiam, si ullo modo circa militiam defraudent.

§. 746.

In specie in lustratione militum.

Milites itaque, qui in lustrationem conduci se patiuntur, vel præfecti eorum, qui eos aliis in lustrationem locant, vel in lustratione cæcos substituunt, vel in numeris loca vacua relinquunt, delinquunt.

Omnes enim, quos modo recensuimus, circa militiam dolose quid facere, quo sibi vel aliis lucrum quoddam concilient, quod ipsis jure non competit, adeoque quo alterum, auctorem nempe belli, privent eo, quod suum est, per se patet. Cum itaque omne factum dolosum, simulatum scilicet, quo alter privatur eo, quod suum est, seu quod eidem non competit, fraus sit dicendum (*§. 680. Part. 2. Jur. nat. WOLF.*): Omnes illos fraudem circa militiam admittere intelligitur. Quare cum omnis fraus circa militiam delictum efficiat (§. 745.): Apparet etiam eosdem omnes delinquere.

Omnes has defraudationis species facile agnoscet absque ulteriori explicatione, qui res militares non penitus ignorat. Per easdem vero in genere efficitur, ut stipendia solvantur pro militibus, qui actu non existunt. Fieri equidem etiam potest, ut præfectis liceat aliquando loca quædam vacua relinquere, & eorum stipendia interea lucrari, modo certo demum, ut lustrationis, tempore fuerint supplera. Cum hoc consensu auctoris belli fieri supponatur; Adeoque hic non privetur eo, quod suum est; Neque dolose hic agatur: Defraudationem, neque adeo delictum, tunc non subesse, apparet. Supponitur itaque casus, quo loca vacua non permittuntur, nec in plures milites stipendia solent exsolvi, quam quot actu aluntur. Plures etiam defraudationum circa militiam species

ſpecies forſan occurrent, quæ vero ex iis facile poterunt judicari, quas modo enumeravimus. Hæ enim ſolitiſſimæ ſunt, quæ vel ipſis legibus militaribus poſitivis notari ſolent.

§. 747.

Miles, qui ſtipendium vociferatur, delinquit. *Ut & vociferatio ſtipendii.*

Licet enim militibus ſtipendium præciſe ſolvendum ſit (§. 346.); Adeoque illi exigere poſſint, ut idem præciſe ſolvatur (§. 361.): Fieri tamen, belli potiſſimum tempore, poſſe conſtat, ut debito tempore ſolvi nequeat; Neque adeo in eo caſu juſta ipſis conquerendi cauſa, ſed illud inter adverſa potius referendum, quæ cum patientia ferenda ſunt (*per dem.* §. *600.*). Quodſi vero etiam ponatur, dolo vel culpa præfectorum illud fieri, uti per delictum fieri poteſt (§. 744.); Adeoque milites exigere poſſint, ut hi vel vi adigantur ad illud præſtandum (§. 362.): Videri poſſet, acſi exactio ſtipendii juſte non præſtiti in vitium ipſis verti non debeat. Cum vero, ſi ſubditi juſtas etiam habeant conquerendi cauſas, debita tamen reverentia illas proponere obligentur (§. *1050.* & *1052. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Et milites ad eadem obligentur in genere, ad quæ cives (*§.* 124.): Milites etiam in eo caſu, quo ſtipendiorum præſtationem exigere ipſis quidem licet, idem tamen debita reverentia facere debent. Vociferari vero ſtipendium idem eſt, ac illud publice cum impetu & minis exigere (*per def.*). Quod cum facile appareat, debitæ reverentiæ repugnare: Milites, qui ſtipendium vociferantur, obligationi ſuæ, cum reverentia nempe exponendi ea, de quibus ipſis juſta conquerendi cauſa eſſe videtur, contrarium agunt. Quamobrem cum milites, qui hoc faciunt, delinquant (§. 540.): Delinquere etiam milites, qui ſtipendium vociferantur, patet.

Alio vero adhuc modo idem poterit demonſtrari; quo magis patet, quantum delictum ſit ſtipendii vociferatio. Cum enim eadem publice, cum impetu & minis fiat (*per dem.*); Adeoque & alii ad idem faciendum facile poſſint commoveri: Per vociferationem ſtipendii ſeditio facile poterit excitari (§. 619.). Cum itaque vociferationem verbis fieri per ſe pateat: Miles, qui ſtipendium vociferatur, verba ſeditioſa profert. Qui vero verbis ſeditioſis occaſionem præbet ſeditioni, concitationis ad eandem reus eſt (§ 624.); Concitationis ad ſeditionem hinc etiam reus eſt, qui ſtipendium vociferatur. Quare cum concitatio ad ſeditionem delictum graviſſimum ſit (§. 629.), licet vel ſeditio ipſa non ſequatur (§. 630.): Hoc etiam modo elucet, quod vociferatio ſtipendii delictum & admodum quidem grave ſit.

Propter metuendum ex vociferatione stipendii periculum seditionis fieri etiam solet, ut rigidissime in eandem animadvertatur, ita ut vel capite plectatur, præsertim si in expeditione hoc crimen committatur. Uti pluribus refert STEPH. WAGA (§. 8. *Diss. de Restit. famæ per vtx.*). & peculiariter etiam jure patrio statutum est.

§. 748.

Qui prædam retinet, delinquit.

Miles, qui prædæ aliquid capit sive retinet absque expressa vel tacita auctoris belli sive præfectorum concessione, delinquit, & in specie furtum committit, eique assimilatur, qui peculatus reus fit (§. 853. Jur. gent. WOLF.).

Etsi enim militibus ad prædam faciendam jus esse debeat (§. 336.): Eam tamen suam facere sive sibi retinere non possunt, nisi & quatenus illud ab auctore belli permittitur (§. 337.). Quodsi itaque absque hac concessione tacita vel expressa prædæ aliquid sibi retineant, non faciunt ad quod obligantur, adeoque obligationi suæ adversantur (§. 536.). Quare cum in hoc casu milites delinquant (§. 540.): Delinquit etiam miles, qui absque expressa vel tacita auctoris belli sive præfectorum concessione prædæ aliquid sibi retinet. *Q. e. 1.*

Et cum præda sit auctoris belli (*per dem. § 337.*), adeoque militum intuitu res aliena (§. *146. Part. 2. Jur. nat. WOLF.*); Supponatur vero, militem eandem absque consensu auctoris belli sive præfectorum sibi retinere (*per hypoth.*): Si miles prædam absque concessione retineat: Idem est, ac si rem alienam inscio ac invito domino animo eam sibi habendi auferret. Quamobrem cum ablatio rei alienæ inscio ac invito domino animo eam sibi habendi vel suam faciendi facta, furtum dicatur (§. *498. Part. 2. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod miles, qui absque concessione tacita vel expressa aliquid prædæ sibi retinet, furtum committat. *Q. e. 2.*

Porro cum præda sit in dominio auctoris belli (*per add.*), adeoque reipublicæ sive ejusdem rectoris (§. 10.); Res vero, quæ sunt in dominio reipublicæ, dicantur publicæ (*per def.*): Prædam rem publicam esse apparet. Cum itaque per prædæ retentionem furtum committatur (*dem. n. 2.*): Hoc circa rem quandam publicam versatur. Quare cum furtum pecuniæ publicæ peculatus dicatur (*per def.*): Intelligitur, quod prædæ retentio peculatui assimiletur. *Q. e. 3.*

§. 749.

Qui ultra ea faciunt, quæ vult autor belli.

Milites, si in genere in bello ultra ea faciant, quæ auctor ejusdem necessaria judicat, & fieri vult, delinquunt.

Mili-

Milites enim in bello gerendo alia facere non debent, quam quæ auctor belli ad illud necessaria judicat & fieri vult (§. 174.): Quod si itaque ultra ea faciant, eosdem non facere ad quæ obligantur, adeoque obligationi suæ adversari (§. 536.), apparet. Quare cum milites in hoc casu delinquant (§. 540.): Patet, quod delinquant etiam, si in bello ultra ea faciant, quæ auctor belli necessaria judicat & fieri vult.

Hinc cum hostilitates, pugnæ in specie cum hoste, exactio contributionum militarium, direptiones & deprædationes pertineant ad ea, quæ in bello fiunt (*per not.*): Statim apparet, quod milites delinquant, si in iisdem exercendis ultra procedunt, quam vult auctor belli. Quæ vero singula separatim demonstrandi negotio supersedere forsan licebit: Cum facili applicatione regulæ generalis, quam modo tradidimus, intelligantur & erui possint.

§. 750.

Qui ad militiam obligantur, delinquunt, si quocunque modo, data scilicet opera, ad eandem se reddunt inhabiles. *Qui ad militiam se reddunt inhabiles.*

Cum enim ponatur eos, qui ad militiam inhabiles se reddunt, ad eandem obligari (*per hypoth.*): Eosdem obligationi suæ satisfacere non posse, apparet. Et cum data opera inhabiles se reddere, itidem supponatur (*per hypoth.*): Per ipsos stat, quo minus obligationi suæ possint satisfacere. Obligationi itaque suæ contrarium quid agere eosdem, facile intelligitur. Quare cum is, qui obligationi suæ contrarium quid agit, delinquat (*per dem. §. 540.*): Patet, quod & delinquant, qui, dum ad militiam obligantur, ad eandem se reddunt inhabiles.

Delictum hoc maxime apud Romanos pollicis præsertim amputatione vel alia corporis debilitatione usitatum fuisse, refert AUG. LEYSER (§. 1. *Diss. de Fuga militiæ*), & optime monet, illud vel corpus debilitando, vel tale vitæ genus eligendo, quocum militia subsistere nequit, veluti carnificinam, committi (§. 3. 4. *l. c.*). Cum vero hic nondum demonstrari poterit, militem, qui infamis sit, militem manere non posse, uti sit suo loco: In genere hic saltem posuimus, quod quocunque modo id fiat. Sic enim tam factum physicum quam morale subintelligi poterit.

§. 751.

Tam itaque subditi, qui milites nondum sunt, quam milites, si ad militiam præstandam, data scilicet opera, quocunque modo inhabiles se reddant, delinquunt. *Tam subditi, quam milites.*

Milites enim in genere ad militiam obligantur (§. 38.), & obligatio eorum generalis in præstatione militiæ consistit (§. 137.). Subditi vero, licet milites nondum sint, ad militiam tamen, in casu scilicet necessitatis,

ſitatis, ſuſcipiendam obligantur (§. 749. *Jur. gent.* WOLF.). Tam itaque milites, quam ſubditi, qui milites nondum ſunt, ad militiam obligantur. Quare cum ii, qui ad militiam obligantur, delinquant, ſi quocunque modo, data ſcilicet opera, ad eandem ſe reddant inhabiles (§. 751.): Patet, quod & in hoc caſu tam ſubditi, qui milites nondum ſunt, quam milites delinquant.

§. 752.

Murcorum definitio. Homines, qui quocunque modo data opera ad militiam ſe reddunt inhabiles, *Murci* dici ſolent.

Peculiarem de Murcis diſſertationem Vitebergæ 1735. conſcripſit FRID. BENED. CARPZOV, qui in ea (§. 1.), ut & AUG. LEYSER (§. 1. *loc. cit.*), refert, appellationis hujus primam mentionem facere AMMIANUM MARCELLINUM libro 15. cap. 13. Et licet ibidem uſitata ſaltem videatur de iis, qui pollicis abſciſſione ineptos ſe reddiderint ad ſervitia militaria: Repugnare tamen non videtur, vocabulum illud in genere applicari omnibus, qui quocunque modo ad militiam inhabiles ſe reddunt.

§. 753.

Quinam ſint. *Tam itaque ſubditi, qui ad militiam ſuſcipiendam, quam milites, qui ad eam ulterius præſtandam, inhabiles ſe reddunt, murci ſunt.*

Tam enim ſubditos, qui milites nondum ſunt, quam milites, ad militiam ſe poſſe reddere inhabiles, per ſe patet. Illud vero tendere ad militiam non ſuſcipiendam, ſicuti hoc ad eam amplius non proſequendam, ſimul intelligitur. Quare cum homines, qui quocunque modo, data ſcilicet opera, ad militiam ſe reddunt inhabiles, murci dicantur (§. 752.): Murcos eſſe tam ſubditos, qui ad militiam ſuſcipiendam, quam milites, qui ad eam ulterius præſtandam inidoneos ſe faciunt, apparet.

§. 754.

Quando delinquunt. *Murci, ſi ad militiam obligentur, delinquunt.*

Murci enim dicuntur, qui ad militiam quocunque modo, data ſcilicet opera, inidoneos ſe reddunt (§. 752.). Quare cum delinquant, qui ad militiam inhabiles ſe reddunt, ſi ad eandem obligentur (§. 750.): Patet, quod & murci delinquere dicendi ſint, ſi ad militiam obligentur.

Murcos etenim etiam eſſe poſſe, qui ad militiam non obligantur, facile apparet. Ponamus enim, peregrinum quendam territorium quoddam tranſeuntem, in eodem ad militiam cogi, & ejusdem effugiendæ cauſa quocunque modo ſe reddere inhabilem: Murcus ſine dubio is erit. Cum vero ad militiam non obligetur (§. 35.); Neque adeo huic obliga-

tioni

tioni adversetur, dum ineptum se reddit: Delinquere eatenus dici nequit. Cum vero murci plerumque mutilatione vel debilitatione membri cujusdam efficiantur (§. 750. *schol*); Adeoque obligationi naturali de integritate corporis conservanda adversentur (§. 372. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Murcos etiam, ad militiam non obligatos, alio quidem respectu delinquere posse concedendum erit. Cum vero obligatio eadem saltem sit erga se ipsum (*loc. cit.*): Contra se ipsum etiam modo in eo casu delinqui patet. Cum vero obligationes militum erga alios tendant (§. 132.): Neque etiam delicta eorum considerantur, quam quatenus erga alios committuntur. Delicta itaque erga se ipsum hujus loci non sunt.

§. 755.

Miles murcus, sive, qui data opera quocunque modo ad militiam ulterius præstandam inhabilem se reddit, desertori assimulatur. *Miles murcus desertori assimilatur.*

Cum enim murcus ad militiam inhabilis reddatur (§. 752.): Militem murcum eandem ulterius præstare non posse apparet. Miles itaque murcus quid agit, quocum militia subsistere nequit. Data vero opera id facere supponitur. Et quod invito auctore belli id fiat, per se patet. Miles itaque murcus sponte sua invito vero auctore belli efficit, ut a militia dimitti debeat. Miles vero, qui sponte sua & invito auctore belli a militia discedit, desertor dicitur (§. 576.). Licet itaque miles murcus discedere non supponatur (*per hypoth.*): Idem tamen, quod desertor efficit, ut nempe invito auctore belli amplius non militet. In milite itaque tam murco, quam desertore inveniuntur, quæ sunt eadem. Quare cum ea, in quibus eadem sunt, ex quibus a se invicem discerni debent, similia dicantur (§. 195. *Ontol. WOLF.*): Patet, quod miles murcus desertori assimiletur.

Hinc desertoribus etiam jure positivo murcos æquiparari, monuit CARPZOV (§. 11. *Diss. de Murcis.*).

§. 756.

Delictum murcorum militare proprie non est; Si vero a milite committatur; militari assimilatur. *Delictum murcorum militare non est.*

Delictum enim murcorum tam a militibus, quam a subditis, qui milites nondum sunt, committi potest (§. 753.). Cum vero delictum militare dicatur, quod a milite, qua tali, committitur (§. 543.); Adeoque militare dici nequeat, quod & ab aliis, quam militibus, committi potest: Patet, quod delictum murcorum militare proprie non sit. *Q. e. 1.*

Cum vero miles murcus desertori assimiletur (§. 755.): Delictum etiam murcorum, si a milite committatur, desertioni simile reddi intel-

ligitur. Quare cum desertio delictum militare sit (§. 587.): Patet quod & illud, si a milite committatur, militari assimiletur. *Q. e. 2.*

§. 757.

Gravius, si a milite committatur.

Delictum murcorum gravius est, si committatur a milite, quam si a subdito, qui miles nondum est.

Delictum enim murcorum per se militare non est; Si vero a milite committatur, militari assimilatur (§. 756.). Quare cum delicta militaria inter graviora referenda sint (§. 548.): Patet, quod in eo casu gravius sit, si a milite, quam si a subdito committatur, qui miles nondum est.

Uberius vero hoc modo demonstrari poterit. Miles ad militiam actu præstandam obligatur; Subditus vero saltem in casu necessitatis (*per dem.* §. *751.*). Obligatio itaque militis re ipsa adest; Obligatio vero subditi a casu necessitatis adhuc suspensa; Adeoque cum hujus existentia incerta sit, eatenus incerta est. An itaque ab ejus inhabilitate ad militiam damnum unquam sentiet respublica, dubium est. A milite murco vero damnum actu infertur reipublicæ, quod a subdito saltem imminet. Damnum autem, quod actu infertur, pro graviori habendum esse eo, quod saltem imminet dubium, an unquam eveniet, facile apparet. Quare cum ex nocumento sive damno, quod infertur, gravitas delicti æstimanda sit (§. *625. Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet etiam hoc modo, quod delictum murcorum gravius sit, si a milite committatur, quam si a subdito.

Cum subditi ad militiam actu præstandam statim obligentur, ac ipsis voluntas superioris declaratur (§ 59.): Facile patet, quod si subditus tunc demum delictum murcorum committat, si voluntas superioris militiam præstandi ipsi jam fuerit declarata, gravius delinquat, quam si ex metu incerto saltem id egerit.

§. 758.

Infamiam contrahit.

Delictum murcorum famæ militis maxime nocet, & infamiam ipsi contrahit.

Delictum enim murcorum committi plerumque solet metu incommodorum & periculorum, quæ cum militia connexa sunt (*per exper. & hypoth.*). Cum itaque timiditas tribuatur ei, qui metu periculi ad quid faciendum abduci se patitur, quod facere non debebat (*def.* §. *242.*): Delictum murcorum ex timiditate plerumque oritur. Quare cum delicta militum in genere (§. 562.), potissimum vero ea, quæ ex timiditate

tate oriuntur, famæ eorum maxime noceant, & infamiam ipsis præcipue contrahant (§. 566.): Idem etiam de delicto murcorum intelligitur.

§. 759.

Miles, qui murum sive vallum urbis vel munimenti egrediendi, vel ingrediendi etiam, causa transcendit, delinquit. *Transcensio murorum delictum est.*

Ad exitum enim ex urbe vel munimento, ut & introitum in eandem vel idem non muri & valla, sed portæ comparantur, sed illa potius ad arcendos ab exitu vel introitu serviunt eos, quos non ingredi aut egredi urbem, interest reipublicæ (*per hypoth. & exper.*). Qui itaque non per portas, sed per muros aut valla urbem aut munimentum egrediuntur, vel ingrediuntur, subvertunt ordinem in republica constitutum. Hoc vero contra officium civium esse, absque ulteriori demonstratione facile forsan conceditur. Quare cum & milites ad omnia obligentur, ad quæ cives in genere (§. 124.); Adeoque si iisdem contraria agant, delinquant (§. 540.): Delinquit etiam miles, qui muros aut valla urbis vel munimenti egrediendi vel etiam ingrediendi causa transcendit.

Cum milites ad leges militares servandas obligentur (§. 137.): Multo magis apparet, quod transcensio murorum vel vallorum in milite delictum sit, si eadem legibus militaribus specialiter prohibeatur, uti quidem fit apud plerasque & vel omnes gentes, ita, ut vel capitali poena nonnunquam plecti soleat. Jure etiam romano id constitutum fuit (§. 10. *Inst. & l. fin. ff. de Rer. div.*). Animo tamen hostili id fieri, supponi videtur ex *d. l.* Quare & ad hoc quoad poenam respiciendum esse monet BODINUS (§. 9. *cap. 2. Diss. de Obseq. mil. in defend. præsidio*). Tunc vero non tam transcensionem muri, sed hostilem potius conatum puniri, judicare licebit. Demonstrandum itaque fuit, quod & sola transcensio absque animo hostili delictum sit. Eam vero subintelligi debere, quæ fit egrediendi vel ingrediendi causa, tam ipsa res loquitur, quam ipsis legibus comprobatur, quæ his verbis concipi solent, ut nemo urbem sive munimentum alio quam sueto loco egrediatur. Uti ex patriis, imperialibus & aliis apparet.

§. 760.

Transcensio tamen murorum sive vallorum delictum militare non est, licet eadem legibus militaribus militibus specialiter prohibeatur. *Non tamen militare.*

Eadem enim delictum propterea est, quoniam obligationi civium in genere repugnat (*dem. §. 759.*). Per eam itaque non a milite, qua tali, sed qua cive in genere, delinquitur. Quare cum delictum militare

 dica-

dicatur, quod a milite, qua tali, committitur (§. 543.): Transcensionem murorum vel vallorum delictum militare non esse, apparet. *Q. e. 1.*

Cum vero delicta militum, quæ militaria non sunt, ad communia referantur (§. 550.): Transcensionem etiam murorum eo esse referendam, patet. Quare cum in genere, si delictum commune militibus specialiter prohibeatur, eo non fiat militare (§. 554.): Idem etiam de transcensione murorum & vallorum erit asserendum. *Q. e. 2.*

Hæc sunt ea, quæ de delictis militum, præcipué qua talium, demonstranda visa fuere. Cum milites tot modis delinquere possint, quot sunt eorum obligationes (§. 572.); Ambitus vero harum admodum sit amplus, uti illud ex capite secundo apparet. Delicta etiam eorum numero non esse pauca, apparet. Neque hinc etiam omnia, quæ circa eadem dici possent, exhausisse nos putamus. Id vero speramus, tantum effecisse, ut reliqua facili negotio erui poterint, si quæ forsan supersunt. Videri equidem posset, nos omisisse delicta, quæ militibus maxime solent esse consueta. Cum ne verbulum quidem de duellis inveniatur, quæ tamen inter milites potissimum vigent. Dari vero delicta ipsis cum aliis communia, monuimus quidem (§. 549. 550.). Cum vero ex ipsa hac denominatione intelligatur, eadem ab aliis etiam, quam militibus, committi: Nec eorum tractatio hujus loci est, ubi de iis saltem agimus, quæ milites speciatim concernunt. Hæc itaque ad doctrinam criminum generalem remittimus, si quam forsan, Deo volente, tradere contigerit. Atque adeo de delictis tractationem hisce absolvimus, capite sequenti in pœnas eorum inquisituri.

FINIS CAPITIS QUARTI.



JURIS

JURIS MILITUM
NATURALIS
CAPUT V.
DE POENIS MILITUM.

§. 761.

In delicta militum, præsertim militaria, pœnæ statuendæ sunt. *In delicta militum pœnæ statuendæ.*

Intereſt enim reipublicæ, ne milites delinquant (§. 552.). Delicta vero actiones ſunt (*def.* §. 540.): Intereſt itaque reipublicæ, ne milites tales admittant actiones, quæ delicta conſtituunt. Delicta vero actiones liberas ſupponunt (§. 545.). Quare cum actiones liberæ dicantur, quæ a libertate animæ dependent (§. 12. *Part. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*); Libertas autem animæ circa voluntatem aut noluntatem verſetur (§. 942. *Pſych. Emp. WOLF.*): Delicta etiam a libertate animæ, adeoque & a voluntate pendent. Nulla vero in anima volitio fit ſine motivis (§. 889. *loc. cit.*): Ut itaque militibus præbeantur motiva non committendi tales actiones, quæ delicta conſtituunt, neceſſe eſt. Quamobrem cum pœnæ ſint motiva actionum committendarum, vel omittendarum (§. 287. *Part. 1. Phil. pract. univ. cit.*): In delicta etiam militum pœnæ ſtatuendæ ſunt. *Q. e. 1.*

Et cum delicta militaria dicantur, quæ a militibus, qua talibus, committuntur (§. 543.); Delicta vero in genere obligationibus repugnent (*def.* §. 540.): Delicta militaria obligationibus militum, qua talium, contraria eſſe, apparet. Milites itaque, qui delicta militaria committunt, obligationibus ſuis, qua talium, non ſatisfaciunt, ſed iisdem potius adverſantur. Quare cum reipublicæ interſit, ut milites obligationibus ſuis, iis nempe, quibus qua tales tenentur, ſatisfaciant (§. 140.): Intereſt etiam in ſpecie, ne delicta militaria committant. Cum itaque propterea in delicta militum in genere pœnæ ſtatuendæ ſint (*per dem. n. 1.*): Patet, quod in delicta militaria præſertim idem fieri debeat. *Q. e. 2.*

Cum obligationes militum ad actiones eorundem referendæ ſint (*per dem.* §. 84.); Actiones vero militum legibus militaribus determinen-

 tur

tur (§. 87.): Facile apparet, quod, si obligationibus suis adversentur milites, leges militares transgrediantur (§. 139. *loc. cit.*). Quare cum in genere in civitate, quam & milites supponunt (§. 18.), legibus in casum transgressionis pœnæ addendæ sint (§. 585. *Part.* 8. *Jur. nat.* WOLF.): Illud etiam circa leges militares fieri, adeoque & in delicta militum pœnas statui debere, exinde elucet.

Jus vero puniendi milites, qui delinquunt, sive obligationibus suis contraria agunt, in dubium vocari nequit, propterea, quoniam illud naturaliter unicuique competit adversus eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *Part.* 1. *loc. cit.*), adeoque & universitati in violatorem juris sui (§. 579. *Part.* 8. *ibid.*). Cum enim obligationes militares sive militum, qua talium, sint erga rempublicam sive ejusdem rectorem (§. 132.); Adeoque ex iisdem huic jus nascatur (§. 23. *Part.* 1. *ibid.*): Jus hujus violari sive ipsum lædi intelligitur, si milites obligationibus suis adversentur, sive delinquant; Adeoque in eo casu ipsi jus eosdem puniendi competere.

§. 762.

Etiam in quasi delicta.

Quasi delicta militum puniri quoque possunt & debent.

Cum enim quasi delicta culpa saltem committantur (*per def.* §. 541.); Culpa vero in defectu a rectitudine actionis quoad intellectum consistat (§. 717. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.* WOLF.): Videri posset, quasi delicta a voluntate non pendere; Adeoque, cum in delicta pœnæ propterea statuantur, ut motivum præbeant voluntati (*per dem.* §. 761. *n.* 1.), pœnas circa quasi delicta locum non habere. Quoniam vero defectus, in quo culpa consistit, vincibilis supponitur (*per alleg.*); Adeoque evitari potuisset a committente, modo hic voluisset (§. 692. *loc. cit.*): Eatenus utique etiam quasi delicta a voluntate pendent. Quare cum & propterea actiones liberæ & imputabiles sint (§. 545. *dem. n.* 2.); Adeoque sub nomine delictorum in genere comprehendantur (*dem.* §. 541.); In delicta vero militum in genere pœnæ sint statuendæ (§. 761.): Quasi delicta etiam militum tam puniri poterunt, quam debebunt.

§. 763.

Vera delicta gravius punienda quasi delictis.

Vera delicta militum tamen *gravius punienda sunt quasi delictis; Adeoque hæc mitius illis.*

Vera enim delicta, uti in genere, ita militum in specie, dolo committuntur (*def.* §. 541.); Adeoque in committente dolum semper supponunt. Dolus vero in defectu a rectitudine actionis propter voluntatem, aut noluntatem consistit (§. 701. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.* WOLF.): Qui itaque dolo delinquit, illud data opera facit. Quare cum, qui data opera male agit, malitiam committat (*schol.* §. 632. *Part.* 8. *Jur. nat.*

nat. WOLF.): Qui dolo delinquit, malitiam committit. Vera itaque militum delicta malitia committuntur. Contra cum quasi delicta culpa saltem committantur (*per alleg. §. 762.*); Culpa vero in defectu a rectitudine actionis, quoad intellectum saltem, æque licet vincibili, consistat (*per alleg. ibid.*): Qui culpa delinquit, data opera delinquere dici nequit; Neque adeo malitiam committit. Quasi delicta itaque, quemadmodum in genere, ita militum in specie, malitia committi dici nequeunt. Quare cum malitiæ ratio habenda sit in gravitate pœnarum determinanda (*§. 631. loc. cit.*); Adeoque delicta, quæ majori malitia committuntur, gravius iis, quæ minori; Et hinc etiam, quæ malitia committuntur, gravius iis, quæ nulla, punienda sint: Patet, quod & vera militum delicta gravius quasi delictis, adeoque hæc mitius illis sint punienda.

§. 764.

Pœnæ quasi delictorum militum pro gradu culpæ variare, hoc est, graviores aut mitiores esse debent. *Pœnæ quasi delictorum variant.*

Quod enim quasi delicta puniri possint & debeant, hoc est a culpa, qua committuntur, defectu nempe illo a rectitudine actionis vincibili, adeoque & imputabili (*per dem. §. 762.*): Quasi delicta itaque eo gravius, vel mitius punienda esse, facile apparet, quo major aut minor est culpa, qua eadem committuntur. Quamobrem cum culpa gradu differat, & ideo in latam, levem & levissimam dividi soleat (*schol. §. 759. P. 1. Phil. pr. univ. WOLF.*): Patet, quod pœnæ quasi delictorum, ut in genere, ita militum in specie, variare debeant, hoc est, graviores vel mitiores esse, pro gradu culpæ.

Ipsum jus civile hoc agnoscit, dum in eos, qui custodias amiserunt, statuendum pronunciat pro modo culpæ (*l. 12. ff. de Cust. & exhib.*).

§. 765.

Quare cum culpa lata major sit levi, & hæc major adhuc levissima; Contra vero culpa levissima minor sit levi, & hæc minor adhuc lata (*loco cit. WOLF.*); Pœnæ vero quasi delictorum variare debeant pro gradu culpæ (§. 764.): *Quasi delicta, quæ culpa lata committuntur, gravius punienda sunt iis, quæ culpa levi, & hæc gravius adhuc iis, quæ levissima; Mitius contra, quæ culpa levissima committuntur iis, quæ levi, & hæc licet gravius illis, mitius tamen adhuc iis, quæ culpa lata committuntur.* *Quænam gravius aut mitius punienda.*

§. 766.

§. 766.

Pœnæ gravioris & mitioris definitio. Cum pœnæ consistant in malo physico, quod propter malum morale infertur (§. *285. loc. cit.*): Quo majus est malum illud physicum, quod infligitur, eo majorem etiam esse pœnam apparet, & quo minus, eo minorem. *Pœna* itaque, qua majus malum, physicum nempe, infertur, *gravior;* Qua vero minus, *mitior* dicitur (§. *1064. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*).

§. 767.

Pœnæ graviores in delicta militaria statuendæ. *In delicta præsertim militaria graviores pœnæ statuendæ sunt.*

Delicta enim militaria publica sunt, sive crimina (§. 547.), adeoque inter graviora referenda (§. 548.). Quare cum delicta publica sive crimina gravioribus pœnis coercenda sint, quam privata (§. *627. Part. 8. loc. cit.*); Adeoque & graviora delicta pœnis gravioribus (§. *626. ibid.*): Idem etiam de delictis militaribus in specie statim intelligitur.

§. 768.

Etiam in communibus graviores, quam paganis. *Militibus, si vel delicta communia tantum admittant, graviores tamen pœnas statui, quam paganis, convenit.*

Cum enim pœnæ sint motiva actionum, adeoque & delictorum non committendorum (§. *287. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); Pœnæ vero in malo physico consistant (§. *285. ib.*), & graviores sint, quo majus est illud malum (§. 766.): Quo graviores pœnæ in delicta statuuntur; Eo majoris mali repræsentatio suppeditatur, & eo fortius motivum præbetur. Cum itaque nulla in anima fiat volitio aut nolitio absque motivis (§. *889. Psych. Emp. WOLF.*): Facile apparet, quo magis interest, ut actio quædam fiat, aut non fiat, eo majora etiam motiva cum ea esse connectenda; Adeoque etiam, quo magis interest, ne delicta committantur, eo graviores pœnas in ea esse statuendas. Quare cum reipublicæ peculiariter intersit, ne milites delinquant (§. 552.): Patet, quod & quoad delicta communia militibus graviores pœnæ sint statuendæ, quam paganis.

§. 769.

Disciplinæ militaris definitio. Graviorum pœnarum in delicta *militum*, vel communia etiam, constitutio, sive gravior & prompta punitio delictorum militum, communium etiam, *Disciplina militaris* vocatur.

§. 770.

Ea maxime necessaria est. *Disciplina militaris maxime necessaria est.*

In delicta enim militum, tam militaria (§. 767.), quam communia (§. 768.), pœnæ graviores statuendæ sunt. Quare cum hæc graviorum pœna-

pœnarum in delicta militum, communia etiam, constitutio disciplina militaris vocatur (§. 769.): Disciplinam militarem maxime esse necessariam apparet.

Hinc jure civili etiam dicitur, quod disciplina castrorum antiquior fuerit parentibus romanis, quam caritas liberorum (*l.* 19. §. 7. *ff. de Captiv. & postlim.*).

§. 771.

Cum pœnæ in malo quodam physico consistant (§. 766.); Mala vero physica tam quoad se varia sint (§. 567. *Psych. Emp. WOLF.*), quam diverso modo infligi possint (*per exper. & hypoth.*): Pœnæ etiam militum, sive quæ militibus imponuntur, tam quoad malum, quod infligitur, quam quoad modum infligendi eædem esse possunt cum iis, quæ & paganis immittuntur, vel ab his diversæ. *Pœna* itaque, quæ vel paganis solum, vel tam paganis, quam militibus, infligi solent, *communes*, quæ vero non nisi, aut maxime saltem, militibus, seu militum propriæ sunt, *militares* vocantur. *Pœnarum communium & militarium definitio.*

Distinctio pœnarum militum in militares & communes ipsius juris civilis est, pronunciante ARRIO MENANDRO: *Delictorum militum persecutio aut propria, aut communis est (l. 2. princ. ff. de Re milit.).* Rei equidem magis conveniret, si pœnæ militares non nisi in delicta militaria statuerentur. Atque tunc definiri possent. quod sint, quæ propter delicta militaria infliguntur. Uti hæc sunt actiones obligationibus militaribus contrariæ (§. 543.). Cum vero sueverit, ut delictis militaribus pœnæ etiam communes, & delictis militum communibus pœnæ militares infligantur: E re magis visum fuit, definitionem usui adaptare. Sic desertio delictum quam maxime militare est (§. 587.), & tamen ipsi pœna non nisi communis, suspendii nempe, imponitur. Homicidium contra, delictum maxime commune, si a milite committatur, globorum transfossione, quæ pœna militaris est, plerumque plectitur.

§. 772.

Cum pœnæ tam quoad malum, quod infligitur, quam quoad modum illud infligendi, a se invicem differre possint (*per dem.* §. 771.); Pœnæ vero militares a communibus differant (§. *cit.*): *Pœnæ militares tam quoad malum, quod infligitur, quam quoad modum illud infligendi, a communibus possunt esse diversæ.* *Pœnæ militares in quonam differant.*

§. 773.

Cum facile intelligatur, ad modum, quo pœna infligitur, pertinere etiam, a quonam eadem infligatur: In eo etiam differre posse pœnas militares a communibus, apparet (§. 772.): *Pœnæ itaque militares,* *A quibusnam infligantur.*

capitales maxime & corporis afflictivæ, in eo præsertim a communibus differunt, quod non nisi a militibus, vel commentariensis servo saltem, dem Steckenknechte, infligantur.

Hoc per hypothesin, experientiæ consentaneam, ponitur. Executionem enim pœnarum militarium, tam capitalium, quam corporis saltem afflictivarum, fere omnium, a militibus, vel commentariensis minimum servo, peragi, quotidie videmus. Pœnæ vero communes militibus etiam ab iisdem personis, veluti carnifice, infligi solent, a quibus eædem & paganis infliguntur. Id quod conveniat, & quid in infligendis pœnis infamiæ militaribus debeat obtinere, suo loco ostendemus.

§. 774.

In quonam possint consistere. Cum in genere pœnæ consistant in privatione sui, & in faciendo dolore in corpore (§. 588. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.); Speciei vero competant, quæ generi (§. 235. *Log. ejusd.*): *Pœnæ* etiam *militum, & in specie militares, vel in privatione sui, vel in faciendo dolore in corpore consistere possunt.*

§. 775.

In quonam in specie. Porro, cum in pœnam adimi possint res quæcunque corporales, quæ sunt in dominio nostro, pecunia, jura quælibet, sive in perpetuum, sive ad certum tempus, fama & existimatione quis privari, seu infamia notari, corpus variis modis affligi & ipsa denique vita eripi possit, non unico modo (§. 589. *Part. 8. cit.*): *Pœnæ* etiam *militum, & in specie militares, vel in privatione rerum corporalium quarumcunque, uti pecuniæ, vel incorporalium, uti jurium quorumlibet, famæ & existimationis, vel in corporis afflictione & ipsius vitæ ademtione consistere possunt.*

§. 776.

Quotuplices esse possint. *Pœnæ* itaque *tam militum in genere, quam militares in specie, vel mulcta, vel pœnæ infamiæ, vel corporis afflictivæ, vel capitales denique esse possunt.*

Pœnæ enim, ut in genere, ita militares in specie, vel in privatione rerum corporalium quarumcunque, uti pecuniæ, vel incorporalium, uti jurium quorumlibet, famæ & existimationis, vel in corporis afflictione, vel ipsius vitæ ademtione consistere possunt (§. 775.). Quare cum pœna, quæ in privatione pecuniæ, vel rei cujusdam corporalis, aut incorporalis consistit, dicatur mulcta (§. 590. *loc. cit.*); Pœna vero, qua quis privatur fama & existimatione, indeque pendentibus juribus in civitate, pœna infamiæ (§. 618. *ibid.*); Pœna, quæ dolorem facit in corpore, sed mor-

mortem non affert, corporis afflictiva (§. 611. ib.), & ea denique, quæ vitam homini adimit, capitalis (§. 601. ib.): Patet, quod tam pœnæ militum, quam militares in specie, vel mulcta, vel pœnæ infamiæ, vel corporis afflictivæ, vel capitales esse possint.

§. 777.

Miles itaque privatione stipendii puniri etiam poterit. *Privatio stipendii pœna est.*

Sipendium enim dicitur pecunia, quæ militibus sustentationis gratia solvitur (§. 342.). Miles itaque, qui stipendio privatur, pecunia privatur. Quare cum pœna militum in privatione pecuniæ consistere etiam possit (§. 775.): Privatione etiam stipendii miles puniri poterit.

§. 778.

Militem privatione stipendii puniri, non convenit, nisi illud tantum sit, ut ad militis sustentationem totum non requiratur. *Quando non conveniat.*

Stipendium enim dicitur pecunia, quæ militibus sustentationis gratia datur (§. 342.). Quodsi itaque stipendio privaretur miles, sustentatione carere facile posset. Cum vero absque sustentatione miles nec esse, nec ministerium belli præstare possit (*per dem.* §. 339.): Patet, quod nec privatione stipendii eundem puniri conveniat. *Q. e. 1.*

Quodsi vero stipendium tantum sit, ut ad militis sustentationem totum non sufficiat: Miles sustentatione non carebit, licet ea parte stipendii privetur, quæ ad eandem non requiritur. Quod per se patet. Quare cum militem stipendio in pœnam privari, propterea non conveniat, quoniam eo sustentatione carere posset (*per dem. n. 1.*): Ratio ejusdem cessat, si stipendium tantum sit, quantum ad sustentationem non requiritur (§. 56. *Ontol. WOLF.*). Cum itaque cessante ratione sufficiente, cesset etiam, quod propter eam est (§. 118. *loc. cit.*): Patet, quod illud etiam cesset in eo casu, si stipendium tantum sit, ut totum ad sustentationem non requiratur. *Q. e. 2.*

§. 779.

Milites itaque *gregarios & præfectos eorum inferiores privatione stipendii puniri, non convenit.* *Non in gregariis & præfectis inferioribus.*

Militibus enim gregariis & præfectis eorum inferioribus stipendia tam tenuia solent præberi, ut ad eorum sustentationem necessariam vix sufficiant (*per hypoth.*). Quare cum stipendii privatione puniri militem non conveniat, nisi illud tantum sit, ut ad sustentationem totum non requiratur (§. 778.): Patet, quod nec circa milites gregarios & præfectos eorum inferiores illud conveniat.

§. 780.

In præfectis superioribus non repugnat.

Contra cum præfectis militum superioribus, eminentioris præsertim dignitatis, tanta stipendia solvi soleant, ut ad sustentationem necessariam tota non requirantur, sed uberiori saltem, & vel splendori inserviant (*per hypoth.*); In eo vero casu, quo stipendium tantum præbetur, quantum ad sustentationem non requiritur, ejusdem privationem in pœnam fieri non disconveniat (§. 778.): *Præfectos militum superiores, eminentioris præsertim gradus, privatione stipendii puniri, non repugnat.*

§. 781.

Mulcta est.

Privatio stipendii, quæ fit in pœnam, mulcta est.

Privatio enim stipendii pœna militum esse potest (§. 777.): Cum itaque stipendium in pecunia consistat (§. 342.): Eadem, si in pœnam fiat, pœna est, qua miles pecunia privatur. Quare cum pœna, qua quis pecunia privatur, mulcta dicatur (§. 590. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet, quod privatio stipendii, quæ fit in pœnam, mulcta sit.

Additur, quod fiat in pœnam. Privatio enim stipendii contingere etiam potest, etsi in pœnam non fiat. Sic si miles mittatur, stipendio simul privatur. Non omnem vero missionem in pœnam fieri constat. Non itaque etiam mulctari dici poterit miles, qui quacunque de causa dimittitur.

§. 782.

Quando mulcta imponi possit.

Mulctam militi imponi non convenit, nisi stipendium ejus tantum sit, ut ad sustentationem totum non requiratur, aut præter stipendia pecuniam seu bona aliunde habeat.

Cum enim mulcta in privatione pecuniæ, quæ fit in pœnam, consistat (§. 590. *cit.*): Si militi mulcta imponitur, pecunia privatur. Cum itaque stipendium sit pecunia (§. 342.): Si pecuniam aliam non habeat, stipendio suo debet privari. Quamobrem cum miles privatione stipendii puniri non debeat, nisi illud tantum sit, ut ad sustentationem ejus totum non requiratur (§. 778.): In casu etiam, quo miles pecuniam sive bona aliunde non habeat, mulctari etiam non poterit, nisi stipendium ejus ad sustentationem ejus totum non requiratur. *Q. e. 1.*

Quodsi vero miles præter stipendium pecuniam vel bona aliunde habeat: Si mulctari debeat, ut stipendio privetur, necesse non est. Quoniam itaque militi mulctam imponere in genere non repugnet (§. 776); Licet in stipendio locum non habeat, si illud non sit sustentatione majus (§ 778.): In eo etiam casu, quo militi tantum non est stipendium, ut ad sustentationem totum non requiratur, mulcta nihilominus impo-

imponi ipsi poterit, si præter stipendium pecuniam aut bona aliunde habeat.

§. 783.

Militi itaque etiam gregario aut præfecto inferiori mulcta imponi poterit, si præter stipendium pecuniam aut bona aliunde habeat. *Militi etiam gregario.*

Cum enim milites gregarii, aut præfecti eorum inferiores, privatione stipendii puniri nequeant (§. 779.); Mulcta vero in privatione pecuniæ, qualis & stipendium est, consistat (§. *590. cit.*): Militi gregario, sive præfecto inferiori, mulctam imponi non posse, si præter stipendium pecuniam aliunde non habeat, apparet. Quodsi vero pecuniam aliam habeat: Ut stipendio privetur, si mulctari debeat, necesse non est. Quoniam itaque non repugnat, ut militi mulcta imponatur, si præter stipendium pecuniam sive bona aliunde habeat (§. 782.): Militi etiam gregario sive præfecto inferiori mulcta imponi poterit in eo casu.

Hinc ipso etiam jure civili mulcta inter pœnas militum refertur (*l. 3. §. 1. ff. de Re milit.*). Ex qua lege mulctam etiam gregario & vel stipendio ejusdem imponi posse, tueri student BEYER (*n. 1266. Jur. milit. prud. p. 567.*), & WAGA (*§. 3. Diss. de Eo, q. j. e. circa pœn. milit. ignom.*). Licet in d. l. neque de milite gregario in specie, neque de mulcta, stipendio ejus imponenda, mentio ulla fiat.

§. 784.

Præfectis vero militum superioribus, eminentioris præsertim gradus, mulcta imponi poterit, etsi præter stipendium pecuniam aut bona aliunde non habeant. *Ut & præfectis superioribus.*

Cum enim mulcta in solutione pecuniæ consistat (§. *590. cit.*); Stipendium vero etiam sit pecunia (§. 342.): Si præfectis militum imponi debeat mulcta, nec præter stipendium pecuniam aut bona aliunde habeant, eandem ex stipendio solvi debere, necesse est. Quoniam itaque non repugnat, ut præfecti militum superiores, eminentioris præsertim gradus, stipendii privatione puniantur (§. 780.): Patet, quod & iidem mulctari possint, licet præter stipendium pecuniam aut bona aliunde non habeant.

§. 785.

Privatio stipendii, quæ fit in pœnam, pœna militaris est. *Privatio stipendii est pœna militaris.*

Stipendium enim dicitur pecunia, quæ militi solvitur, sustentationis nempe gratia (§. 342.). Idem itaque militem supponit. Privari hinc etiam stipendio, nec adeo privatione ejusdem puniri poterit, nisi miles. Pœna itaque privationis stipendii locum non habet, nisi in militi-

 bus,

bus, seu eorum propria est. Quare cum pœnæ, quæ non nisi militibus infligi soleant, sive eorum propriæ sunt, militares dicantur (§. 771.): Patet, quod & privatio stipendii, quæ fit in pœnam, sit pœna militaris.

§. 786.

Mulcta in genere non item.

Mulcta vero *in genere pœna militaris non est, nisi pro ratione stipendii determinetur.*

Cum enim mulctæ non militibus solum, sed & paganis imponantur (*per hypoth.*): Mulcta in genere pœna militaris dici nequit, sed communis potius est (§. 771.). Privatio vero stipendii, quæ fit in pœnam, mulcta est (§. 781.). Et cum illa etiam sit pœna militaris (§. 785.): Datur tamen mulcta quædam, quæ pœnæ militaris nomen meretur. Ut vero pœna quædam militaris sit, a communibus vel quoad malum, quod infligitur, vel quoad modum illud infligendi, differre debet (§. 772.). Malum, quod in mulcta, sive sit pœna militaris, sive communis, infligitur, hic idem est, pecuniæ nempe privatio. Si itaque mulcta quædam pœna militaris esse debeat, necesse est, ut quoad modum malum illud infligendi saltem differat a mulcta in genere. Modus vero mulctam imponendi varius esse potest, prout illa determinatur. Quamobrem cum determinatio mulctæ, quæ militibus imponitur, fiat pro ratione stipendii; Quæ vero paganis pronunciatur, per certam quandam pecuniæ summam (*per hypoth.*): Patet, quod mulcta in genere pœna militaris dici nequeat, nisi illa determinetur pro ratione stipendii.

Sic v. gr. militi mulcta hoc modo dictitatur, ut stipendium unius vel plurium mensium solvat. Paganus vero ad solutionem 100. thalerorum vel aureorum solet condemnari. Malum hic idem est, & stipendium aliquot mensium summam eandem a pagano solvendam efficere potest. Non itaque, nisi modus, quo mulcta ab utroque exigitur, differt. Hoc vero ad pœnam militarem constituendam sufficit (§. 772.).

§. 787.

Mulctæ militaris definitio.

Hinc cum privatio stipendii quæ fit in pœnam, mulcta sit (§. 781.); Privatio vero stipendii, quæ fit in pœnam, pœna militaris (§. 785.): Privatio stipendii, quæ militi fit in pœnam, sive, pœna, qua miles stipendio privatur, *Mulcta militaris* dici poterit.

§. 788.

Confiscatio quando obtineat.

Confiscatio bonorum locum non habet in milite, nisi præter stipendium bona alia habeat.

Confiscatio enim bonorum est actus, quo in pœnam omnia bona, quæ quis habet, ipsi adimuntur & fisco attribuuntur (§. 593. *Part. 8. Jur.*

Jur. nat. WOLF.). Bonis itaque suis privatur, qui eandem patitur, & quidem in pœnam. Quare cum miles privatione rerum corporalium & incorporalium quorumlibet, adeoque & bonorum, puniri possit (§. 7‑5): Confiscationem in militem cadere, dubitari nequit. Eandem vero supponere bona extantia, facile apparet. Cum itaque stipendium militibus sustentationis saltem gratia (§. 342.), adeoque per intervalla temporis solvatur; Neque hinc inter bona, quæ quis habet, referri possit: Patet, quod confiscatio in milite locum non inveniat, nisi præter stipendium bona alia habeat.

Confiscationem bonorum pati solent milites, qui militiam deserunt. Cum vero iidem stipendia sua statim amittant: Facile etiam elucet, pœnam hanc ipsis statutam executione destitui, si præter stipendium bona alia non relinquant.

§. 789.

Confiscatio bonorum pœna militaris non est, sed communis. *Non est pœna militaris.*

Jure enim Romano omnes ob crimen condemnati eandem patiebantur, & hodie illa adhuc in crimine læsæ majestatis obtinet (*not.* §. *593. cit.*). Quare cum ob crimen condemnari potuerint, & crimen læsæ majestatis committere adhuc possint alii, quam milites (*quod per se patet*): Confiscationis pœna non militibus solum, sed & aliis infligitur. Cum itaque pœna saltem, quæ non nisi militibus infligitur, militaris; Quæ vero & aliis imponitur, communis dicatur (§. 771.): Patet, quod eadem non sit pœna militaris, sed communis.

§. 790.

Pœna militum in genere, & militares in specie, naturaliter ipsis infamiam contrahunt. *Pœnæ militum infamiam contrahunt.*

Pœnæ enim in genere, quæ militibus infliguntur, in delicta eorum, sive in genere, sive militaria in specie, statuuntur (§. 761.). Quodsi itaque pœnæ ipsis infligantur, ex eo apparet, eosdem deliquisse. Quamobrem cum delictis militum & militaribus in specie infamia contrahatur (§. 562.): Ex pœnis eorum cognoscitur, quod infamiam sibi contraxerint. Et cum certo demum constet, quod deliquerint, si puniantur; Cum quis delicti argui quidem, innocens tamen inveniri possit (*quod per se patet*): Pœnæ demum militum sive in genere, sive militares in specie, naturaliter ipsis infamiam contrahunt.

Ratio tamen infamiæ, quæ per pœnas contrahitur, in delictis proprie latet. Hinc est, quod dicatur, non pœnam, sed crimen, quod quis admisit, infamare (*schol.* §. 619. *Part.* 8. *loc. cit.*). Et ipso etiam jure civili dicitur

dicitur, quod ictus fustium infamiam non importet, sed causa, propter quam id pati meruit; Et quod in ceteris quoque pœnarum generibus eadem forma statuta sit (*l. 22. ff. de His, qui not. inf.*).

§. 791.

Quæ facti saltem est.

Infamia, quæ per pœnas militum, & militares in specie, naturaliter contrahitur, facti saltem est, quæ dicitur.

Infamia enim, quæ per pœnas militum naturaliter contrahitur, ex delictis eorundem venit (*per dem.* §. 790.). Quare cum infamia, quæ per delicta militum naturaliter contrahitur, facti tantum sit (§. 563.): Idem etiam de infamia, quæ per pœnas eorum naturaliter contrahitur, apparet.

§. 792.

Et effectus civiles non producit.

Infamia, quæ per pœnas militum naturaliter contrahitur, effectus civiles non producit.

Infamia enim, quæ naturaliter per pœnas militum contrahitur, ex delictis eorum venit (*per dem.* §. 790.). Quamobrem cum infamia, quæ ex delictis naturaliter venit, effectus civiles non producat (§. 564.): Illud nec de infamia, quæ per pœnas militum naturaliter contrahitur, prædicari poterit.

§. 793.

Infamia pœna esse potest.

Infamia pœna etiam militum esse potest.

Infamia enim famæ opponitur (§. 862. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Infamia itaque in privatione famæ consistit. Quare cum privatio famæ pœna militum esse possit (§. 775.): De infamia idem patet.

§. 794.

Pro pœna haberi nequit naturalis.

Infamia, quæ per delicta eorumque pœnas militibus contrahitur naturaliter, pro pœna, positiva nempe, haberi nequit; Sed pœna saltem naturalis est.

Cum enim facile intelligatur, quod pœnæ, quæ in delicta militum statuuntur, a voluntate auctoris belli, qui idem est cum rectore civitatis (§. 10.), proveniant (§. 761.); Pœna vero, quæ cum actione libera ex mera legislatoris voluntate connectitur, positiva dicatur (§. 307. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Sub pœnis militum non nisi positivas intelligi apparet. Cum vero infamiam per delicta eorumque pœnas contrahi naturaliter militibus, hic ponatur (*per hypoth.*): Eandem ex delictis necessario sequi, neque adeo a voluntate legislatoris pendere, patet. Quare cum pœna, positiva nempe, qualis hic intelligi debet, a volun-

voluntate legislatoris proficiscatur (*per alleg.*): Infamia illa, quæ naturaliter militibus contrahitur, pro pœna, positiva nempe, haberi nequit. *Q. e. 1.*

Cum autem infamia famæ opponatur (§. *862. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*); Fama vero inter bona fortunæ referatur (§. *688. loc. cit.*): Infamiam ad mala fortunæ referendam esse, dubitari nequit. Infamia itaque inter mala ea referenda est, quæ pœnæ loco infligi possunt (*§. 286. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*), physica nempe (§. *285. ibid.*). Delicta vero ad mala moralia pertinent (§. *374. Part. 1. Theol. nat. ejusd.*). Cum itaque infamia naturaliter cum delictis militum connexa sit (§. *561.*); Naturaliter malum physicum cum morali connectitur. Quare cum in hoc pœna consistat (§. *285. cit.*): Infamia, quæ per delicta eorumque pœnas militibus naturaliter contrahitur, pœna quidem dici poterit. Cum autem eadem naturaliter cum delictis connectatur (*per dem.*); Adeoque ex his necessario sequatur; Pœna vero, quæ ex actione necessario sequitur, naturalis dicatur (§. *306. loc. cit.*): Patet, quod infamia, quæ per delicta & pœnas militibus contrahitur, pœna tantum sit naturalis. *Q. e. 2.*

§. 795.

Ut infamia pro pœna militum possit haberi, eadem lege debet statui. *Quid requiratur, ut sit pœna.*

Pœnam enim positivam intelligi, si infamia pro pœna haberi debeat, jam evicimus (*dem.* §. *794. n. 1.*). Pœna vero positiva ex mera legislatoris voluntate provenit (§. *307. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Quare cum voluntas legislatoris lege declaretur (§. *272. loc. cit.*): Si infamia pro pœna militum haberi debeat, id lege statuendum est.

§. 796.

Infamia itaque, quæ militi in pœnam statuitur, est infamia juris. *Quando sit infamia juris.*

Infamia enim, quæ pœna esse debet, lege statuenda est (*§.* 795.). Quare cum infamia, quæ lege statuitur, infamia juris dicatur (*per hypoth.*): Patet, quod infamia, quæ militi in pœnam statuitur, sit infamia juris.

§. 797.

Infamia, quæ militi in pœnam statuitur, consistit in judicio, de militis imperfectione morali, quod rationem suam habet in lege. *In quonam consistat.*

Ut enim infamia pro pœna militum habeatur, lege illa statui debet (§. 795.). Ex constitutione itaque legis intelligitur, cur infamia sit pœna militis. Quare cum id, ex quo intelligitur, cur alterum sit, ratio ejusdem suf-

sufficiens dicatur (§. 56. *Ontol. WOLF.*): Constitutio legis est ratio sufficiens, cur infamia militi in pœnam imponatur, sive, quod perinde est: Infamia, quæ militi in pœnam statuitur, rationem suam habet in lege. Cum itaque infamia militis in genere consistat in judicio de imperfectione ejusdem (*per dem.* §. 561.); Infamia militis, quæ lege ipsi statuitur, consistere debet in judicio de imperfectione ejusdem, quod rationem suam habet in lege.

§. 798.

Infamia notari quis dicatur. Si militi uti in genere cuiquam infamia in pœnam statuatur, ille *infamia notari* dicitur.

§. 799.

Quid eo declaretur. *Si miles infamia notatur, lege declaratur, eundem obligationibus suis non satisfecisse, seu officiis suis recte functum non esse, sed iisdem contraria egisse, adeoque deliquisse.*

Si enim miles infamia notatur, infamia ipsi in pœnam statuitur (§. 798.). Infamia vero, quæ militi in pœnam statuitur, consistit in judicio de ejus imperfectione, quod in lege rationem suam habet (§. 797.). Cum itaque imperfectio militis, qua talis, enascatur ex eo, si obligationibus suis non satisfaciat, sive officiis suis recte non fungatur, sed iisdem potius contraria agat (§. 559.): Infamia eadem judicium præbet aliis, quod miles, qui illa notatur, obligationibus suis non satisfecerit, sed iisdem potius contraria egerit, adeoque deliquerit (§. 540.). Cum vero infamia illa, quæ pœna militum est, lege debeat statui (§. 795.): Patet, quod si miles infamia notetur, lege declaretur, eundem obligationibus suis non satisfecisse, sive officiis suis recte functum non esse, sed iisdem potius contraria egisse, adeoque deliquisse.

§. 800.

Privationem famæ operatur. *Si miles infamia notatur, privatur fama in pœnam scilicet.* Et vice versa: *Si miles fama in pœnam privatur, infamia notatur.*

Infamia enim famæ opponitur (§. 862. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Hinc cum opposita simul esse nequeant (§. 272. *Ontol. ejusd.*): Fama etiam cum infamia simul subsistere nequit. Quodsi itaque infamia cuidam imponitur, fama eidem debet tolli, seu, quod idem est, fama ille privari. Quare cum si miles infamia notetur, eadem ipsi in pœnam imponatur (§. 798.): Apparet, quod miles, si infamia notatur, fama in pœnam privetur. *Q. e. 1.*

Cum

Cum itaque infamia sit privatio famæ (*per dem. n. 1.*): Cui in pœnam infamia statuitur, ei privatio famæ statuitur. Quare cum is, cui infamia in pœnam statuitur, infamia dicatur notari (§. 798.): Is etiam, cui privatio famæ in pœnam statuitur, seu, qui fama in pœnam privatur, infamia notatur. *Q. e. 2.*

Cum hic prædicatum fiat, quod antea erat subjectum, & subjectum, quod prædicatum erat: Propositio primum demonstrata convertitur (§. 282. *Log. WOLF.*). Quare cum hoc non in omni casu possit (§. 649. *ibid.*); Propositione conversa tamen opus habeamus ad demonstranda alia: Hanc etiam demonstrare visum fuit: Licet forsan absque demonstratione facile concedetur.

§. 801.

Quare cum milites fama in pœnam possint privari (§. 775.); Miles vero, si fama privatur, infamia notetur (§. 800.); Et infamiæ notatio præterea in pœnam fiat (§. 798.): *Milites* etiam *in pœnam infamia notari possunt.* *Infamia notari potest miles.*

Quod etiam hoc modo demonstrari poterit. Infamia pœna militum esse potest (§. 793.). Ut vero sit pœna, lege debet statui (§. 795.). Militi itaque infamia in pœnam statui potest. Quare cum miles infamia dicatur notari, si ipsi infamia in pœnam statuatur (§. 798.): Milites etiam in pœnam infamia notari posse, apparet.

§. 802.

Miles, si fama privetur in pœnam, privatur etiam juribus illis, quæ in civitate a fama dependent. *Privatio famæ quid operetur.*

Cum enim in civitate a fama certa jura pendere soleant (*per hypoth.*): Hæc jura rationem suam habent in fama (§. 851. *Ontol. WOLF.*). Si itaque miles fama privatur: Tollitur in eo ratio sufficiens illorum jurium. Quare cum, uti posita ratione sufficiente ponendum sit, ita etiam sublata eadem, tollatur id, quod propter eam est (§. 118. *Ontol. WOLF.*): Patet, quod si miles fama privetur in pœnam, privetur etiam juribus illis, quæ a fama in civitate dependent.

§. 803.

Quare cum, si miles infamia notetur, privetur fama in pœnam (§. 800.); Miles vero, qui in pœnam fama privatur, privetur etiam juribus in civitate a fama pendentibus (§. 802.): *Si miles infamia notatur, privatur etiam juribus, quæ a fama pendent in civitate.* *Ut & infamiæ notatio.*

§. 804.

Quis pœnam infamiæ patiatur.

Miles, qui fama privatur in pœnam, pœnam infamiæ patitur. Pœna enim infamiæ dicitur, qua quis, expresse scilicet, privatur existimatione sive fama, & inde dependentibus juribus in civitate (§. 618. Part. 8. Jur. nat. WOLF.). Cum itaque miles, qui fama privatur, privetur etiam juribus, quæ ab ea in civitate dependent, & quidem in pœnam (§. 802.): Patet, quod miles, qui fama privatur in pœnam, patiatur pœnam infamiæ.

Definitioni pœnæ infamiæ, quam suppeditavit perill. L. B. de WOLF (*loc. cit.*) addimus, quod eadem quis *expresse* privetur fama. Fieri enim potest, ut per pœnam quidem quis fama privetur; Privatio famæ vero eadem proprie non intendatur, sive ejus objectum non sit, sed saltem cum pœna quadam, quæ v. gr. corporis afflictiva sive capitalis est, connectatur. Hæc pœna quidem ad infames, neutiquam vero pœnas infamiæ erit referenda. Uti suo loco pluribus evincemus.

§. 805.

Quis porro.

Cum itaque miles, qui infamia notatur, in pœnam privetur fama (§. 800.), & juribus, quæ ab eadem in civitate dependent (§. 803.); Miles vero, qui fama in pœnam privatur, pœnam infamiæ patiatur (§. 804.): *Miles* etiam, *qui infamia notatur, pœnam infamiæ patitur.*

Cum infamiæ notatio in pœnam fieri supponatur (§. 798.): Infamiam etiam per eandem intendi debere apparet, ut pro pœna infamiæ haberi possit. Quodsi enim cum alia pœna connectatur modo, hæc saltem infamis, neutiquam infamiæ pœna erit dicenda. Uti ad §. præced. monuimus.

§. 806.

Miles quando fiat infamis.

Cum infamis in sensu juris dicatur, qui infamia, juris scilicet, sive ea, quæ ex legis notatione venit, laborat (*per def.*); Infamia vero, quæ militi in pœnam statuitur, sit infamia juris (§. 796.), & miles, qui infamia notatur, eandem experiatur (§. 798.): *Miles, qui infamia notatur, infamis fit, in sensu juris.*

§. 807.

Quod extenditur.

Et cum miles, qui fama in pœnam privatur, infamia notetur (§. 800.); Miles vero, qui infamia notatur, infamis fiat (§. 806.): *Miles* etiam, *qui fama in pœnam privatur, infamis fit.*

§. 808.

Ulterius.

Porro cum intelligatur, militem, qui infamiæ pœnam patitur, fama in pœnam privari (*per dem.* §. 804.); Adeoque infamia notari (§. 800.); Miles

Miles vero infamis fiat, si infamia notetur (§. 806.), vel si fama in pœnam privetur (§. 807.): *Miles, qui infamiæ pœnam patitur, infamis fit.* Et vice versa: *Qui infamis fit in pœnam, pœnam infamiæ patitur.*

Cum enim infamis dicatur, qui infamia afficitur (*def.* §. 806.): Qui infamis fit in pœnam, is infamia in pœnam afficitur. Cui vero infamia in pœnam statuitur, infamia notari dicitur (§. 798.). Quare cum is, qui infamia notatur, pœnam patiatur infamiæ (§. 805.): Militem etiam, qui infamis fit, pœnam infamiæ pati apparet.

§. 809.

Infamis quibus juribus privetur.

Miles, qui infamis fit, privatur juribus, quæ in civitate a fama dependent.

Ut enim miles infamis fiat, eundem infamia notari (§. 806.), sive, fama privari debere (§. 807.) apparet. Miles vero, qui infamia notatur, sive fama privatur, privatur etiam juribus, quæ in civitate a fama dependent (§. 802. 803.): Militem itaque etiam, qui infamis fit, in pœnam scilicet, privari juribus in civitate a fama pendentibus, patet.

§. 810.

Quibus in specie.

Miles itaque, *qui infamis fit, incapax fit juris standi in communione & societatem ineundi cum aliis.*

Cum fama enim connecti solet in civitate jus standi in communione & societatem ineundi cum aliis (*per hypoth.*). Jura itaque hæc a fama in civitate dependent. Quare cum miles, qui infamis fit, privetur etiam juribus a fama pendentibus in civitate (§. 809.): Eundem etiam privari jure standi in communione & societatem ineundi cum aliis, apparet.

§. 811.

De quibusnam hoc intelligatur.

Hinc cum miles, qui infamia notatur (§. 806.), aut fama in pœnam privatur (§. 807.), & infamiæ pœnam patitur (§. 808.), infamis fiat; Miles etiam in specie, qui fama in pœnam privatur (§. 802.) sive infamia notatur (§. 803.), privetur etiam juribus, quæ a fama in civitate pendent: *Miles, qui infamia notatur, sive fama in pœnam privatur, adeoque infamiæ pœnam patitur, jure standi in communione & societatem ineundi cum aliis privatur.*

Cum infamia notari, fama in pœnam privari, aut infamem fieri, & pœnam infamiæ pati idem proprie significet: Facile apparet, diversis modo locutionibus idem indigitari. Quoniam vero eædem promiscue occurrunt: Ad singula applicare visum fuit, quod de una vel altera demonstratur: Ne circa earum applicationem hæreamus.

§. 812.

Infamis miles esse nequit.

Miles, qui infamis fit, adeoque &, qui fama privatur in pœnam, aut infamia notatur, aut infamiæ pœnam patitur, miles manere nequit.

Cum enim milites dicantur homines, qui bello gerendo inserviunt (§. 14.); Ad bellum vero gerendum opus sit hominibus pluribus (§. 13.): Pluribus etiam militibus opus esse apparet. Milites itaque inter se, & quemque cum aliis in communione stare, necesse est. Similiter cum belli finis sit juris, quod denegatur, persecutio (§. 1.); Milites vero huic fini inserviant (*per dem.*); Et pactum sive quasi pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo, societas dicatur (§. *1. Part.* 7. *Jur. nat. WOLF.*): Milites etiam in societate quadam constituuntur. Ut quis itaque miles esse possit, competere ipsi debet jus standi in communione & societatem ineundi cum aliis. Quare cum milites hoc jure priventur, qui infames fiunt (§. 810.), ut &, qui infamia notantur, fama in pœnam privantur, & infamiæ pœnam patiuntur (§. 811.): Eosdem etiam milites manere non posse, apparet.

Jure adeo civili statutum est, ut qui semel infamia notatus fuit, postea nec volens miles fieri possit (*l.* 4. §. 6. *ff. de Re milit.*). Et plerarumque gentium legibus militaribus idem esse constitutum, docet STEPH. WAGA (§. 25. *Diss. de Eo, q. j. e. circa pœn mil. ignom.*). Non tamen desunt exempla, præsertim in desertoribus, quorum nomina, prævia expressa infamiæ declaratione, patibulo infixa sunt, ut fama ipsis restituatur, & in militiam recipiantur.

§. 813.

Infamia effectus civiles producit.

Infamia, qua milites, in pœnam scilicet, notantur, effectus civiles producit.

Milites enim, qui infamia notantur, privantur juribus in civitate a fama pendentibus (§. 803.). Privatio itaque jurium ab infamia ista, tanquam causa dependet. Quare cum causatum, quod a causa efficiente dependet, effectus dicatur (§. 886. *Ontol. WOLF.*): Privatio jurium istorum est effectus infamiæ illius. Infamia vero, quæ pœna militum esse debet, a lege, civili nempe, venit (§. 795.). Effectus itaque ille etiam a lege provenit. Quare cum effectus a lege civili provenientes, sive quæ jura in civitate concernunt, civiles dicantur (*per def.*): Patet, quod infamia, qua milites in pœnam notantur, effectus civiles producat.

Effectus infamiæ militum recenset WAGA (*loc. cit.*). Inter quos etiam est, ut testamentum eorundem militare statim desinat valere (*l.* 26. *ff. de Test. milit.*); Licet alias anno post missionem adhuc valeat. Quod etiam in ipsa re rationem suam agnoscere, ostendimus (§. 423.).

§. 814.

§. 814.

Infamia, qua miles in pœnam notatur, vel mediata vel immediata esse potest. *Quotuplex sit eadem.*

Infamia enim, qua miles notatur in pœnam, infamia juris est (§. 796.). Cum itaque infamia juris vel mediata sit quæ non nisi prævia sententia judicis locum habet; Immediata, quæ vel absque prævia sententia ipso jure obtinet (*per hypoth. & def.*): Patet etiam, quod infamia, qua miles in pœnam notatur, vel mediata vel immediata esse possit.

Quod vero actu non sit, sive esse debeat, quam mediata, mox ostendemus.

§. 815.

Ut miles infamia notetur, sive infamis fiat, in pœnam scilicet, certo constare debet, eum delictum aut factum tale admisisse, in quod infamia statuta est. *Quid requiratur, ut miles fiat infamis.*

Cum miles, qui infamia notatur, infamis reddatur (§. 806.); Infamia notari vero in pœnam fiat (§. 798.): Militem in pœnam infamem fieri, hic supponitur. Pœna vero non nisi in malum morale sive delictum statuitur (§. 285. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*). Miles itaque etiam infamia notari, sive infamis in pœnam fieri nequit, nisi delictum tale commiserit, in quod infamia statuta est. Et cum delicta facta sint (§. 580. *Part. 8. Jur. nat. ejusd.*); Adeoque certo constare debeat, quendam factum illud admisisse, quod delictum constituitur, antequam deliquisse dici poterit (*quod per se patet*): Intelligitur etiam, quod certo constare debeat, militem delictum tale commisisse, in quod infamia statuta est, antequam eadem notari, sive in pœnam infamis fieri possit.

§. 816.

Miles infamia notari sive infamis in pœnam fieri nequit, nisi judicis declaratione. *Quomodo fiat.*

Cum enim infamia notari in pœnam fiat (§. 798.); Et militem in pœnam infamem fieri, hic supponatur (*per dem. §. 815.*): Militem, qui infamia notatur, sive in pœnam infamis fit, puniri apparet. Miles vero civitatem constitutam supponit (§. 18.). Quare cum, si quis in civitate puniri debeat, illud faciendum sit a judice (*per dem. §. 559. Part. 8. cit.*): Patet, quod si miles infamia notari, sive in pœnam infamis reddi debeat, illud fieri non possit, nisi judicis declaratione.

§. 817.

§. 817.

Quid in specie requiratur.

Ut itaque *miles infamia notetur, sive infamis fiat in pœnam, causa cognitio & sententia judicis requiritur.*

Ut enim miles infamia notetur, sive in pœnam infamis fiat, requiritur, ut de delicto certo constet (§. 815.), & judicis declaratio accedat (§. 816.). Quamobrem cum de facto absque causæ cognitione certo constare non possit (§. 542. *Part. 8. cit.*), & per sententiam declaratio judicis fiat (§. 543. *ibid.*): Statim patet, quod ad militem infamia notandum, sive infamem reddendum, causæ cognitio & sententia juris requiratur.

Paulo vero uberius hoc modo demonstratur. Miles enim, qui infamia notatur, sive in pœnam infamis fit, punitur (*dem.* §. 816.). Cum autem puniri non possit, nisi delicto aut crimine sufficienter probato (§. 673. *Part. 8. cit.*): Neque etiam miles infamia notari, aut in pœnam infamis fieri potest, nisi delicto aut crimine, in quod infamia statuta est, sufficienter probato. Quare cum notitia facti sufficienter probati cognitio causæ dicatur (§. 542. *ibid.*): Patet, quod miles infamia notari, sive in pœnam infamis fieri nequeat absque causæ cognitione. *Q. e. 1.*

Causæ vero cognitionem sententia judicis sequitur; Et per hanc demum declaratur, aliquem delictum commisisse & pœnam in illam statutam promeruisse (§. 543. *ibid.*). Sententia itaque judicis certo demum constat, militem deliquisse, & talem esse, qui infamia notari sive infamis fieri debeat, declaratur. Quare cum tam hoc (§. 816.), quam illud (§. 815.), ad militem infamia notandum vel infamem reddendum requiratur: Ad idem etiam causæ cognitione & sententia judicis opus esse, apparet. *Q. e. 2.*

In casu saltem speciali ejusdem est sententiæ HENR. MYLIUS sive potius GOTTH. EHRENF. WEND (§. 17. *Diss. de Pœn. milit. fam.*).

§. 818.

Infamia tantum mediata obtinet.

Infamia itaque *circa militem puniendum non nisi mediata obtinet.* Seu: *Infamia, qua miles in pœnam afficitur seu notatur, mediata tantum est.*

Miles enim infamia notari nequit absque prævia judicis sententia (§. 817.). Quare cum infamia, quæ non nisi prævia sententia judicis obtinet, mediata dicatur (*def.* §. 814.): Infamia etiam, qua miles in pœnam notatur, mediata tantum est.

Licet

Licet itaque supra asseruerimus, eandem vel mediatam vel immediatam esse posse vel debere (§. 814.): Hoc de possibilitate intrinseca tantum intelligendum esse apparet; Neque adeo obstat, quod hic affirmetur, illam non esse nisi mediatam.

§. 819.

Si miles per factum quoddam infamem semet ipsum reddat, infamia notari, in pœnam scilicet, dici nequit; Sed potius delictum committit, animadversione adhuc dignum. *Quando semet ipsum infamem reddat.*

Si enim miles factum quoddam suscipiat, per quod semet ipsum reddit infamem: Delictum eundem nondum commisisse supponitur, propter quod infamia ipsi in pœnam statuatur, sed ipso hoc facto infamiam sibi contrahit. Quare cum pœna malum morale sive delictum supponat (§. *285. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Apparet, quod miles infamia notari, in pœnam scilicet, nequeat, qui eandem semet ipsi facto quodam contrahit. *Q. e. 1.*

Cum vero miles, qui infamis fit, miles manere nequeat (§. 812.): Miles, qui infamem semetipsum reddit, ad militiam se reddit inhabilem. Quare cum milites, qui ad militiam ulteriorem præstandam data opera se reddunt inhabiles, delinquant (§. 751.), & in specie delictum murcorum admittant (§. 752.); In delicta vero militum in genere pœnæ sint statuendæ (§. 761.): Miles, qui facto quodam semet ipsum reddit infamem, delictum committit, animadversione adhuc dignum. *Q. e. 2.*

Dari facta talia, quibus quis, adeoque & miles, infamem se reddere possit, constat, ut si v. c. carnificinæ se addicat. Infamiam vero, quæ eo contrahitur, pœnam delicti cujusdam antecedentis non esse, sed sponte potius suscipi, facile intelligitur. Cum vero miles per facti talis susceptionem obligationi suæ ad militiam adversetur (*dem.* §. 751.), adeoque delinquat (§. 540.): Propter infamiam istam sponte sibi contractam pœnam adhuc meretur, qualis etiam actu statui solet. Cujus rei in milite Saxone exemplum refert AUG. a LEYSER (§. 4. *Diss. de Fuga militiæ p. 5.*).

§. 820.

Infamia, quam miles facto quodam, in quod eadem lege positiva statuta est, sibimet ipsi contrahit, immediata est. *Quænam infamia sit immediata.*

Cum hic supponatur, jure civili statutum esse, ut quis ipso quodam facto infamis fiat (*per hypoth.*): Ad hoc sententia judicis non requiritur, sed eadem ipso jure obtinet. Quare cum infamia, juris scilicet, qualis est, quæ lege civili statuitur (*def.* §. 796.), si absque prævia sententia ipso jure obtineat, immediata dicatur (*def.* §. 814.): Patet, quod infa-

mia, quam miles facto quodam, in quod eadem lege positiva statuta est, sibimet ipsi contrahit, immediata sit.

Licet itaque infamia, qua miles in pœnam notatur, sit tantum mediata (§. 818.): Immediatam tamen etiam circa militem obtinere posse, ex hoc apparet. Quæ vero pœna proprie non est, sed pœna potius adhuc digna (§. 819.). Id quod monendum duximus, tam ut appareat, quomodo termini juris civilis, si rite determinantur, applicari possint, quam, ne dubium oriatur, si infamia militum, quæ in pœnam statuitur, mediata tantum dicatur.

§. 821.

Prædiorum conductio cur infamet.

Quod miles aliena prædia conducens, ipso jure infamis fiat, juris saltem positivi est.

Licet enim ratione non destituatur, quod militi prædiorum alienorum conductio prohibeatur (§. 474.): Ratio tamen, cur sub pœna infamiæ hoc fiat, non apparet. Quodsi itaque lege illud statuatur, a voluntate legislatoris illud dependet. Quare cum jus, quod a voluntate entis cujusdam rationalis dependet, positivum dicatur (§. 147. *Part. I. Phil. pract. univ. WOLF.*); Jure vero civili sancitum sit, ut milites, qui aliena prædia conducunt, sive aliquo facto, sive aliqua sententia infames fiant (*l. ult. Cod. de Locat.*): Patet, quod hoc sit tantum juris positivi.

Licet vero in iis, quæ infamiam ipso facto & jure inferunt, sententia non requiratur; Ut tamen constet, quenquam factum tale suscepisse, in quod infamia statuta est, adeoque causæ cognitio requiritur. Præsertim, si propter infamiam sibi contractam puniri adhuc debeat miles. Uti obtinet in casu §. 819.

§. 822.

Declaratio pro infami per sententiam.

Si miles per sententiam judicis pro infami expresse declaratur, infamis fit, in sensu scilicet juris.

Cum enim miles infamis, in pœnam scilicet, fieri nequeat, nisi judicis declaratione (§. 816.), & sententia (§. 817.): Facile apparet, si miles per sententiam judicis pro infami expresse declaretur, eundem eo fieri infamem. Cum vero simul hoc fiat in pœnam (*per alleg.*); Infamia vero, quæ militi in pœnam statuitur, sit infamia juris (§. 796.): Simul patet, quod in sensu juris infamis idem dicendus sit.

§. 823.

Declaratio pro experte famæ.

Hinc cum etiam miles, qui fama privatur, infamis fiat (§. 807.); Adeoque si miles per sententiam judicis fama privetur, seu famæ expers declaretur, idem fit, ac si pro infami expresse declaretur: *Miles, qui per*

per sententiam judicis famæ expers declaratur, sive eadem privatur, infamis fit.

§. 824.

Expressa militis per sententiam pro infami declaratio, *Infamatio* dici solet; Et quidem si per sententiam absolvatur, *privata*; Si vero actu quodam publico corporali peragatur, *publica*. *Infamationis definitio.*

Denominationem hanc, barbaram licet, suppeditavit G. E. WEND (§. 14. *Diss. de Pœnis militum famosis*). Patrio sermone ea dicitur, *das Schelmenmachen*, & publica quidem, *wenn einer öffentlich zum Schelmen gemacht wird*. In cujus vocis origine indaganda, idem cum aliis operam suam collocavit (§. 15. *loc. cit.*).

§. 825.

Si miles pro infami declaratur, a militia simul debet dimitti, & quidem cum infamia. *Miles infamis mitti debet.*

Miles enim, qui infamis fit, miles manere nequit (§. 812.). A militia itaque solvatur, necesse est. Quare cum solutio a militia dimissio dicatur (§. 297.): Patet etiam, quod miles, qui pro infami declaratur, a militia mitti debeat. *Q. e. 1.*

Cum vero hic mittatur, qui pro infami declaratur (*per hypoth.*); Adeoque infamia ipsi imponatur (*def.* §. *806.*): Facile intelligitur, quod is cum infamia debeat dimitti. *Q. e. 2.*

§. 826.

Dimissio militis, quæ fit cum infamia, *ignominiosa* dicitur. *Dimissionis ignominiosæ definitio.*

§. 827.

Hinc cum miles, qui pro infami declaratur, cum infamia mitti debeat (§. 825.): *Miles, qui pro infami declaratur, ignominiose simul mitti debet.* *Infami imponenda.*

§. 828.

Si miles delicti alicujus reus, & vel pœnam passus, in militia servetur, pro infami haberi nequit. *Non est, qui in militia servatur.*

Miles enim, qui infamis fit, miles manere nequit (§. 812.), sed a militia debet dimitti (§. 825.). Quodsi itaque miles delicti alicujus reus, & vel pœnam passus, in militia servetur: Ipso hoc facto declaratur, eundem infamem non esse debere, in sensu scilicet juris. Quare cum infamia, juris nempe, lege statuatur (*def.* §. *796.*), adeoque a voluntate superioris dependeat: Patet, quod miles delicti licet cujusdam reus & pœnam passus, si in militia servetur, pro infami haberi nequeat.

§. 829.

Ignominiosa missio est infamatio.

Miles, qui ignominiose dimittitur, infamatur, wird zum Schelmen gemacht.

Cum enim ignominiosam dimissionem præcedat pro infami declaratio, expressa nempe per sententiam (§. 827.). Militem, qui ignominiose dimittitur, pro infami declarari, facile intelligitur (§. 826.). Quare cum expressa pro infami declaratio infamatio dicatur (§. 824.): Patet etiam, quod miles, qui ignominiose mittitur, infametur.

§. 830.

Pœna militum esse potest.

Dimissio ignominiosa pœna militum esse potest.

Per infamationem militi infamiam inferri, nullo negotio intelligitur (§. 824.). Cum itaque dimissio ignominiosa sit infamatio (§. 829.): Illa etiam infamia militi inferri patet. Quare cum infamia pœna militum esse possit (§. 793.): Apparet, quod eadem etiam esse queat dimissio ignominiosa.

§. 831.

Pœna militaris est.

Dimissio ignominiosa est pœna militaris.

Dimissio enim militiam (§. 297.), adeoque & non nisi milites hic supponit (§. 83.). Ignominiose itaque etiam proprie dimitti nequeunt, nisi milites. Cum itaque dimissio ignominiosa pœna sit (§. 830.): Eadem infligi non potest, nisi militibus. Quare cum pœnæ, quæ non nisi, vel maxime saltem, militibus infligi solent, militares dicantur (§. 771.): Patet, quod dimissio ignominiosa sit pœna militaris.

Alii quidem etiam ab officio suo in pœnam removeri posse, res ipsa loquitur. Si itaque hanc ab officio qualicunque remotionem dimissionem etiam dicere velis: Ea, quæ fit militibus, pœna militaris non esset. Cum vero hic supponatur dimissio ignominiosa; Ea vero circa alios, quam milites, non adeo facile obtineat; Alii etiam ab officio potius removeri, quam dimitti dicantur; Adeoque dimissio ignominiosa proprie non nisi de milite intelligatur: Eandem pro pœna militari haberi, absonum non videtur.

§. 832.

Pœnæ militum exemplares sint.

Pœnæ militum maxime sunt exemplares.

Interest enim reipublicæ, ne milites delinquant (§. 552.). Quamobrem cum & propterea in delicta militum pœnæ statuantur, ut hæ motivum non delinquendi præbeant militibus (*dem.* §. 761.): Pœnæ militum eo potissimum tendunt, ut aliis incutiatur metus, quo a delinquendo deterrean-

terreantur. Quare cum pœnæ, quæ eo tendunt, dicantur exemplares (§. *1062. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod pœnæ militum maxime sint exemplares.

§. 833.

Ut itaque infamatio militum fiat actu quodam publico, neque sola sententia absolvatur, convenit. *Infamatio publice fiat.*

Si quid enim publice fit, illud coram pluribus fieri, & ad notitiam plurium pervenire, constat. Quare cum pœnæ militum exemplares maxime sint (§. 832.), adeoque eo tendant, ut & aliis metus incutiatur, quo a delinquendo deterreantur (*def. alleg.*): Ut eædem publice fiant, maxime convenit. Quamobrem eum facile intelligatur, infamationem pœnam esse militum (§. 824.): Apparet etiam, quod licet eadem per solam sententiam absolvi possit (*loc. cit.*), magis tamen conveniat, ut actu quodam publico peragatur.

Cum ea, quæ sensus feriunt, expressa magis in animo relinquant vestigia, quam ea, quæ intellectu saltem percipiuntur: Infamatio, quæ actu quodam corporali, adhibitis nempe ceremoniis, peragitur, fortius etiam motivum præbebit, quam si sola sententia absolvatur.

§. 834.

Quodsi *infamatio* fiat in ipsam personam militis, *realis*; Si vero per symbola aut signa fiat, *symbolica* eadem dici solet. *Infamationis realis & symbolicæ definitio.*

Hanc infamiæ publicæ potissimum divisionem itidem debemus WENDIO (§. 16. loc. cit.).

§. 835.

In absentes locum non habet, nisi infamatio symbolica. *Symbolica in absentes obtinet.*

Absentis enim personam non adesse, per se patet. Quare cum infamatio realis fieri debeat in personam (§. 834.): Eadem in absentes fieri nequit. Cum vero symbola dicantur entia, quæ rem aliam repræsentant (*per def.*); Adeoque & infamatio fieri possit per symbola, infamationis realis repræsentativa; Infamatio vero, quæ fit per signa aut symbola, dicatur symbolica (§. 834.): Apparet, quod in absentes non obtineat, nisi symbolica.

§. 836.

Cum symbola tam verba, quam facta esse possint (§. *289. Psych. empir. WOLF.*); In absentes vero infamatio per symbola fieri possit (§. 835.): *Infamatio in absentes vel verbis vel factis peragi potest.* *Quomodo fiat.*

§. 837.

Si publice pro infami proclametur.

Si miles absens publice pro infami proclametur, infamationem patitur, publicam nempe, & in specie symbolicam.

Cum infamia in pœnam inferri supponatur (*per hypoth.*); Ut vero quis infamis fiat in pœnam, sententia judicis debeat præcedere (§. 817.): Ut quis absens pro infami publice proclametur, sententia judicis eundem pro infami declaratum esse debere, apparet. Non vero nuda sententia declarationem hanc absolvi, sed actu aliquo publico corporali, proclamatione nempe publica, demum peragi, ponitur, & quidem contra absentes. Quare cum declaratio pro infami, quæ per sententiam non absolvitur, sed actu quodam publico corporali peragitur, infamatio publica dicatur (§. 824.); Contra absentes vero obtinere nequeat, nisi symbolica (§. 835.): Patet, quod miles, qui absens publice pro infami proclamatur, infamationem publicam, eamque symbolicam patiatur.

Cum ea, quæ publice apud milites aguntur, in peditatu sub tympanorum, in equitatu vero sub tubarum sono fiant (*per exper.*): Proclamatio etiam pro infami, si in militum absentium pœnam fiat, sub tympanorum aut tubarum clangore peragi solet.

§. 838.

Si nomen vel effigies affigatur.

Si militis absentis nomen vel effigies patibulo affigatur, infamationem ille patitur, publicam nempe, & in specie symbolicam.

Affixionem enim nominis vel effigiei in patibulo, quæ fit in pœnam militis absentis, sententia pro infami eundem declarans præcedere supponitur (*per hypoth.*), & supponi debet (*per dem.* §. 837.). Non vero per sententiam hæc declaratio absolvitur, sed actu quodam publico corporali demum, nominis nempe vel effigiei in patibulo suspensione, quæ ex hypothesi itidem pro re infamante habetur. Quare cum declaratio pro infami, quæ non nuda sententia absolvitur, sed actu aliquo publico corporali peragitur, infamatio publica dicatur (§. 824.); Ea vero contra absentem fiat, adeoque non nisi symbolica esse possit (§. 835.): Si militis absentis nomen vel effigies patibulo affigatur, eundem infamationem & quidem publicam in specie symbolicam pati, apparet.

Diversæ quidem infamationis symbolicæ species sunt nominis affixio & effigiei suspensio; Quas vero, tanquam sub uno genere, ejus nempe infamationis symbolicæ, quæ non verbis, sed facto quodam absolvitur, comprehensas cumulavimus.

§. 839.

Si gladius ipsi adimatur s. frangatur.

Miles, cui gladius abripitur, seu coram genubus frangitur in pœnam, infamis fit sive declaratur.

Cum

Cum enim gladius signum sit honorificum militiæ (*per hypoth.*): Si militi gladius abripiatur, sive coram genubus frangatur, eo declaratur, illum indignum esse, qui miles sit. De eodem itaque aliter non licet judicare, quam quod officiis suis recte non sit functus. Quare cum in judicio tali infamia militis consistat (§. 561.): Per gladii ademtionem sive fractionem militi infamia infertur. Id vero in pœnam fieri ponitur. Miles itaque, cui gladius in pœnam adimitur vel frangitur, infamia notatur (§. 798.). Cum itaque miles, qui notatur infamia, infamis fiat (§. 806.): Miles etiam, cui gladius adimitur, vel coram genubus frangitur in pœnam, infamis eo fit, sive declaratur.

§. 840.

Fractio gladii pro genubus, sive ademtio ejusdem, quæ fit militi in pœnam, infamatio est, & quidem realis. *Infamatio realis est.*

Per fractionem enim sive abreptionem gladii miles fit infamis (§. 839.). Miles vero absque prævia sententia infamis fieri nequit (§. 817.). Ut itaque militi gladius in pœnam abripiatur, sive frangatur, sententia judicis pro infami simul declarari debere apparet. Declaratio vero hæc non sola sententia absolvitur, sed actu quodam publico, gladii nempe abreptione vel fractione peragitur (*per hypoth.*). Quare cum talis declaratio infamatio publica dicatur (§. 824.): Patet, quod miles, cui gladius in pœnam adimitur, vel frangitur, infamationem publicam patiatur. Et cum simul ponatur, gladium abripi militi, seu eidem frangi coram genubus (*per hypoth.*): Eandem in personam præsentis fieri debere intelligitur. Quæ cum realis dicatur: Infamatio eadem quoque realis est.

Cum jure romano exauctorari diceretur, cui insignia militaria detrahebantur, eoque infamis miles efficeretur (*l.* 2. *ff. de His, qui not.*): Exauctoratio inter pœnas militum infamantes refertur a STEPH. WAGA (§. 18. *Diss. de Eo, q j. e. circa pœnas mil. ignom.*). Cum vero non omnis exauctoratio in pœnam fiat & infamem reddat (*l.* 4. §. 8. *ff. de Re milit.*): Melius cum WENDIO ab hac denominatione abstinemus (§. 14. *Diss. de Pœn. mil. fam.*). Et exauctoratio huc referri non poterit, nisi in pœnam fiat.

§. 841.

Depulsio vel detrusio corporalis militis pro infami infamatio publica & realis est. *Detrusio pro infami.*

Per eandem militem pro infami declarari, ex ipsis verbis intelligitur. Non vero eandem per sententiam absolvi, sed actu quodam publico corpo-

corporali, depulsione nempe vel detrusione corporali, peragi, ponitur (*per hypoth.*). Quare cum militis pro infami declaratio, quæ sententia non absolvitur, sed actu demum quodam corporali publico perficitur, infamatio publica dicatur (§. 834.): Depulsio etiam vel detrusio militis pro infami, infamatio publica est. *Q. e. 1.*

Detrusio vero sive depulsio corporalis hic supponitur. Eandem itaque in personam militis fieri patet. Quare cum infamatio, quæ fit in personam alicujus, realis dicatur (§. 834.): Et eadem realis est. *Q. e. 2.*

Germanice dicitur, *dass einer als ein Schelm fortgejagt wird.*

§. 842.

Ad missionem ignominiosam accedat.

Ut dimissio ignominiosa fiat cum detrusione corporali, convenit.

Dimissio enim ignominiosa infamationis species est (§. 829.). Infamationem vero non sola sententia, sed actu quodam publico absolvi, convenit (§. 833.). Quare cum depulsio corporalis pro infami actus talis sit, quo infamatio peragitur (*dem.* §. *841.*); Patet, quod conveniat, dimissionem ignominiosam cum eadem fieri.

Obtinere itaque etiam eadem plerumque solet in gregariis maxime militibus, qui ignominiæ causa mittuntur. Cum præfectis vero nonnunquam mitius agi solet, ut sola sententiæ prælectione cum infamia mittantur. Cum depulsio corporalis supponatur, eam corpore fieri debere intelligitur. Quod hoc modo peragi solet, ut carnifex vel servus commentariensis militem a consortio & ex circulo commilitonum suorum pede ad partem corporis posteriorem adhibito in notam infamiæ propellat.

§. 843.

Infamia non semper intenditur.

Infamia vel expresse militi in pœnam statui, vel cum pœna alia, quæ militi infligitur, connecti saltem potest.

Infamiam enim pœnam militum esse, seu in pœnam militi expresse statui posse, jam demonstravimus (§. 793.). Eandem vero etiam cum pœnis aliis, imo factis, quæ proprie delicta non sunt, connecti posse & solere, experientia comprobat (*per hypoth.*). Quia itaque etiam cum aliis pœnis militum, per quas infamia proprie non intenditur, connecti possit, dubium esse nequit. Atque hinc patet, quod infamia militi in pœnam vel expresse statui, vel cum alia saltem pœna, quæ ipsi infligitur, connecti possit.

Dari ejusmodi pœnas, quæ quidem infamiam non pro objecto, eandem tamen quam arctissime connexam habent, cuivis facile apparebit. Sic licet v. gr. suspendium pœna maxime infamis sit: Eo tamen non proprie infamia intenditur, sive objectum ejus est, sed potius vitæ ademtio; Hæc vero saltem cum infamia connexa.

§. 844.

§. 844.

Pœnæ militum, per quas infamia vel expresse statuitur, vel quibuscum eadem saltem connectitur, infames sunt. *Quænam pœnæ militum sint infames.*

Cum facile intelligatur, pœnas militum, per quas infamia expresse statuitur, eandem pro objecto habere (*§. 949. Ontol. WOLF.*): Infamiam etiam cum iisdem tam arcte connecti apparet, ut absque eadem pœnæ evanescant. Non itaque hic ponuntur pœnæ, quam quibuscum infamia connexa est. Quare cum pœnæ, quæ cum ignominia sive infamia conjunctæ sunt, infames dicantur (*§. 619. Part. 8. Jur. nat. ejusd.*): Tam etiam pœnæ militum, per quas infamia expresse statuitur, quam quibus cum eadem saltem connectitur, infames sunt.

Perillustris quidem L. B. de WOLF, dum pœnas infames definit, addit: *seu, quæ famæ nocent (loc. cit.)*, & in genere omnes capitales & corporis afflictivas, cum eædem ob crimina perpetrata infligantur, eo refert. Quod utique quoad infamiam facti, quæ per delicta (§. 563.), eorumque pœnas naturaliter etiam contrahitur (§. 791.), procedit. Cum vero hæc ad pœnam, positivam nempe, constituendam non sufficiat (§. 794.); Sed infamia, quæ pœna esse debet, lege statuenda sit (§. 795.): Pro pœna etiam infamia haberi nequit, nisi quæ cum illa a lege connectitur. Nec adeo pœnæ capitales aut corporis afflictivæ indistincte omnes pro infamibus poterunt reputari, nisi cum quibus leges infamiam conjunxerunt. Quarum exempla obvia cuivis sunt. Sic v. gr. pœna gladii, & apud milites globorum transfossio pro infami non habetur. Dantur equidem etiam pœnæ, quæ famæ quidem nocent, seu eandem minuunt, non tamen infamiam inspergunt, utpote quæ famæ privationem totalem involvit. Uti de pœnis militum mox evincere studebimus.

§. 845.

Dari etiam debent pœnæ infamiæ militum. *Dantur pœnæ militum infamiæ.*

Pœna enim infamiæ dicitur, qua quis, expresse scilicet, fama privatur (*def.* §. 804.). Quare cum miles in pœnam fama possit privari (§. 775.): Pœnam etiam infamiæ poterit experiri. Atque adeo dari debent pœnæ infamiæ militum.

Ex antea demonstratis idem etiam hoc modo evincitur. Miles, qui infamia notatur (§. 805.), sive fama in pœnam privatur (§. 804.), infamiæ pœnam patitur. Quare cum milites fama privari in pœnam (§. 775.), adeoque infamia notari possint (§. 801.): Apparet, quod dari etiam debeant pœnæ militum infamiæ.

§. 846.

Pœnæ infamiæ militum ad infames referendæ sunt. *Quæ infames sunt.*

Pœnæ enim infamiæ militum ſunt, quibus milites fama in pœnam privantur (*dem.* §. *845.*). Cum itaque milites, qui in pœnam privantur fama, infamia notentur (§. 800.): Per pœnas infamiæ notantur infamia. Infamia vero notari dicitur miles, ſi infamia ipſi in pœnam ſtatuatur (§. 798.). Quamobrem cum pœnæ militum, per quas infamia ipſis expreſſe ſtatuitur, infames ſint (§. 844.): Patet, quod ad has etiam ſint referendæ pœnæ infamiæ militum.

§. 847.

Quando ſint pœnæ militares.

Ut pœna quædam infamiæ ſit pœna militaris, differre debet a pœnis infamiæ communibus, quoad modum infligendi.

Pœnæ enim militares differre debent a communibus vel quoad malum infligendum, vel quoad modum illud infligendi (§. 772.). Cum vero in pœna infamiæ malum ſit privatio famæ, ſive infamia (*per def.* §. *804.*); Eadem vero tam militi, quam paganis infligi ſoleat (*per hypoth.*): Malum in pœna infamiæ idem eſt; Adeoque differre nequit, ſive militi ſive pagano eadem infligatur. Pœna itaque infamiæ quoad malum infligendum differre nequit. Quare cum nihil ſuperſit, in quo differre poſſit, niſi modus illam infligendi (*per alleg.*): Patet, quod pœna infamiæ, ſi ſit militaris, differre debeat a communi, quoad modum eam infligendi.

§. 848.

Quænam ſint pœnæ infamiæ militares.

Dimiſſio ignominioſa, abſentis pro infami publica proclamatio, nominis affixio, vel effigiei in patibulo ſuſpenſio, gladii ademtio vel fractio, pro infami corporalis detruſio ſunt pœnæ militum infamiæ, & quidem militares.

Miles enim, qui ignominioſe dimittitur, infamatur (§. 829.). Item, qui abſens pro infami publice proclamatur (§. 837.); Cujus nomen vel effigies patibulo affigitur (§. 838.); Cui gladius adimitur vel frangitur (§. 839.); Et denique, qui pro infami corporaliter detruditur (§. 841.). Hi omnes infamantur vel infamationem patiuntur (*per alleg.*). Infamatio vero in declaratione expreſſa pro infami per ſententiam conſiſtit (§. 824.). Quare cum miles, qui per ſententiam judicis expreſſe pro infami declaratur, infamis fiat (§. 822.), in pœnam ſcilicet; Miles vero, qui in pœnam infamis fit, infamiæ pœnam patiatur (§. 808.): Patet, quod omnes illi etiam pœnam infamiæ patiantur, & quod adeo omnes illæ pœnarum ſpecies ſint pœnæ infamiæ militum. *Q. e. i.*

Quod

Quod dimiſſio ignominioſa in ſpecie pœna militaris ſit, jam demonſtravimus (§. 831.). In reliquis vero etiam pœnarum infamiæ ſpeciebus, quas recenſuimus, infamia alio modo infligitur militibus, quam id fieri ſolet paganis. Id quod ex earum deſcriptione ſtatim apparet (*loc. alleg.*). Pœnæ itaque iſtæ infamiæ a pœnis infamiæ communibus quoad modum infligendi differunt. Quamobrem cum, ſi pœna, quæ militi infligitur, quoad modum infligendi a pœna communi differat, pœna militaris eo conſtituatur (§. 772.); Et in ſpecie pœnæ infamiæ, ut militares ſint, quoad modum infligendi differre debeant a communibus (§. 847.): Patet, quod omnes memoratæ pœnarum infamiæ ſpecies ſint pœnæ militares. *Q. e. d.*

Infamiam aliis adhuc modis militibus infligi poſſe, adeoque alias etiam dari pœnarum infamiæ militarium ſpecies, non abnegamus. Et cum vulgo eo etiam referantur omnes pœnæ militum infames, & quæ vel famam militum minuunt ſaltem: Enumeratio illarum admodum fieri ſolet prolixa, uti ex iis, quas vel ex antiquiſſimis temporibus recenſet G. E. WEND, apparet (§. 4. *Diſſ. de Pœn. mil. fam.*). Easdem vero ad pœnas infamiæ referendas non eſſe, mox oſtendemus. Potiores nos ſaltem earum, quæ inter nos obtinent, ſpecies adduxiſſe ſufficiat.

§. 849.

Miles, uti in genere quisque, cui pœna infamis infligitur, fit infamis. *Pœna infamis infamat.*

Pœna enim dicitur infamis, quacum infamia conjuncta eſt (*def.* §. 844.): Infamia itaque affici, qui pœnam infamem patitur, facile intelligitur. Quare cum infamis dicatur, qui infamia laborat (*def* §. 806.): Statim patet, quod, uti quisque, ita in ſpecie miles, qui pœna infami afficitur, infamis fiat.

§. 850.

Si militi per perſonam infamem pœna infligatur, ille fit infamis. *Ut & quæ per infamem infligitur.*

Cum enim infamis dicatur, qui infamia laborat (*def.* §. 806.): Pœnam cum infamia conjunctam eſſe, quæ per perſonam infamem infligitur, concipitur; Uti & pro infamibus tales haberi ſolent (*per hypoth.*). Quare cum miles, cui pœna infamis infligitur, infamis fiat (§. 849.): Idem etiam aſſerendum eſt de eo, qui per perſonam infamem pœna quadam afficitur.

Infamis enim a communione aliorum, qui integræ famæ ſunt, excluditur (§. 810.). Quodſi itaque quidam in ejus communionem traditur, uti fieri apparet, ſi cuidam per illum pœna infligatur; Fama eundem privari, adeoque ſimul infamem fieri debere, conſequitur.

§. 851.

Pœnæ infames ab infami infligendæ.

Pœnas infamiæ, quæ scilicet actu quodam corporali peraguntur, ut & reliquas pœnas militum infames, infligi non convenit, nisi a persona infami.

Cum enim sola judicis sententia pro infami declarante infames fiant milites (§. 822.); Sententia judicis vero ad id semper requiratur, ut milites infamia notentur (§. 817.): Si etiam infamatio per sententiam non absolvatur, sed actu demum quodam publico, uti convenit (§. 833.), peragatur, miles, qui per sententiam judicis pro infami declaratur, infamis jam est, licet actu quodam corporali publico infamia ipsi nondum fuerit inflicta. Infami itaque pœna infligenda est, si infamia militi actu publico corporali debeat inferri. Infamis vero in communione cum aliis stare nequit (§. 810.). Quare cum hic supponatur, infamiam cuidam corporaliter sive realiter infligendam esse; Adeoque communio quædam requiratur cum eo, qui infamis reipsa jam est (*per dem.*): Patet, quod non conveniat, pœnas infamiæ, in specie militum, corporali nempe actu infligi ab aliquo, qui infamis non est. *Q. e. 1.*

Reliquæ vero pœnæ militum infames, quæ quidem pœnæ infamiæ non sunt, infamiam tamen habent adjunctam (§. 843.), pro infamibus propterea potissimum habentur, quoniam a persona infami infliguntur (*per hypoth.*). Infames itaque non essent, si ab alio, quam persona infami infligerentur. Patet itaque, quod eædem a persona infami necessario debeant infligi. *Q. e. 2.*

Cum vero pœnæ infamiæ militum ad infames referendæ sint (§. 846.); Et pœnæ vel eo fiant infames, si a persona infami infligantur (§. 850.): Optime etiam convenit, ut pœnæ infamiæ, uti infames in genere, in specie militum a persona infami inferantur. *Q. e. 3.*

§. 852.

Non itaque a militibus.

Pœna itaque *infamiæ, licet militares, ut & infames aliæ militares, si quæ dantur, a militibus infligi nequeunt.*

Pœnas enim infamiæ, si actu corporali peraguntur, ut & infames reliquas, infligi non convenit, nisi a persona infami (§. 851.). Miles vero persona infamis esse nequit (§. 812.). Licet itaque pœnæ militares aliæ in eo potissimum differant a communibus, quod a militibus infligi soleant (§. 773.): In pœnis tamen infamiæ, & aliis infamibus militaribus, si hæ dantur, fieri non posse, apparet.

Pœnis infamibus militaribus addidimus clausulam, *si quæ dantur.* Non enim præter pœnas infamiæ proprie sic dictas obvenit pœna alia infamis mili-

militaris. Licet enim dentur tales pœnæ infames, infamiam non pro objecto, sed eam tantum secum connexam habentes, quæ & militibus infliguntur, veluti stigmatis inustio, suspendium, rota, aliæ. Easdem tamen non ad militares, sed communes referri, cuivis notum est.

§. 853.

Pœnæ, quæ militibus a commilitonibus suis infliguntur, pro infamibus haberi nequeunt. *Hæ infames non sunt.*

Pœnæ enim infames infligi non debent, nisi a persona infami (§. 851.); Neque adeo propterea infligi possunt a militibus (§. 852.). Si itaque pœnæ, quæ militibus a commilitonibus suis infliguntur, infames reputentur: Pœnæ infames infligerentur a persona non infami. Quod cum sit absurdum (*per superiora*): Patet, quod pœnæ, quæ militibus a commilitonibus suis inferuntur, pro infamibus nequeant haberi.

Hoc etiam observantiæ deprehendimus consentaneum. Non enim occurret pœna infamis, cujus executio fiat ab ipsis militibus. Et potius ab his pœnæ militum propterea solent peragi, ut patientibus easdem fama servetur, sine qua ipsis amplius militare non licet. Commilitones vero tantum dici milites, respectu ad se invicem habito, ex ipsa denominatione intelligitur, ut nempe dicantur milites, qui una in eadem cohorte vel eodem manipulo militant.

§. 854.

Pœnæ militum, & militares in specie, per se infames non sunt; Dantur tamen pœnæ militares infames. *Pœnæ militum per se non infamant.*

Cum enim pœnæ infames dicantur, quæ cum infamia conjunctæ sunt (*def.* §. 844.); Infamia vero, quæ pœna esse debet, sit infamia juris (§. 796.): Infamiam etiam, quæ cum pœnis infamibus connexa est, juris esse, facile apparet. Licet itaque pœnæ militum & militares in specie naturaliter infamiam contrahant (§. 790.): Infamia hæc saltem facti (§. 791.); Neque adeo talis est, propter quam pœna dici posset infamis. Patet itaque, quod pœnæ militares per se infames non sint. *Q. e. 1.*

Cum autem dentur pœnæ infamiæ militares (§. 848.); Pœnæ infamiæ vero ad infames sint referendæ (§. 846.): Apparet etiam, quod dentur pœnæ militares infames. *Q. e. 2.*

An præter pœnas infamiæ militum, dentur aliæ militares infames, dubium jam movimus (*schol.* §. 852.).

§. 855.

Pœnæ infames militum & militares in specie, famam militis prorsus tollunt. *Infames famam prorsus tollunt.*

 Cum

Cum enim infamia opponatur famæ (*schol.* §. *862. Part.* I. *Jur. nat. WOLF.*); Opposita vero eidem enti simul inesse nequeant (§. *272. Ontol. ejusd.*): Si infamia militi inferatur, eundem fama amplius gaudere non posse, apparet. Quamobrem cum pœnæ infames cum infamia sint conjunctæ (*def.* §. *844.*); Adeoque facile intelligatur, per easdem militi infamiam inferri: Patet etiam, quod pœnæ infames militum & militares in specie famam militum penitus tollant.

Consumere famam hoc dicitur STEPH. WAGAE (§. 8. *Diss. de Eo, q. j. e. circa pœn. milit. ignom.*), & pœnæ militum infames hinc ipsi dicuntur *pœnæ* ignominiosæ *famam militis consumentes*, & definiuntur per eas, quibus cum amissione militiæ honestum nomen revera, aliquando cum vel sine corporis adflictione adimitur (*loc. cit.*). Si vero rem ad notiones revocaveris, accuratius dicemus, pœnas famam militis consumentes esse eas, quibus militi infamia infertur, seu quibus miles fama penitus privatur. Quod enim eædem militiæ amissionem involvant, & fieri possint vel cum vel sine corporis afflictione: Id sunt consequentiæ ex ipsa notione demonstrandæ, uti a nobis demonstratæ fuere (§. 812. 833.). WENDIO pœnæ, quæ honorem plane tollunt, infamiamque irrogant, famosæ majores dicuntur (§. 6. *Diss. de Pœn. mil. fam.*).

§. 856.

Privationem famæ totalem involvunt.

Pœnæ itaque *infames militum, & militares in specie, privationem famæ totalem involvunt.* Sive: *Milites, qui pœna infami afficiuntur, fama penitus privantur.*

Pœnæ enim infames militum & militares in specie famam eorundem prorsus tollunt (§. 855.). Per illas itaque efficitur, ut in milite desit realitas, quæ antea aderat. Cum vero fama prorsus per eas tollatur (*per alleg.*): Nec partem ejusdem superesse, sed omnes ejus partes tolli, intelligitur. Quare cum defectus realitatis, quæ adesse poterat, privatio dicatur (§. 273. *Ontol. WOLF.*); Omnes vero partes simul sumtæ totum conficiant (§. *356. loc. cit.*): Patet, quod pœnæ militum & militares in specie infames privationem famæ totalem involvant, seu, quod idem est, milites, qui pœna infami afficiuntur, fama penitus priventur.

§. 857.

Hanc patitur, qui infamia notatur.

Miles, qui infamia notatur, fama penitus privatur; sive famæ privationem totalem patitur.

Miles enim, qui infamia notatur, pœnam infamiæ patitur (§. 805.). Cum itaque hæc ad pœnas infames sit referenda (§. 846.): Miles, qui infamia notatur, pœna infami afficitur. Quare cum miles, qui pœna infami

infami afficitur, fama penitus privetur, sive famæ prvationem totalem patiatur (§. 856.): Idem etiam patet de eo, qui infamia notatur.

In superioribus jam quidem demonstratum fuit, quod miles, qui infamia notatur, fama privetur (§. 800.). Cum vero propter ea, quæ sequuntur, nosse intersit, privationem famæ totalem intelligendam esse: Hæc etiam in specie demonstranda visa nobis fuit.

§. 858.

Quare cum miles infamia in pœnam possit notari (§. 801.); Et infamia notari in pœnam fieri intelligatur (§. 798.): *Miles fama in pœnam penitus privari; Seu: Privatio famæ totalis militi in pœnam fieri potest.* *Privatio totalis famæ fieri potest in pœnam.*

Cum in superioribus similiter jam fuerit ostensum, quod privatio famæ in genere pœna militum esse possit: Idem, quod ad §. præcedentem, erit monendum.

§. 859.

Miles in pœnam fama pro parte saltem etiam poterit privari. *Partialis etiam.*

Miles enim in genere fama privari potest in pœnam (§. 775.). Et cum penitus hoc fieri possit (§. 858.): Multo magis pro parte saltem posse debere, apparet.

§. 860.

Si miles fama pro parte tantum privetur, fama ejusdem minuitur. *Famæ diminutionem parit.*

Si enim miles pro parte fama tantum privatur: Hanc pro parte saltem tolli, adeoque partem ejusdem residuam manere, facile intelligitur. Fama itaque, quæ militi tunc superest, parti ejus saltem est æqualis, qua antea gaudebat. Quare cum minus dicatur, quod parti rei cujusdam æquale saltem est (§. 352. *Ontol.* WOLF.): Si miles pro parte privatur fama, hæc minor redditur. Si quid vero, quod majus erat, minus efficiatur, minui illud dicitur (*per def.*). Famam itaque militis minui etiam facile apparet, si pro parte tantum eadem miles privetur.

§. 861.

Hinc cum *famæ militis diminutio* in eo consistat, quod eadem miles pro parte saltem privetur (§. 860.): Definiri illa poterit, quod sit privatio famæ militis partialis. Uti contra infamia privatio famæ totalis est (§. 857.). *Hujus definitio.*

§. 862.

Fama itaque *militis in pœnam minui etiam; Seu: Miles in pœnam fama minui potest.* *Fieri potest in pœnam.*

Dimi-

sint, quæ cum ignominia conjunctæ sunt, *vel famæ nocent* (§. 619. *Part. 8. Jur. nat.*): Videri posset, quasi & illæ ad infames utique referendæ sint. Cum vero ad infames omnes capitales & corporis afflictivæ referantur (*loc. cit.*); Omnes autem pœnæ naturaliter saltem infamiam importent (§. 790.): Facile apparet, quod in sensu naturali hoc modo sit accipiendum. Pœnas itaque famam minuentes, quemadmodum in genere omnes, naturaliter infamibus accensendas esse, difficultate caret; Hic autem de pœnis positivis sermonem esse, constat (*dem.* §. 794.). Quare cum ad id, ut infamia pro pœna haberi possit, lege illa debeat statui (§. 795.), adeoque juris esse (§. 796.): Apparet etiam, pœnas in sensu juris civilis nempe infames hic intelligi. Ad quas vero pœnæ famam saltem minuentes referri non debere, ex demonstratis liquet.

§. 866.

Cum his tamen sub uno genere.

Pœnæ tamen *militum infames & famam eorum saltem minuentes sub eodem quodam genere continentur.*

Cum enim pœnæ militum infames privationem famæ totalem (§. 856); Pœnæ vero famam eorum minuentes partialem famæ privationem involvant (§. 864.): Ambæ quid continent, quod idem est, privationem nempe famæ; Adeoque similes sunt (§. 195. *Ontol. WOLF.*). Cum vero variæ dentur pœnæ militum tam infames, quam famam minuentes (*per exper. & hypoth.*): Utrasque classem quandam constituere, quæ speciei nomine venit, apparet (§. 44. *Log. ejusd.*). Quare cum similitudo specierum genus constituat (§. 45. *loc. cit.*): Patet, quod ambæ sub uno quodam genere constituantur.

§. 867.

In quo hoc genus consistat.

Cum pœnarum militum infamium & famam saltem minuentium similitudo in eo consistat, quod ambæ privationem quandam famæ involvant, sive circa famam vel ejus privationem versentur (*per dem.* §. 866.); Similitudo vero specierum genus constituat (§. 45. *cit.*): *Genus, sub quo pœnæ militum tam infames, quam famam minuentes continentur, in eo consistit, quod circa famam ejusve privationem versentur.*

§. 868.

Pœnarum Pœnæ famosarum definitio.

Cum genera & species peculiaribus nominibus soleant indigitari: Pœnæ, quæ circa famam militum ejusve privationem versantur, *Pœnæ famosæ militum famosæ* dici poterunt.

Si propria vocis *famosus* significatio spectetur: Eadem quidem pœnis illis militum designandis non prorsus convenire videtur. Cum vero aptior alia non occurrat: Illam cum WENDIO eligimus; Licet quam de ipsis dedit definitionem (§. 6. *Diss. de Pœn. mil. fam.*), non accura-

tam satis, & abundantiæ vitio laborare, arbitremur. STEPH. WAGA quidem ignominiosas easdem appellat: Cum sub his omnes animadversiones comprehendat, quibus fama militis aut minuitur, aut consumitur (§. 7. *Diss. de Eo, q. j. e. circa pœn. milit. ignom.*). Cum vero ignominia si vel pro synonymo infamiæ non habeatur, eidem tamen nimis appropinquet: Sub ignominiosis infames facile possent intelligi. Quod tamen de minuentibus famam saltem dici nequit (§. 865.).

§. 869.

Ad eas quænam pœnæ referendæ.

Pœnæ itaque *militum tam infames, quam famam saltem minuentes, ad famosas referendæ sunt.*

Cum enim pœnæ militum infames famæ privationem totalem (§. 856.); Famam minuentes vero partialem tantum inferant (§. 864.): Ambæ circa famam militum ejusque privationem versantur. Quamobrem cum pœnæ militum, quæ circa famam eorum ejusve privationem versantur, famosæ dicantur (§. 868.): Patet, quod utraque etiam illarum pœnarum species ad famosas sit referenda.

Pœnas itaque infames & famam minuentes famosarum species esse, facile apparet. Quarum illæ *famosæ majores*, hæ *minores* a WENDIO dicuntur (§. 6. *loc. cit.*). Cur vero speciali hac denominatione non utamur, ad §. 863. jam monuimus.

§. 870.

Fama minuti infamia non notantur.

Miles, qui pœna famam saltem minuente afficitur, infamia notari dici nequit.

Miles enim, qui infamia notatur, famæ privationem totalem patitur (§. 857.). Miles vero, qui fama saltem minuitur, non nisi partialem (§. 861.): Patet itaque, quod miles, qui pœna famam saltem minuente afficitur, fama notari dici nequeat.

§. 871.

Nec infames fiunt.

Cum porro infamis dici nequeat, nisi qui fama laborat, sive eadem notatur (*def.* §. 806.); Miles vero, qui fama in pœnam saltem minuitur, infamia non notetur (§. 870.): *Miles, qui pœna famam saltem minuente afficitur, infamis non fit.*

§. 872.

A persona infami non infligendæ.

Pœnas itaque *famam militis minuentes, si actu quodam corporali imponi debeant ab alio, infligi a persona infami, non convenit.*

Si enim militi per personam infamem pœna infligatur, ille fit infamis (§. 850.). Quare cum miles, qui fama saltem minuitur, infamis fieri non debeat (§. 871.): Patet etiam, quod non conveniat, pœnas famam

mili-

militis minuentes saltem, a persona infami infligi, si nempe actu quodam corporali opus sit ad eas inferendas.

Hinc evinci poterit, pœnas famam militis minuentes a servo commentariensis, *dem Steckenknechte*, infligi non convenire. Uti suo loco clarum fiet, si hujus notionem prius eruerimus. Clausulam vero adjecimus, *si actu quodam corporali ab alio infligi debeant*. Pœnæ enim famam minuentes, quas inter milites obtinere observamus, ita pleræque sunt comparatæ, ut inflictio ab alio opus non sit; Uti ex earum recensione mox secutura apparebit. Nec facile earum quædam occurret, quæ hanc inflictionem ab alio requirat; Nisi forsan impositionem in equum ligneum huc referre volueris. Quæ quidem, præsertim si equiti fiat, famam utique minuet.

§. 873.

Miles, qui pœna famam minuente afficitur, privari debet juribus quibusdam, quæ cum integra fama conjuncta sunt, non vero omnibus. *Privationem jurium involvunt.*

Si enim miles fama privetur in pœnam, privatur etiam juribus, quæ ab eadem in civitate dependent (§. 802.). Quamobrem cum pœnæ famam minuentes, ejus aliqualem privationem involvant (§. 864.): Patet, quod etiam aliquatenus juribus illis debeat privari, quæ a fama pendent. *Q. e. 1.*

Cum vero privatio famæ, quæ per hujus diminutionem infertur, non sit totalis, sed partialis tantum (§. *cit.*); Neque adeo, cum totum sit majus qualibet sua parte (§. *358. Ontol. WOLF.*), tantum possit operari, quam totalis: Apparet etiam, quod non omnibus, sed quibusdam tantum juribus, a fama pendentibus, privari debeat miles, qui pœna famam minuente afficitur. *Q. e. 2.*

§. 874.

Miles, qui pœna famam minuente afficitur, militiam necessario non amittit, sed miles adhuc manere potest; Dimitti tamen eundem simul, non repugnat. *Militiæ amissionem non æque.*

Cum miles, qui infamis sit, miles manere nequeat propterea, quia privetur juribus a fama dependentibus (*per dem.* §. *812.*): Aptitudo ad militiam inter jura eadem reputari debere, apparet. Cum vero miles, qui pœna famam minuente afficitur, non omnibus istis juribus privari debeat, quæ a fama dependent (§. 873.): Patet, quod nec miles, qui talem pœnam patitur, necessario militiam amittat, sed miles adhuc possit manere. *Q. e. 1.*

Cum vero miles, qui pœna famam minuente afficitur, privari debeat juribus quibusdam, quæ a fama pendent (§. 873.); Jus vero militiæ

inter eadem sit referendum (*dem. n. 1.*): Hoc jure etiam privari, adeoque dimitti poterit. *Q. e. 2.*

§. 875.

Famæ diminutio quot modis fiat.

Famæ diminutio vel principaliter militi in pœnam statui, vel cum pœna alia, quæ ipsi infligitur, connecti saltem potest.

Famam enim militis in pœnam minui posse, jam demonstravimus (§. 862.). Cum vero & infamia, utpote famæ privatio totalis (§. 857.), cum alia saltem pœna connecti queat, licet proprie non intendatur (§. 843.). Quin etiam famæ diminutio, quæ privatio saltem partialis est (§. 861.); Cum aliis pœnis connecti possit, quæ eandem proprie pro objecto non habent, dubium esse nequit. Patet itaque, quod diminutio famæ militi tam expresse in pœnam statui, quam cum alia pœna saltem connecti possit.

Exempla pœnarum, quæ famæ diminutionem conjunctam saltem, sed proprie pro objecto non habent, frequentia quidem adeo non sunt; Unum tamen vel alterum occurrit, quod ad easdem forsan poterit referri. Sic v. gr. castrorum purgationem, cum in opere corpore faciendo consistat, pœnam proprie corporis afflictivam esse, fortasse conceditur. Eandem vero simul famam militum diminuere vel ex eo apparet, quod qui eam patiuntur, a consortio reliquorum removeantur, & seorsim castra agere debeant. Similiter, impositionem in equum ligneum pœnam corporis afflictivam esse constat. Famam vero militum ea diminui, negari non poterit; Præsertim si equiti imponatur. Hic enim indignus quasi declaratur: qui equo mereatur. Si vero vel actu tales pœnæ non occurrant: Sufficit tamen nos earum possibilitatem commonstrasse: Cum in jure naturali, ubi versamur, non doceantur, quæ obtinent, sed quæ obtinere possunt vel debent.

§. 876.

Pœnarum famæ diminutionis definitio.

Pœnæ, quibus famæ diminutio solum aut principaliter intenditur, *Pœnæ famæ diminutionis* dici poterunt.

Hoc fit ad exemplum pœnarum infamiæ, quæ nempe sunt eæ, quibus infamia expresse intenditur, seu, quæ eam pro objecto habent.

§. 877.

Quinam patiantur famæ diminutionem.

Milites, qui jure quodam in pœnam privantur, quod iis competit, qui integra fama gaudent, seu, quod cum integra militum fama connexum esse solet, famæ diminutionem patiuntur.

Famæ diminutio in privatione ejusdem partiali consistit (§. 861.). Famæ privatio vero privationem jurium involvit, quæ cum eadem connexa sunt (§. 809.). Si quis itaque his juribus privetur, ex eo privationem

tionem famæ colligere licebit. Ad famæ diminutionem vero opus non est, ut quis omnibus iisdem juribus privetur, sed quædam, vel quoddam etiam, sufficiunt (§. 873): Quodsi itaque milites jure quodam in pœnam priventur, quod cum integra militum fama connexum esse solet, eodem fama minui apparet.

§. 878.

Milites itaque, *quibus in pœnam interdicitur, cum reliquis quodam modo stare in communione, famæ diminutionem patiuntur.* *Quinam in specie.*

Cum enim in genere cum fama integra connexum esse soleat jus standi in communione & societatem ineundi cum aliis (*dem.* §. *810.*): Cum fama militum connecti debere jus standi in communione cum reliquis, sive commilitonibus suis, facile apparet. Quare cum milites, si tali jure in pœnam priventur, famæ diminutionem patiantur (§. 876.): Patet, quod eandem pati etiam debeant, quibus in pœnam interdicitur cum reliquis quodam modo in communione stare.

§. 879.

Si ex pœna, quæ militi infertur, aliter non liceat judicare, quam quod officiis suis militaribus recte functus non fuerit, ille famæ diminutionem patitur. *Et porro.*

Fama enim militis in eo consistit, si alii judicent, ipsum officiis suis recte fungi (§. 556.). Si itaque aliis hoc judicium ferre non liceat, famæ ejusdem detrahitur. Si vero famæ cujusdam detrahatur, hunc eadem non penitus quidem, sed pro parte privari, intelligitur. Quare cum miles, qui fama pro parte saltem privatur, eadem minui dicatur (§. 860.): Si de milite judicare non liceat, ipsum officiis suis recte functum esse, famam ejus eo minui, apparet. Patet itaque, quod si ex pœna, quæ militi infertur, illud judicare liceat, famæ diminutionem patiatur miles.

§. 880.

Miles, si in pœnam a militia vel plane removeatur, vel gradu ejusdem saltem deponatur, famæ deminutionem patitur. *Qui a militia removetur, vel gradu deponitur.*

Remotionem a militia vel depositionem de gradu hic in pœnam fieri supponitur (*per hypoth.*): Aliter itaque judicare non licebit, quam quod is, qui removetur vel deponitur, indignus sit, qui militia vel gradu hoc amplius gaudeat; Neque adeo officio suo recte functus sit. Quare, cum si ex pœna, quæ militi infertur, aliter non liceat judicare, quam eundem

 dem

dem officiis suis recte functum non esse, deminutio famæ oriatur (§. 879.): Patet etiam, quod miles, qui a militia vel plane removetur, vel gradu saltem deponitur, eandem patiatur.

Hoc etiam modo demonstrari idem poterit. Miles, qui a militia vel plane removetur, vel gradu saltem deponitur, cum militibus in genere, vel saltem ejus gradus, de quo deponitur, eodem modo, quo ante, in communione amplius stare nequit. Quod per se claret. Remotionem vel depositionem vero in pœnam fieri, hic supponitur (*per hypoth.*). Idem itaque est, ac si tali interdiceretur in pœnam cum aliis in eadem, qua hactenus, communione stare. Quamobrem cum miles, cui in pœnam interdicitur cum aliis quodam modo stare in communione, famæ deminutionem patiatur (§. 878.): Hoc etiam de eo intelligitur, qui a militia vel plane removetur, vel gradu saltem deponitur.

Ex hac posteriore demonstratione simul elucet, quod miles, qui a militia removetur, vel gradu deponitur, jure quodam privetur, quod cum integra fama connectitur. Id quod ad famæ deminutionem requiri demonstravimus (§. 873.).

§. 881.

Qui absque literis dimittitur. *Miles, qui absque literis dimissoriis dimittitur, famæ deminutionem patitur.* Sive: *Dimissio absque literis famam militis diminuit.*

Militem enim, qui dimittitur, a militia removeri (§. 297.), & cum id fiat absque literis dimissoriis, in pœnam illud fieri, facile intelligitur. Quare cum miles, qui in pœnam a militia removetur, fama minuatur (§. 880.): Idem etiam de eo statim patet, qui absque literis, dimissoriis nempe, dimittitur.

Alio vero etiam modo uberius poterit demonstrari. Cum enim literæ dimissoriæ dentur in testimonium solutionis a militia (§. 297.): Eædem etiam testimonium de bene peracta militia continere debent & solent (*per hypoth.*). Si itaque miles absque iisdem dimittatur: Aliis judicare non licet, quod militiam bene peregerit, sed potius, quod officio suo recte functum esse non debeat. In pœnam vero dimissionem fieri, supponitur. Quare cum si ex pœna, quæ militi infertur, judicare non liceat aliter, quam quod officiis suis recte non sit functus, famæ deminutio sequatur (§. 879.): Patet, quod eandem patiatur miles, qui absque literis dimittitur.

Denique hac ratione idem ostenditur. Cum literæ dimissoriæ in testimonium etiam bene peractæ militiæ dentur (*per dem.*): Militibus, qui militiam bene peregerunt, sive officio suo recte functi sunt, si dimittantur,

tur, jus esse debere petendi, ut id fiat cum literis dimissoriis, facile vel absque demonstratione intelligitur. Cum vero fama militis in eo consistat, ut officiis suis recte fungatur (§. 556.): Non nisi iis hoc jus competere potest, quam qui fama integra gaudent. Si itaque miles absque literis dimittatur, privatur jure quodam, quo milites integræ famæ fruuntur. Quare cum in hoc casu miles famæ deminutionem patiatur (§. 8 7.): Hanc etiam pati apparet militem, qui absque literis dimittitur.

Jure civili statuitur, ut qui sine ignominiæ mentione missi sunt, nihilominus ignominia missi intelligantur (*l.* 13. §. 3. *ff. de Re milit.*). Secundum illud absque literis dimissi, fama non solum minuerentur, sed privarentur potius penitus; Adeoque infames fierent. Cum vero miles infamis non fiat in pœnam, nisi expressa judicis declaratione (§ 816.), aut si pœna infami afficiatur (§. 849.): Nec militem infamem fieri convenit, qui absque infamiæ mentione dimittitur. Quod & usui consentaneum est. Quoniam tamen fama eorum dubia redditur: Plerumque eadem expresse reservari solet militibus & præsertim præfectis, qui absque literis dimittuntur. Quod, licet priori sententiæ adhæreat, nihilominus improbat GOTTH. EHRENFR. WEND (§. 26. *Diss. de Pœn. mil. fam.*). Convenire tamen, si per pœnam infamiam inferri videri posset, etsi necessario non requiratur, suo loco demonstrabitur.

§. 882.

Remotio a militia, sive dimissio absque literis, quæ præfectis militum statuitur, voce barbara *Cassatio* dici solet. *Cassationis definitio.*

Cum per cassationem dimissio vel remotio absque literis intelligatur (*ex hypoth.*): Facile apparet, supervacaneum plane esse, si illa decernitur, ut addatur: *absque literis*. Notioni vero cassationis plane repugnat, si illa mediantibus literis dimissoriis decernatur. Uti utrumque recte monuit laudatus WEND (§. 27. *&* 28. *loc. cit.*).

§. 883.

Cassatio itaque *famam militis diminuit.* *Famam eadem diminuit.*

Cassatio enim est dimissio absque literis, præfecti nempe militum (§. 882.). Quare cum dimissio absque literis, in genere famam militis diminuat (§. 881.): Statim elucet, quod idem efficiat cassatio.

§. 884.

Cassatio, quemadmodum dimissio absque literis in genere, si in pœnam, uti fieri supponitur, decernatur, ad pœnas infames referri nequit, nisi expressa infamiæ in ea fiat mentio. *Ad pœnas infames non referenda.*

Cum enim tam cassatione (§. 883.), quam dimissione absque literis in genere, fama militis minuatur (§. 881.): Si eadem in pœnam statuatur,

tuatur, ad pœnas famam militis minuentes erit referenda (§. 863.). Quare cum hæ ad infames referri nequeant (§. 865.): Nec cassatio & in genere dimissio absque literis iisdem accenseri poterit. *Q. e. 1.*

Cum vero in genere dimissio ignominiosa esse possit (§. 825.); Atque tunc ad pœnas infamiæ, adeoque & infames (§ 846.), referenda sit (§. 848.): Idem etiam de cassatione, tanquam dimissionis specie (§. 882.), valebit (§. 235, *Log. WOLF.*). Cum vero miles in pœnam infamis fieri nequeat, nisi expressa judicis declaratione (§. 806.): Cassatio quoque ad pœnas infames referri non poterit, nisi in eadem expressa infamiæ fiat mentio. *Q. e. 2.*

Hæc ad firmanda ea faciunt, quæ ad §. 881. in scholio jam monuimus.

§. 885.

Cassationis cum infamia definitio. Cassatio, quæ fit cum expressa infamiæ mentione, *Cassatio cum infamia* dici solet.

§. 886.

Eadem pœna infamiæ militaris est. *Cassatio cum infamia ad pœnas militum infames, & quidem pœnas infamiæ militares pertinet.*

Cassatio enim, si in ipsa expressa infamiæ mentio fiat, ad pœnas infames referenda est (§. 884. *dem. n. 2.*). Quare cum cassatio cum infamia dicatur, quæ fit cum expressa mentione infamiæ (§. 885.): Eadem etiam sine dubio ad pœnas infames referri debet. *Q. e. 1.*

Cum vero cassatio in genere sit dimissionis species (§. 882.); Dimissio vero, quæ fit cum infamia, ignominiosa dicatur (§. 826.): Cassationem cum infamia dimissionis ignominiosæ speciem esse apparet. Quare cum dimissio ignominiosa sit pœna militum infamiæ & quidem militaris (§. 848.): Idem quoque de cassatione cum infamia intelligitur. *Q. e. 2.*

Hæc quidem, quæ de cassatione cum infamia jam allata fuerunt, eo proprie pertinent, ubi de pœnis infamiæ militum actum fuit. Cum vero cassatio cum infamia cassationis in genere notionem supponat: Illa etiam huc usque fuere reponenda, quo hancce notionem enucleare nobis datum fuerit.

§. 887.

Detrusio in militiam deteriorem. *Si miles in deteriorem militiam detrudatur in pœnam, fama ejus minuitur.*

Cum in militia dentur gradus (*per hypoth.*); Gradus vero sit discrimen intrinsecum qualitatum earundem, quod solum salva quantitate in

eas

eas cadit. (§. 746. *Ontol. WOLF.*): Gradus militiæ non sunt, nisi id, quo milites salvo statu eorum, sive militia (§. 83.), inter se differunt. Vi gradus itaque militi uni jus esse debet præ militibus aliis. Quare cum jus, quod uni præ aliis eodem ceteroquin jure utentibus competit, prærogativa dicatur (§. 93. *Part. 1. Jur. nat. ejusd.*): Vi gradus militi uni præ aliis prærogativa competit. Quodsi itaque miles in deteriorem militiam detrudatur, prærogativa illa privatur; Adeoque gradum suum in deteriorem mutat, sive ab eodem deponitur. Quare cum miles, qui gradu deponitur, fama minuatur (§. 880.): Idem quoque de eo patet, qui in deteriorem militiam detruditur.

Militiæ mutatio hoc dicebatur Romanis (*l. 3. §. 1 ff. de Re milit.*): Deteriorem militiam vero supponi, cum qua fiat mutatio, per se patet. Quot modis vero illa apud eosdem fieri potuerit, jam inquirendi locus non est. Nonnulla de eo affert ADR. BEYER (*n. 678. Jur. milit. prud.*).

§. 888.

Depositio præfecti militum a gradu suo *Degradatio* dici solet. *Degradationis definitio.*

§. 889.

Præfectus itaque *militum*, *qui degradatur*, *famæ diminutionem patitur.* *Eadem famam minuit.*

Miles enim, qui gradu suo deponitur, famâ minuitur (§. 880.). Quamobrem cum præfectus militum, utpote miles (§. 186.), qui degradatur, a gradu suo deponatur (§. 888.): Illum etiam fama minui apparet.

§. 890.

Quamobrem cum facile intelligatur, quod præfectus militum, qui ad excubias ponitur, gradu suo deponatur, sive degradetur: Cum ad gregariorum gradum eo demittatur; Præfectus vero, qui degradatur, fama minuatur (§. 889.): *Famæ diminutionem* etiam *patitur præfectus, qui ad excubias ponitur.* *Ut & positio ad excubias.*

Cum præfecti militum sint vel inferiores vel superiores (§. 208. 209.): Utrisque etiam positionem ad excubias contingere posse apparet: Licet circa illos magis sit usitata, & circa superiores obtinere saltem non soleat, nisi qui inferiores adhuc sunt dignitatis; Iat ut circa centuriones minimum desinat. Uti ex KOSTKA refert WEND (§. 35. *loc. §. 881. cit.*).

§. 891.

Eques, si in pœnam ad peditatum transmittatur, famæ deminutionem patitur. *Item equitis ad peditatum transmissio.*

Licet enim pedites integra fama æque gaudeant, quam equites (*per exper.*): Negari tamen non poterit, hisce præ illis ex equorum usu prærogativam eminere. Quodsi vero miles prærogativa seu jure, quo præ ceteris gaudet, privetur, a gradu suo deponitur (*dem.* §. *887.*). Quare cum miles, qui gradu suo deponitur, supposito quod hoc fiat in pœnam, famæ deminutionem patiatur (§. 880.): Hanc etiam pati apparet equitem, qui in pœnam ad pedites transmittitur.

Bene vero notandum erit, quod equitis ad pedites transmissio tunc demum famæ diminutionem involvat, *si in pœnam eadem fiat.* Non enim illam semper in pœnam fieri constat, sed ex equitibus interdum etiam seligi, qui ad pedites transferantur, & vel integras equitum cohortes equis privari & ad pedes demitti, si majoris utilitatis id esse videatur. Neutiquam vero tunc, fama eosdem minui, dici poterit. Licet itaque vel remissio ad peditatum hodie pœnæ loco obtinere forsan non soleat; Quod licet penitus negare non ausim; Cum tamen apud Romanos olim saltem obtinuerit, & per hypothesin minimum poni possit (*dem.* §.): Eandem famæ deminutionem in eo casu inferre, negari non poterit; Si vel maxime in deteriorem militiam detrusio non sit. Absque re itaque reniti videtur WEND (§. 34. *loc. cit.*).

§. 892.

Commoratio extra vallum & castra.

Si milites in pœnam extra vallum & castra seorsim tendere jubeantur, fama ipsorum deminuitur.

Facile enim patet, quod milites, qui extra vallum & castra seorsim tendere jubentur, a communione & consortio reliquorum removeantur. Quare cum milites, quibus in pœnam interdicitur, cum reliquis quodam modo stare in communione famæ diminutionem patiantur (§. 878.): Idem etiam de iis statim apparet, qui in pœnam extra vallum & castra seorsim tendere jubentur.

Hoc jam antiqua fuit Romanorum pœna militaris; Uti pluribus refert Dn. WAGA (§ 10. *Diss. de Eo, q. j. e. circa pœn. milit. ignom.*). Quæ vero & hodie adhuc plerisque articulis militaribus statuisolet, v. gr. Brandenburgicis §. 33. Hassiacis §. 62. aliis.

§. 893.

Absque signis mereri.

Si milites absque signis mereri debeant in pœnam, famæ diminutionem patiuntur.

Mereri enim sub signis jus & prærogativam esse militum, qui integra fama gaudent, experientia satis constat. Si itaque milites absque signis mereri debeant, qui iisdem antea fuerunt usi, privantur jure, quo reliqui, qui sunt integræ famæ, gaudent. Quare cum milites, qui tali quo-

quodam jure in pœnam privantur, fama minuantur (§. 877.): Hoc etiam de iis patet, qui absque signis mereri in pœnam jubentur.

Notandum vero erit iterum ut ad §. 891. quod in pœnam hoc fieri debeat. Dantur enim etiam militum genera, qui signis non utuntur, uti apud plerasque gentes, qui rei tormentariæ inserviunt, *die Artillerie*, manipuli deprædatorii, qui dicuntur, *die Freycompagnien*, & aliæ interdum levis armaturæ copiæ. Signorum defectus vero his in famæ diminutionem verti nequit, sed alia ratione nititur, quod iis destituantur: Cum in eorum potius impedimentum, quam usum vergerent. Ceterum hæc pœna, ut præcedens, hodie adhuc statui solet.

§. 894.

Si milites in pœnam castra debeant purgare, famæ diminutionem patiuntur. ***Castrorum purgatio.***

Si enim militibus hæc pœna statuitur, indigitatur, quod sordibus verrendis, quam ad arma tractanda aptiores sint (*loc. §. 892. in sch. cit.*). Ex hac itaque pœna aliter judicare non licet, quam quod illi officiis suis militaribus recte functi non sint. Quamobrem cum si ex pœna, quæ militi infertur, hoc judicium suppeditatur, famæ diminutio sequatur (§. 879.): Patet, quod milites, qui in pœnam castra purgare jubentur, famæ diminutionem patiantur.

Itidem supponitur, in pœnam id fieri. Milites enim etiam ad castra purganda ex necessitate adhiberi constat, si alii non adsint, a quibus illud fieri possit. Hoc vero in eorum famæ diminutionem verti minime poterit.

§. 895.

Remotio a militia, depositio de gradu, dimissio absque literis, cassatio, in deteriorem militiam detrusio, degradatio, ad excubias positio, equitis ad pedites transmissio, commoratio extra vallum & castra, privatio signorum militibus statui possunt in pœnam, & si hoc fiat, sunt pœnæ famam militum minuentes, in specie famæ diminutionis, & quidem militares. ***Quænam sint pœnæ famæ diminutionis militaris.***

Per remotionem enim a militia, vel de gradu saltem depositionem (§. 880.), dimissionem absque literis (§. 881.), cassationem (§. 883.), in deteriorem militiam detrusionem (§. 887.), degradationem (§. 889.), ad excubias positionem (§. 890.), equitis ad pedites transmissionem (§. 891.), extra vallum & castra commorationem (§. 892.) & privationem signorum denique (§. 893.) fama militis diminuitur. Quare cum famæ militis diminutio in pœnam statui etiam possit (§. 862.): Statim patet, quod omnes memoratæ famæ diminutionum species in pœnam statui queat. *Q. e. i.*

 Cum

Cum vero per easdem militibus famæ diminutio inferatur (*per alleg. n. 1.*); Hæc vero in privatione famæ partiali consistat (§. 861.): Per illas milites pro parte fama privari patet. Quare cum pœnæ, quibus milites fama pro parte saltem privantur, pœnæ famam militum minuentes dicantur (§. 864.): Omnes illæ famæ deminutionum species ad pœnas famam militum minuentes referendæ sunt. *Q. e. 2.*

Et cum eædem non ad corporis afflictionem, aut vitæ ademtionem, sed ad famæ diminutionem solum tendant; Quod per se patet, & per hypothesin supponitur: Per easdem famæ diminutionem principaliter intendi apparet. Cum itaque pœnæ, quibus famæ deminutio principaliter intenditur, pœnæ famæ diminutionis in specie dicantur (§. 876.): Illas etiam ad has in specie referendas esse, apparet. *Q. e. 3.*

Denique cum eædem omnes ita comparatæ sint, ut militiam supponant (*per alleg. n. 1.*); Militia vero status militum, qua talis dicatur (§. 83.): Non nisi circa milites eas obtinere posse patet, & per hypothesin supponitur. Quare cum pœnæ, quæ non nisi militibus infligi solent, militares vocentur (§. 771.): Pœnæ militares eædem erunt dicendæ. *Q. e. 4.*

Plures equidem pœnarum famam militum minuentium, & in specie famæ diminutionis, dari species, non negamus: Plures etiam antiquitus jam obtinuisse, palam est. Quales ex. gr. fuere cibum stando capere, hordeo pasci, sanguinis missio, ad lixas & calones condemnatio, & aliæ, quas recenset Dn. WEND (§. 4. *Diss. sæpius cit.*) & magis describit Dn. WAGA (§. 8. *seqq. loc.* §. 892. *cit.*). Nonnullas vero etiam ab iisdem ad pœnas famæ diminutionis referri apparet, quæ tales non sunt, sed mulctæ potius aut corporis afflictivæ, uti est stipendii privatio, fustuarium. Cum talibus autem famæ diminutionem connecti etiam posse ostendimus (§. 875.).

§. 896.

Castrorum purgatio qualis sit pœna.

Castrorum purgatio, si in pœnam militibus statuatur, pœna quidem famam diminuens, non proprie vero pœna famæ diminutionis, & ad minimum mixta; Pœna autem militaris est.

Cum enim castrorum purgatio, si in pœnam statuatur, famæ diminutionem pariat (§. 894.): Statim elucet, ad pœnas famam minuentes eandem esse referendam (*per dem.* §. *895. n. 2.*). *Q. e. 1.*

Cum vero in opere faciendo consistat: Eadem etiam ut condemnatio ad opus publicum corporis afflictivis accenseri poterit. Famæ diminutio itaque non principaliter, aut saltem non solum, sed corporis etiam afflictio per eandem intenditur (*§. 611. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quare

Quare cum pœnæ, per quas diminutio famæ solum aut principaliter saltem intenditur pœnæ famæ diminutionis demum dicantur (§. 876.): Patet, quod castrorum purgatio proprie non sit pœna famæ diminutionis, sed, ex hac & corporis afflictiva nempe, mixta. *Q. e. 2.*

Quoniam autem castra milites supponunt (§. 359.): Et eorum purgatio non nisi militibus in pœnam statui soleat (*per hypoth.*): Hæc etiam pœnis militaribus erit accensenda (*per dem.* §. *895. n* 4.). *Q. e. 3.*

Ex his uberius patent, quæ ad §. 875. jam monuimus. Eodem quoque modo ostendi posset, alias etiam militum pœnas famam quidem minuentes, proprie vero pœnas famæ diminutionis non esse. Cum vero hoc quoad singulas nimis foret prolixum: Sufficiet, modum commonstrasse, quo id fieri possit & debeat, in casibus particularibus, applicationem cuivis relinquentes.

§. 897.

Quid ad pœnam corporis afflictivam militarem requiratur.

Ut pœna quædam corporis afflictiva sit militaris, eadem vel quoad dolorem, qui corpori infligitur, vel quoad modum eundem infligendi differre debet a pœnis corporis afflictivis communibus.

Pœna enim corporis afflictiva dicitur ea, quæ dolorem facit in corpore, sed mortem non affert (§. *611. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Cum itaque pœna quælibet malum quoddam physicum contineat (§. *285. Part. 1. Phil. pract. univ. ejusd.*): Idem in pœna corporis afflictiva dolorem esse, qui corpori infligitur, apparet. Quoniam vero corpus variis membris constat (*per not.*): Dolor iste vel uni vel alii membro infligi, in eodem vero etiam membro hoc vel illo modo excitari; Adeoque tam quoad se, quam quoad modum eundem infligendi varius esse potest. Quamobrem cum pœnæ militares tam quoad malum, quod infligitur, quam quoad modum infligendi diversæ esse possint a communibus (§. 772.); In pœna vero corporis afflictiva malum illud, quod infligitur, sit dolor in corpore, & hic tam quoad seipsum, quam quoad modum infligendi varius esse possit (*per dem.*): Patet, quod pœnæ corporis afflictivæ militares vel quoad dolorem, qui corpori infligitur, vel quoad modum istum infligendi, differre possint & debeant a communibus.

Cum non omnes pœnæ militares quoad utrumque simul a communibus actu differre possint, sed tam pecuniariæ (*per dem.* §. 786.), quam infamiæ (§. 847.), quoad modum saltem infligendi: Demonstrandum simul fuit, quod corporis afflictivæ militares, quoad utrumque diversæ esse queant a communibus. Dari vero pœnas corporis afflictivas militares tam per se notum, quam etiam demonstratum jam est (§. 776.).

§. 898.

Pœnæ capitales militares quo differant.

Pœnæ capitales militares a communibus differre nequeunt, nisi quoad modum ipsas infligendi.

Pœna enim capitalis dicitur, qua homini vita adimitur (§. *601. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Malum itaque, quod ea infertur, ademtio vitæ, adeoque in pœnis capitalibus omnibus idem est. Quare cum facile appareat, res in iis differre non posse, quæ eadem sunt: Nec pœnæ capitales militares a communibus differre poterunt quoad malum, quod iisdem infligitur. Cum vero pœnæ militares a communibus distingui debeant, vel quoad malum, vel quoad modum istud infligendi (§. 772.): Capitalibus reliqui nihil est, quam quod differant quoad modum, quo malum, ademtio nempe vitæ, infligitur. Adeoque patet, quod eædem a communibus diversæ esse nequeant, nisi quoad modum infligendi.

Dari posse pœnas capitales militares itidem jam demonstravimus (§. 776.).

§. 899.

Quænam pœnæ sint militares.

Quænam pœnæ in specie sint militares, juris saltem positivi est.

Tam enim malum, quod pœnis infertur, quam modus, quo illud infligitur, variare potest (*per dem.* §. *771.*). Pœnarum itaque determinationem variis modis fieri posse apparet. Quare cum pœnæ militares dicantur, quæ militum propriæ sunt, seu, non nisi iisdem infliguntur (§. *cit.*): Illas etiam varias esse posse intelligitur. Quoniam itaque ea, quæ variis modis fieri possunt, ab arbitrio superioris in civitate dependent (§. *978. Part. 8. cit.*): Ab arbitrio etiam superioris in civitate dependet, quænam pœnæ militares esse debeant. Ea vero, quæ ab arbitrio hujus pendent, juris positivi sunt (§. *147. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*), Patet itaque, quod juris saltem positivi sit, quænam pœnæ esse debeant militares.

Hinc pœnæ militum etiam ipso jure civili recensentur a MODESTINO (*l.* 3. §. 1. *ff. de Re milit.*); Quæ tamen non omnes absolvunt, neque etiam omnes proprie militares, sed vel & communes sunt.

§. 900.

Pœnæ communes infligi quoque possunt.

Militibus pœnas etiam communes infligi, non repugnat.

Milites enim alia etiam quam militaria (§. 549.), communia nempe, delicta admittere possunt (§. 550.). Delicta vero communia dicuntur, quæ ab aliis, quam militibus etiam, committuntur (*def.* §. *cit.*). Quare cum pœnæ, quæ & aliis quam militibus infliguntur, communes dican-

dicantur (§. 771.); Pœnæ vero propter delicta statuantur (*per dem.* §. 761.): Pœnas communes etiam delictis communibus proprie statutas esse apparet. Cum itaque milites delicta etiam communia possint committere (*per alleg.*): Patet, quod nec repugnet, militibus pœnas etiam communes infligi.

§. 901.

Ut delictis militum communibus pœnæ etiam communes; Militaribus vero non nisi pœnæ militares statuantur, convenit. *Quando id conveniat.*

Pœnæ enim communes delictis etiam communibus proprie statutæ sunt (*dem.* §. 900.). Cum itaque militibus pœnæ etiam communes infligi possint (§. *cit.*): Easdem propter delicta militum communia infligi, quod conveniat, apparet. Dantur vero etiam delicta militaria, quæ scilicet a militibus, qua talibus, adeoque non nisi ab iisdem committuntur (§. 543.). Hæc vero præsertim pœnis coercenda quoque sunt (§. 761.). Cum vero pœnæ communes delictis communibus proprie statuantur (*per dem.*): Easdem etiam propter delicta militaria infligi non convenit, sed his, si quæ dantur, pœnæ aliæ potius statuendæ sunt. Dantur vero etiam pœnæ militares, quæ nempe non nisi militibus infliguntur (§. 771.). Et tam hæ, quam delicta militaria in eo conveniunt, quod non nisi circa milites locum habeant (*per not. alleg.*). Invenitur itaque aliqua ratio, cur delicta militaria militaribus etiam potius pœnis plectantur, quam communibus. Quare cum id convenire alteri dicatur, cujus aliqua in hoc ratio adest (*per def.*): Patet etiam, quod conveniat, ut delictis militum communibus pœnæ etiam communes; Militaribus vero non nisi militares statuantur.

Absolutæ necessitatis hoc non esse vel ex eo statim apparet, quod convenire saltem asseratur. Contrarium vero plerumque usu obtinere, ut tam delicta militaria communibus, quam communia militaribus pœnis coerceantur, jam monuimus & exemplo probavimus (*schol.* §. 771.).

§. 902.

Pleraque pœnarum tam corporis afflictivarum, quam capitalium genera sive species, quæ legibus statutæ sunt, militaria non sunt, sed communia. *Pleræque pœnæ militares non sunt.*

Pleræque enim pœnæ tam corporis afflictivæ, quam capitales, legibus statutæ, militibus vel plane non, vel non solis, sed paganis etiam, & potissimum, infligi solent (*per exper & hypoth.*). Quare cum pœnæ, quæ solis militibus infliguntur, militares, quæ vero tam paganis, quam

quam illis inferuntur, communes dicantur (§. 771.): Patet, quod pleræque illarum pœnarum non militares, sed communes sint.

§. 903.

Quænam corporis afflictivæ in specie. Hinc cum *fustigatio* (§. 612. *Part.* 8. *Jur. nat.* W.), *mutilatio membrorum, veluti digitorum, aurium, linguæ vel nasi abscissio, manus amputatio* (§. 614. *loc. cit.*), *damnatio ad triremes, metallum vel aliquod opus publicum* (§. 616. *ib.*), *stigmatum inustio* (§. 617. *ib.*), sint pœnæ corporis afflictivæ, quibus & *relegatio* (§. 595. *ib.*) *deportatio* (§. 597.) & *carcer* (§. 598. *ib.*) *cum aliis* addi poterunt (*schol.* §. 616. *ibid.*); Omnes illæ vero delictis communibus etiam soleant statui, veluti fustigatio, digitorum, aurium vel linguæ abscissio (*art.* 198. *Constit. crimin.* CAROL.) manus amputatio (*art.* 108. *ibid.*) damnatio ad opus publicum, triremes vel metallum, stigmatis inustio (*per not.*), relegatio (*art.* 123. *loc. cit.*), carcer (*art.* 157. *ibid.*) & deportatio, ubi ea obtinet (*per not.*); Adeoque cum delicta communia a paganis etiam committantur (*def.* §. 550.), non militibus solis, sed etiam paganis infligantur: Omnia illa pœnarum corporis afflictivarum genera, *licet vel maxime militibus etiam inferantur, non sunt pœnæ militares* (§. 771.).

Hæc licet facile intelligantur, nonnullæ tamen pœnarum enumeratarum inter pœnas militum in specie referri solent, uti vel fustigatio, stigmatis inustio, aurium & nasi resectio, manus amputatio, digitorum, linguæ vel labiorum abscissio (§. 8. *seqq. Diss. de Pœn. mil. Jam.* WENDII). Ostendendum itaque fuit, easdem, licet vel militibus infligi possint, militares tamen non esse.

§. 904.

Quænam capitales in specie. Similiter cum *decollatio* (§. 602. *Part.* 8. *Jur. nat.* WOLF.), *suspendium* (§. 603. *ibid.*), *strangulatio* (§. 605.), *rotæ supplicium* (§. 606.), *combustio* (§. 608.), *dissectio in quatuor partes* (§. 609. *ibid.*) *cum aliis* sint pœnæ capitales, quæ & militibus infligi solent (*per hypoth.*); Eædem vero & in delicta communia, & proprie quidem statuta sint, ut decollatio (*art.* 192. *Const. crim.* CAROL.), suspendium (*ib.* & *art.* 159.), rota (*art.* 131.), combustio (*art.* 109.), dissectio (*art.* 124. *ibid.*), ut & strangulatio & aliæ (*per not.*); Adeoque & paganis infligantur (*dem.* §. 903.): Omnia illa pœnarum capitalium genera, *licet vel milites iisdem etiam affici soleant, non* tamen, *sunt pœnæ militares.*

Potiora saltem & quæ maxime usitata sunt pœnarum capitalium genera exempli quasi loco recensemus. Plura vero earum extare, & antiquitus præsertim obtinuisse, quæ ab usu recessere, res notissima est.

§. 905.

§. 905.

Pœna vitium, quæ dicitur, sive decursio sub virgis, pœna fustium, ad palum positio, armorum gestio, equus denique ligneus ad pœnas corporis afflictivas militares referendæ sunt. *Quænam corporis afflictivæ sint militares.*

Per omnes enim has pœnas dolorem in corpore excitari, mortem vero, regulariter saltem, non inferri, constat (*per exper.*). Quare cum pœnæ, quibus dolor fit in corpore, vita vero non adimitur, corporis afflictivæ dicantur (§. *611. P. 8. cit.*): Omnes enumeratas iis accensendas esse, apparet. *Q. e. 1.*

Easdem vero etiam non nisi militibus, aut forsan, qui eos sequuntur, infligi constat & supponitur (*per hypoth.*). Quare cum pœna, quæ non nisi militibus infligitur, militaris dicatur (§. 771.): Patet, quod etiam sint militares. *Q. e. 2.*

Pœna vitium germanice dicitur, *Spitzruthen*, vel *Gassenlaufen*. Plures pœnarum militarium corporis afflictivarum species dari, & vel effingi posse, non negamus. Quam vero hoc juris positivi sit, determinare, quænam pœnæ militares in specie esse debeant (§. 899.): Omnes, quæ actu obtinent, anxie perscrutari hujus loci non est, ubi in demonstrando saltem jure militum naturali versamur; Et sufficiet saltem, hujus ad illud applicationem vel exemplis commonstrasse. Castrorum purgationem pœnis militaribus, quæ corpus affligunt, accenseri etiam posse, evicimus §. 896.

§. 906.

Pœna vitium haberi nequit pro fustigatione. *Pœna vitium non est fustigatio.*

Cum fustigatione denudatum hominis dorsum virgis cædatur (§. *612. Part. 8. cit.*); Idem vero etiam fiat in pœna vitium (*per not.*): Eatenus utramque sub uno genere contineri, negari non poterit. Et cum dolor in eadem corporis parte eodem instrumento infligatur; Eædem, quoad malum, quod infligitur, a se invicem quidem non differunt. Pœnæ vero corporis afflictivæ non quoad malum infligendum solum, sed & quoad modum illud immittendi corpori, diversæ esse possunt (*per dem.* §. *897.*). Fustigationem vero fieri virgis in unum colligatis, & quidem a carnifice, constat, adeoque & cum infamia, ut & relegatione connexa est (*n. 14. & 17. Quæst. 129. Part. 3. CARPZ. Jurispr. crim.*). Pœna vitium vero fit simplicibus virgis & ab ipsis commilitonibus militi infertur; Neque cum famæ aut militiæ saltem amissione connectitur (*per exp. & hyp.*). Tam itaque quoad modum infligendi, quam quoad effectum pœnæ hæ a se invicem differunt. Atque adeo patet, quod pœna vitium pro fustigatione haberi nequeat.

Pœnam vitium jam olim etiam pro honeſtiori reputatam, & ad illam infligendam ramulis ex vitibus uſam fuiſſe antiquitatem, ita, ut lege romana ſancitum fuerit, cives non virgis verberari, ſed vitibus, refert SCHOEPFER (*n. 12. Cap. 3. Diſſ. de Milite deſertore.*).

§. 907.

Pœna militaris capitalis quænam.

Globorum transfoſſio pœna militaris capitalis eſt.

Globorum enim transfoſſionem in eum finem fieri, ut vita in pœnam adimatur, conſtat & ſupponitur (*per hypoth.*). Quare cum pœna, qua homini vita adimitur, capitalis dicatur (*§. 601. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Eadem pœna capitalis eſt. *Q. e. 1.*

Cum vero infligi non ſoleat niſi militi, & ab ipſis etiam commilitonibus infligatur (*per hypoth.*), quo potiſſimum pœna militaris conſtituitur (§. 773.): Patet etiam, quod pœna hæc militaris capitalis ſit. *Q. e. 2.*

Stilo militari dicitur, *das Arquebuſiren*, & unica forſan hodie pœna eſt, quæ ad capitales militares referri poterit. Olim quidem etiam obtinuit judicium haſtatum criminale, quo quis per haſtas militum pellebatur. Et quoniam pulſio hæc cum mortis illatione plerumque erat connexa, & genus pœnæ militibus proprium; Utique ad pœnas capitales militares referenda fuit. Cujus in deſcriptione multus eſt LUDOVICI (*§. 7. Cap. 7. Einleit. zum Kriegsproceſſe*). Pœnam vero hanceeuſu plane hodie deſueviſſe conſtat. Ad pœnas militares capitales Dn. GNüGE etiam quidem refert ejectionem e navi (*§. 638. der Anleit. zum Kriegsrechte*). Quam vero militum propriam eſſe dubitamus. Et ſaltem, cum non niſi militiæ navali conveniat, pro pœna militum in genere haberi non poterit.

§. 908.

Pœnæ militares corporis & vita non ſint infames.

Pœnas militares corporis afflictivas & capitales cum infamia connecti ſive infames ſimul eſſe, non convenit.

Pœnæ enim militares corporis afflictivæ & capitales, ſaltem non omnes hoc habent præcipuum præ communibus, ut a militibus infligi ſoleant (§. 773.). Pœnæ vero, quæ a militibus infliguntur, pro infamibus haberi nequeunt (§. 853.). Licet itaque infamia cum aliis etiam connecti poſſit, quæ eandem pro objecto proprie non habent (§. 843.): Illud tamen fieri cum pœnis militaribus, quæ corpus aut vitam petunt, adeoque eas infames reddi, quod non conveniat, apparet.

Hinc etiam jam monuimus, quod dubitandum ſit, præter pœnas infamiæ alias militares infames dari (*ſchol. §. 852.*).

§. 909.

§. 909.

Transfossio globorum, pœna vitium, fustium & reliquæ, quæ ab ipsis militibus infliguntur; non sunt pœnæ infames, sive non infamant eos, qui easdem patiuntur. *Quænam in quis pœnæ.*

Transfossio enim globorum est pœna militaris capitalis (§. 907.); Pœnæ vero vitium & fustium sunt pœnæ corporis afflictivæ militares (§. 905.), quæ ab ipsis militibus inferuntur (*per hypoth.*). Quare cum pœnæ, quæ ab ipsis militibus infliguntur, pro infamibus haberi nequeant (§. 843.): Statim patet, quod nec transfossio globorum, nec pœnæ vitium & fustium, aut si quæ aliæ a militibus infliguntur, infames sint, sive eos, qui ipsas patiuntur, infament.

Reliquæ pœnæ corporis afflictivæ, quas §. 905. recensuimus, non a militibus ipsis, quantum quidem notum est, sed plerumque a commentariensis servo infligi solent. Quoniam vero hujus personæ militaris qualitatem nondum explicavimus: Nec qualitas pœnarum, quæ ab ipsa inferuntur, dijudicari satis poterit. Quamobrem necesse erit, illam prius enucleare. Id quod agere, statim studebimus.

§. 910.

Milites, antequam puniantur, sive, qui delicti rei sunt, & quibus propterea pœna imminet, usque ea infligatur, carcere detinendi sunt. *Milites puniendi carcere detinentur.*

Pœnæ enim malum quoddam continent (§. 766.). Quamobrem cum homines ipsa natura ita sint comparati, ut mala aversentur (§. 590. *Psych. emp. WOLF.*): Fieri posset, & sine dubio ut plurimum fieret, ut milites, quibus propter delictum commissum pœna imminet, metu mali ferantur ad aufugiendum, si possent. Cum vero intersit, ut delicta militum puniantur (*dem.* §. 761.): Præcaveri etiam debet, ne milites, qui pœnam promeriti sunt, eandem aufugiendo possint evitare; Adeoque iidem certo cuidam loco includi debent, quo exire non possint. Quare cum locus talis, unde quis exire prohibetur, carcer dicatur (§. 598. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Apparet, quod milites, antequam puniantur, sive, qui delicti rei sunt & quibus propterea pœna imminet, carcere detinendi sunt, usque ea infligatur.

§. 911.

Cum pœnis corporis afflictivis dolor corpori inferri (§. 611. *loc. cit.*), capitalibus vero vita debeat adimi (§. 601. *ibid.*): Facile apparet, easdem actu quodam corporali peragi debere, quo scilicet dolor inferatur, aut vita adimatur. Pœnas vero infamiæ militum etiam actu tali peragi, convenit (§. 833.). Quamobrem cum actus corporalis, quo *Executionis militaris definitio.*

 pœnæ

pœnæ peraguntur, executio pœnarum dici solcat (*per defin.*): Actus corporalis, quo pœnæ militum & in specie militares infliguntur, sive peraguntur, *Executio militaris* dicitur.

§. 912.

Commentariensis definitio.

Persona, cui cura carcerum & executionum militarium committitur, *Commentariensis militaris* vocatur, *der Profos.*

Vir illustris Dn. JO. GEO. ESTOR quæsitorem militarem eundem denominat (§. 145. *Diss. de Jure decor. honor. milit.*). Quoniam vero denominatio hæc aliud etiam officium, receptoris nempe redituum principis hodienum significat; Et adeo sub quæsitore militari intelligi potius possit *ein Regimentsquartiermeister*; Licet ipsi CICERONI quæsitor dicatur, qui tormentis quærit: Cum ADR. BEIERO & aliis ipsum potius commentariensem vocare visum fuit, ut statim appareat, de qua persona agatur, & omnis in loquendo ambiguitas evitetur. Ceterum licet cura carcerum & executionum præcipuum sit officii illius: Plura tamen ab eodem præsertim tempore belli peraguntur. Uti apparet ex iis, quæ de officii ejusdem ambitu pluribus adducunt KHEVENHüLLER (*p.* 177. *der Observationspuncten*), LUDOVICI (*p.* 4. *Cap.* 6. *der Einl. zum Kriegsproc.*), & alii.

§. 913.

Infamis non est.

Commentariensem infamem reputari non convenit.

Cum enim pœnæ militum & militares in specie per se infames non sint (§. 854.); Et præsertim pœnas militares corporis afflictivas & capitales infames esse, non conveniat (§. 908.): Nec milites omnes, qui puniendi sunt, infames fiunt, aut fieri debent. In specie etiam carcer, etsi in pœnam militum statuatur, non infamat (*per hypoth.*). Milites vero puniendi carcere prius detinentur (§. 910.). Quare cum tam carcerum, quam executionum militarium cura fiat per commentariensem (§. 912.); Milites vero, quibus ab infami persona, pœna infligitur, infames fiant (§. 849.): Milites, qui carcere puniuntur, vel custodiæ saltem causa apud commentariensem detinentur, adeoque milites in genere omnes, qui puniuntur, infames redderentur. Sicque pœnæ militum in genere omnes infamarent. Quod cum modo demonstratis contradicat, adeoque sit absurdum: Commentariensem quoque infamem reputari non convenit (§. 550. *Log. WOLF.*).

Hinc etiam observatur, quod ubique integræ famæ habeatur, & vel interdum præfectus quidam inferior officio huic adhibeatur. Licet enim cura executionum militarium ipsi demandata sit: Hæ tamen non ab eodem, sed ab ejus potius servo peraguntur. Id quod pluribus mox indigitabimus.

§. 914.

§. 914.

Militem itaque, *qui infamis jam factus est*, *apud commentariensem carcere detineri*, *non convenit.* *Infamem carcere non detinet.*

Quemadmodum enim pœnas militum infames infligi non convenit nisi a persona infami (§. 851.): Ita etiam facile apparet, quod nec conveniat, infames, qui carcere detinendi sunt, apud alium detineri, quam apud personam infamem. Quamobrem cum commentariensis infamis non sit, nec esse debeat (§. 913.): Patet etiam, quod nec conveniat, militem, qui infamis factus est, apud eundem carcere detineri.

Id quod usu etiam obtinere observamus, ne custodiæ ipsius macula quædam aspergatur, cum & præfecti militum nonnunquam superiores eidem soleant tradi. Fieri vero posse, ut miles, qui infamis factus jam est, carcere adhuc detinendus sit, perspicitur in desertoribus, qui nomine ipsorum patibulo jam affixo revertuntur. Et aliud exemplum in iis, qui sententia pro infamibus declarati sunt, statim adducemus.

§. 915.

Cum milites, qui puniendi sunt, usque pœna actu infligatur, carcere detinendi sint (§. 910.): Idem patet de iis, qui per sententiam infames declarati sunt, actu vero quodam publico adhuc debent infamari. Quare cum miles, qui per sententiam pro infami declaratus est, infamis jam sit, licet infamia actu quodam publico ipsi nondum fuerit inflicta (*dem.* §. *851.*); Infamem vero apud commentariensem carcere detineri non conveniat (§. 914.): *Militem* etiam, *qui per sententiam infamis jam est declaratus*, *apud commentariensem carcere detineri non convenit.* *Hinc nec sententia infamem saltem declaratum.*

§. 916.

Cum commentariensi cura saltem carcerum, militum nempe puniendorum (§. 910.), ut & executionum militarium, incumbat (§. 912.): Has ab eo ipsomet non peragi, aut pœnas militibus infligi, apparet, & supponitur (*per hypoth.*). Cum vero facile intelligatur, ad executionem pœnarum militum requiri personam quandam, per quam eædem infligantur militibus (§. 911.): Præter commentariensem adesse debet quis, per quem hoc fiat. Persona hæc, per quam pœnæ militares, quæ nempe ab ipsis militibus non solent peragi, præsertim etiam infames, infliguntur, *Servus commentariensis* dici solet; Germanice: *der Steckenknecht.* *Servi commentariensis definitio.*

Lictor idem dicitur illustri Dn. ESTORI (*loc.* §. *912. cit.*); Aliis etiam lorarius. Quoniam vero denominatio servi commentariensis cum germanica, *der Steckenknecht*, admodum convenire videtur; Eadem potius

tius utendum credimus. Officium vero ejusdem ad executionem pœnarum saltem militarium adstringimus, quæ nempe a militibus ipsis non peraguntur, quales præsertim sunt infames. Communes enim, quæ circa milites etiam obtinent, pœnas a lictore communi sive carnifice infligi, mox ostendetur.

§. 917.

Infamis est.

Servum commentariensis infamem reputari, convenit.

A servo commentariensis pœnæ infames militibus infliguntur (§. 916.). Quamobrem cum pœnas infames infligi non conveniat, nisi a persona infami (§. 851.): Apparet etiam, quod servus commentariensis infamis debeat reputari.

Hoc quidem praxi quoque consentaneum deprehenditur. In ea tamen quid inveniri, quod analogiæ non admodum suffragatur, ad §. sequentem ostendemus.

§. 918.

Non nisi pœnæ infames ab eo infligendæ.

A servo itaque *commentariensis infligi non convenit, nisi pœnas infames.*

Cum enim servus commentariensis infamis reputetur (§. 917.); Per pœnas vero, quæ a persona infami inferuntur, miles fiat infamis (§. 850.): Si militi ab eodem pœna quæcunque inferatur, huncce infamem reddi debere, consequitur. Per eundem itaque infligi non convenit nisi pœnas, per quas miles infamis fieri debeat. Cum vero facile intelligatur, pœnas, per quas quis fit infamis, infames esse (§. 844. 849.): Patet etiam, quod a servo commentariensis infligi non conveniat, nisi pœnas infames.

Observantiam non nullibi principio huic & aliis naturalibus contrariam esse, negari non poterit. Licet enim servus commentariensis pro persona infami, aut levis saltem notæ macula, quæ dicitur, notata ubivis fere habeatur, & pœnis utique infamibus, qualis est detrusio militis pro infami, abreptio & fractio gladii (§. 848.), exequendis adhibeatur (*per hypoth.*): Fieri tamen etiam solet, ut milites, qui levis nonnunquam saltem excessus pœnam luunt, vinculis ab ipso injiciantur, neque tamen propterea infamiæ notam accipiant; Uri etiam alligatio ad palum, impositio in equum ligneum & aliæ pœnæ militares per ipsum peragi solent, quæ tamen infames minime habentur. Cum vero, si rem ipsam spectes, pœna, quæ per personam infamem infertur, infamet (§. 850.): Convenientius utique esset, servum commentariensis, si infamis, uti debet, reputetur, aut ad pœnas tales non infamantes; Aut ad infames exequendas, plane non adhiberi; Neque in hoc casu infamem reputari.

§. 919.

§. 919.

Pœnas famam militum minuentes, si nempe actu quodam corporali debeant imponi, a servo commentariensis infligi non convenit. *Non famam minuentes.*

A servo enim commentariensis infligi non convenit, nisi pœnas infames (§. 918.). Quare cum pœnæ, famam militum minuentes saltem, ad infames non sint referendæ (§. 865.): Easdem etiam a servo commentariensis infligi non convenit.

Vel hoc modo. Pœnas famam militum minuentes, si actu quodam corporali imponi debeant, infligi non convenit a persona infami (§. 872.). Quare cum servus commentariensis pro infami reputandus sit (§. 917.): Quod ab eodem etiam illæ infligantur, non convenire apparet.

Cur clausula adjiciatur, *si actu quodam corporali infligi debeant*, ad §. 872 jam monuimus. Quodsi itaque vel impositionem in equum ligneum ad pœnas famam minuentes referre velimus (*loc. cit.*): Eadem tamen a servo commentariensis propterea peragi non debebit.

§. 920.

Pœnas communes, quibus milites afficiuntur, ab ea persona infligi non convenit, a qua paganis. *Pœnæ communes a quo infligendæ.*

Cum enim pœnæ communes dicantur, quæ vel paganis solum, vel tam paganis, quam militibus solent infligi; Militares vero, quæ militibus solum (§. 771.); Et hæ ab illis differant, vel quoad malum, quod infligitur, vel quoad modum illud immittendi (§. 772.); Ad hunc vero etiam pertineat, a quonam inferantur (§. 773.): Communes pœnæ non manerent, sed militares potius efficerentur, si non ab eo, a quo & paganis, sed ab eo forsan, a quo militares, militibus infligerentur. Quoniam vero supponitur, pœnas communes, non militares, militibus debere inferri (*per hypoth.*): Apparet etiam, quod conveniat magis, easdem etiam inferri ab eo, a quo paganis infliguntur.

Ratio quidem necessitatis non adest. Decollatio enim ex. gr. pœna communis æque proprie maneret, licet a persona militari perageretur. Quoniam vero differentia pœnarum militarium potissimum in eo ponitur, quod vel a militibus ipsis, vel persona saltem militari infligantur (§. 773.): Ratio tamen aliqua adeoque convenientiæ, adest, ut pœnæ communes a persona communi perficiantur. Id quod usu etiam receptum ut plurimum videmus.

§. 921.

Quare cum pœnæ communes, quæ actu corporali peraguntur, a carnifice vel ejus lictoribus paganis soleant immitti (*per hypoth.*); Pœnas *A carnifice & lictoribus.*

nas vero communes militibus & inferri ab eadem persona, a qua paganis, conveniat (§. 920.): *Pœnas communes militibus a carnifice vel ejus lictoribus infligi, convenit.*

§. 922.

Pœnæ militum civiles & criminales sunt.

Pœnæ militum, tam civiles, quam criminales esse possunt. Licet enim delicta militaria sint publica (§. 54 .); Cum tamen milites præter illa alia etiam delicta possint committere (§. 549.), communia nempe (§. 550.); Hæc vero vel publica vel privata sint (§. 581. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Milites tam privata quam publica delicta committere posse, apparet. In delicta vero militum communia pœnæ æque statuendæ sint (§. 768.). Quare cum pœnas, quæ propter delictum privatum irrogantur, civiles; Quæ propter delictum publicum, sive crimen, criminales dici conveniat (§. 622. *loc. cit.*): Patet, quod pœnæ militum, tam civiles, quam criminales esse possint.

Definitionem pœnarum civilium & criminalium sumi ex mente perillustris L. B. de WOLF, per citata apparet. Ipse vero monet, easdem non ab omnibus eodem modo distingui & præsertim CARPZOVIUM allegat, qui pœnas capitales & corporis afflictivas criminales saltem, ceteras, quibus nec vita adimitur, nec corpus affligitur, civiles haberi jure Saxonico asserit (*schol. loc. cit.*). Cum vero delictis privatis damnum saltem inferatur privato, sive civi; Adeoque & huic saltem ejusdem reparatio facienda sit; Delictis autem publicis sive criminibus damnum detur reipublicæ (§. 581. *loc. cit.*): Huic delictorum definitioni optime etiam convenit, ut pœnæ, quæ propter delicta privata, quæ civilia etiam dici possent, infliguntur, civiles, quæ propter crimina, criminales dicantur. Et ejusdem sententiæ est vir illustris JO. SAM. FRID. BOEHMER, dum asserit, proprie pœnam criminalem dici, unde fisco vel reipublicæ satisfit; Civilem vero, quæ unice favorem ac utilitatem accusatoris concernit (§ 6. *Sect 2. Elem. Jurispr. crim.*). Nec est, quod posteriorem speciem a praxi ignorari existimet. Licet enim mulcta hodie privato non reliquatur: Dantur tamen aliæ pœnæ, quæ accusatoris gratia solum exiguntur. Qualis est v. gr. recantatio, alapæ inflictio ab accusatore coram judicio. Quo vero sensu etiam pœnæ criminales & civiles inter se definiantur: Pœnas militum ad utramque classem referri posse, facile apparet.

§. 923.

Quales sint pœnæ delictorum militarium.

Pœnæ, quæ in delicta militaria statuuntur, sunt criminales. Delicta enim militaria publica sunt sive crimina (§. 547.); In eadem vero præsertim pœnæ sunt statuendæ (§. 761.). Quamobrem cum pœnæ, quæ propter delicta publica sive crimina inferuntur, criminales audiant (*per def.* §. 922.): Pœnæ, quæ in delicta militaria statuuntur, criminales sunt.

§. 924.

§. 924.

Pœnas itaque militares non nisi criminales esse, convenit. *Quales militares.*

Ut enim delictis militaribus non nisi pœnæ militares statuantur, convenit (*§.* 901.). Quare cum pœnæ, quæ in delicta militaria statuuntur, criminales sunt (*§.* 923.): Pœnas etiam militares non nisi militares esse, convenit.

Hoc quidem ita convenire apparet. Cum vero pœnæ militares etiam propter delicta communia soleant infligi, uti alibi jam monuimus (*ad §. 771. & 901.*); Hæc vero privata etiam esse possint (*dem. §. 922.*); Pœnæ militares etiam, propter delicta privata inferri poterunt. Quare cum tales pœnæ civiles dicantur (*def. §. cit.*): Pœnas militares civiles etiam esse posse, si praxin spectes, elucet.

§. 925.

Delictis militum, et in specie militaribus, gravioribus graviores etiam poenæ statuendæ sunt. Seu, quod idem est: *Milites, quo gravius, in specie qua tales, delinquunt, eo gravius puniendi sunt.* *Graviora delicta gravius punienda.*

Delicta enim graviora in genere gravioribus etiam pœnis coërcenda sunt (§. *626. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum de specie prædicari possint, quæ de genere (*§. 235. Log. ejusd.*): Idem etiam de delictis militum, et in specie militaribus intelligitur. Cum vero supponantur milites, qui delinquant (*per hypoth.*); Milites vero etiam, qua tales, delinquere possint (§. 542.); Et cum pœnæ propter delicta inferantur, is puniri debeat, qui delinquit: Patet quoque, illud idem esse, ac si dicas, quod milites, quo gravius delinquunt, eo etiam gravius puniri debeant.

§. 926.

Hinc cum gravitas delictorum æstimanda sit ex nocumento, quod affertur, et periculo, quod inde imminet (*§. 625. Part. 8. cit.*); Delictis vero militum et in specie militaribus gravioribus pœnæ etiam graviores statuendæ sint (§. 925.): *Delicta militum & militaria in specie eo gravius sint punienda, quo majus est nocumentum vel periculum, quod ex iisdem evenit, sive imminet.* *Quæ majus damnum aut periculum inferunt.*

§. 927.

Pœnæ militum et militares in specie graviores vel mitiores statui debent pro circumstantiis, sub quibus delicta committuntur. *Pro circumstantiis graviores statuendæ.*

Circumstantiæ enim, sub quibus delictum committitur, gravius illud aut levius reddere possunt (*§.* 568.). Quare cum delictis militum, & in

in specie militaribus gravioribus, graviores etiam pœnæ statuendæ sint (§.925.): Pœnæ etiam militum, quæ communes vel militares sunt (§.771.), pro circumstantiis, sub quibus delicta committuntur, graviores vel mitiores statui debent.

§. 928.

Aggravantium & mitigantium definitio.

Cum in genere circumstantiæ, propter quas in delictum pœna gravior statuenda est, aggravantia, & eæ, propter quas mitior, mitigantia dicantur (*per def.*): Circumstantiæ etiam, propter quas pœnæ militum & militares in specie graviores vel mitiores redduntur, *Aggravantia et mitigantia pœnarum militum & in specie militarium* dicuntur.

§. 929.

Eadem sunt pœnarum, quæ delictorum.

Aggravantia & mitigantia pœnarum militum eadem sunt cum aggravantibus & mitigantibus, seu minuentibus potius, delictorum.

Propter circumstantias enim, sub quibus delicta militum committuntur, illa graviora aut leviora redduntur (§.568.). Propter easdem vero etiam pœnæ militum graviores aut mitiores statui debent (§.927.). Quare cum circumstantiæ, quæ delicta militum graviora aut leviora reddunt, aggravantia vel mitigantia, aut minuentia potius, dicantur (§.569.): Pœnæ militum graviores vel mitiores redduntur propter aggravantia vel minuentia delictorum. Cum itaque circumstantiæ, propter quas pœnæ militum graviores vel mitiores redduntur, aggravantia vel mitigantia pœnarum dicantur (§.928.): Patet, quod hæc eadem sint cum illis.

§. 930.

Ex magnitudine damni æstimanda.

Pœnæ militum & militares in specie graviores esse; seu: Milites gravius puniri debent, si ex circumstantiis, sub quibus delinquunt, eveniat nocumentum, aut immineat periculum majus; Mitius, si minus.

Gravioribus enim militum delictis graviores etiam pœnæ statuendæ sunt (§.925.). Quare cum delictum gravius vel levius reddatur, si ex circumstantiis, sub quibus committitur, majus aut minus nocumentum inferatur, aut periculum immineat (§.568.): Patet, quod pœnæ militum graviores vel mitiores statui, seu, milites gravius vel mitius puniri debeant, prout ex circumstantiis, sub quibus delinquunt, majus aut minus damnum illatum est, vel periculum metuendum fuit.

Hæc et alia, quæ sequuntur, delictis militum & militaribus in specie non propria, sed ipsis cum delictis in genere communia sunt. Cum vero, theoria delictorum generali nondum tradita, eadem aliunde suppo-

nere

nere non liceat; Iisdem tamen ad alia eruenda opus sit: Hic de delictis militum in specie fuere demonstranda: Licet facile appareat, eadem de delictis omnibus in genere valere.

§. 931.

Pœnæ militum et militares in specie vel emendatrices vel exemplares esse possunt.

Pœnæ sunt emendatrices vel exemplares.

Facile enim apparet, quemadmodum per pœnas in genere, ita et per pœnas militum et militares in specie intendi posse, vel ut delinquens animum delinquendi mutet, vel ut metus incutiatur aliis, quo a delinquendo deterreantur. Quamobrem cum pœnæ, quæ alicui eo fine infliguntur, ut animum delinquendi mutet, emendatrices; Pœnæ vero, quæ eum in finem immittuntur, ut aliis metus incutiatur, quo a delinquendo deterreantur, exemplares dicantur (*§. 1062. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod pœnæ militum & militares in specie vel emendatrices, vel exemplares esse possint.

Cum duplex pœnarum finis simul intendi possit: Pœna eadem tam exemplaris, quam emendatrix esse poterit. Licet itaque pœnæ militum maxime debeant esse exemplares (§. 832.): Ei tamen non repugnat, quod earum quædam vel simul, vel solum sint emendatrices.

§. 932.

Pœnæ militum emendatrices mitiores; Exemplares vero graviores esse debent.

Exemplares graviores sunt.

Cum pœnæ debeant esse motiva actionum committendarum vel omittendarum (*§. 287. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*); Pœnis emendatricibus vero solum emendatio delinquentis, uti exemplaribus exemplum aliis præbendum intendatur (*def. §. 931.*): In emendatricibus non nisi uni, in exemplaribus vero pluribus motivum exhibendum est. Fortius itaque esse debet motivum in his, quam in illis. Motiva vero in repræsentatione boni vel mali consistunt (*§. 890. Psych. Emp. ejusd.*). Quo majus itaque est bonum vel malum, quod repræsentatur, eo fortius erit motivum. Quare cum pœnæ sint malum physicum, quod cuidam infligitur (*§. 285. Part. 1. cit.*): Quo majus est malum, quod pœna quadam infligitur, eo fortius motivum eadem præbet. In pœnis itaque exemplaribus majus infligi debet malum, quam in emendatricibus. Quamobrem cum pœna, qua majus malum infertur, gravior, qua minus, mitior dicatur (§. 766.): Patet, quod pœnæ militum exemplares graviores, emendatrices vero tantum mitiores esse debeant.

§. 933.

Emendatrices quales esse nequeant.

Pœnæ militum emendatrices capitales aut infames esse nequeunt. Pœna enim emendatrix tendit ad emendationem delinquentis (*def.* § 931.). Pœna capitali vero vita adimitur (§. 601. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum vita amissa amplius emendari non detur (*Quod per se patet*): Pœnæ militum emendatrices esse nequeunt capitales. *Q. e. 1.*

Per pœnam vero infamem milites infames fiunt (§. 849.); Infamis autem amplius miles manere nequit (§. 812.). Per pœnam itaque infamem militia amittitur, & emendationem ejus, cui illa infertur, non intendi, apparet. Quare cum pœna emendatrix ad emendationem delinquentis debeat tendere (*def. alleg.*): Patet etiam, quod pœnæ militum emendatrices nec possint esse infames. *Q. e. 2.*

§. 934.

Quando locum inveniant.

Miles delinquens, si in ipso spes sit emendationis, pœna potius emendatrice, adeoque mitius puniri debet, quam si spes ista desit.

Per pœnas enim emendatrices emendatio delinquentis intenditur (*def. §. 931.*). Emendatio itaque locum habere, adeoque sperari posse debet in eo, qui pœna emendatrice plectatur. Quodsi itaque spes emendationis in milite delinquente adsit: Adest potius aliqua ratio, cur pœna emendatrice plectatur, quam si spes ista desit. Quamobrem cum posita ratione sufficiente ponendum sit, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol. WOLF.*); Adeoque existente ratione quadam, cur quid potius fiat, quam non, illud etiam faciendum potius sit, quam ratione illa deficiente: Apparet, quod miles delinquens, si in ipso spes sit emendationis, pœna potius emendatrice plecti debeat, quam si spes ista desit. *Q. e. 1.*

Quoniam vero pœnæ militum emendatrices mitiores sunt exemplaribus (§. 932.); Miles vero emendatrice potius pœna plecti debeat, si in ipso spes sit emendationis, quam si eadem desit (*per dem. n. 1.*); Patet, quod in eo casu mitius etiam puniendus sit. *Q. e. 2.*

Facile cuivis apparebit, hic supponi, quod reliqua sint paria, & quod delictum tale sit, cui puniendo pœna emendatrix sufficit. Quodsi enim delictum tantum sit, ut pœna capitali vel alia exemplari coërceri debeat: Nec locus erit pœnæ emendatrici. Vti statim ostendemus.

§. 935.

Quando non.

Si tamen exemplum statui requiratur: Pœnæ saltem emendatrici locus esse nequit; Sed miles delinquens exemplari, adeoque graviori pœna afficiendus est, etsi in eo spes sit emendationis.

Cum

Cum enim pœna emendatrix tendat ſaltem ad emendationem delinquentis (*def. §. 931.*); Hic vero exemplum ſtatui requiratur (*per hypoth.*): Illa fini huic non ſufficit; Sed cum pœna, qua exemplum potiſſimum etiam ſtatuitur aliis, exemplaris dicatur (*per alleg.*): Exemplari opus eſt.

Cum itaque finis quidam neceſſarius ponatur (*per hypoth.*); Ille vero ſine pœna exemplari obtineri nequeat (*per dem.*): Hæc etiam in caſu dato neceſſaria eſt. Vt vero miles delinquens pœna ſaltem emendatrice afficiatur, ſi in ipſo ſpes ſit emendationis, ratio non abſoluta, ſed potior ſaltem adeſt, quam ſi ſpes ea deficiat (§. 934.). Emendatrix itaque pœna neceſſario non obtinere debet in eo, in quo emendationis ſpes eſt, licet ratio potior ſit, ut obtineat in eodem, quam ſi ſpes iſta deſit. Hinc cum intelligatur, quod ſi in milite delinquente ſpes ſit emendationis, pœna emendatrix obtinere æque nequeat, quam poſſit; Exemplaris vero in caſu dato neceſſario debeat obtinere (*per dem.*): Patet, quod ſi exemplum ſtatui requiratur, miles delinquens pœna exemplari debeat affici, etſi in ipſo ſpes ſit emendationis. *Q. e. 2.*

Et cum pœnæ militum exemplares graviores ſint emendatricibus (§. 932.); In caſu dato vero miles pœna exemplari affici debeat, etſi in ipſo ſpes ſit emendationis (*dem. n. 1.*): Simul apparet, quod miles graviori pœna ſit afficiendus, ſi exemplum ſtatui requiratur, etſi in ipſo ſpes ſit emendationis, quæ alias mitiorem pœnam efficit (§. 934.). *Q. e. 2.*

§. 936.

In ſpecie ſ. delictum nimium, aut frequens ſit.

Hinc cum facile intelligatur, ſi delictum tantum ſit, aut tam frequens evadat, ut pœna emendatrice ſolum coërceri nequeat, quod tunc exemplari opus, adeoque exemplum ſtatuendum ſit; Si vero exemplum ſtatui requiratur, pœnæ emendatrici locus eſſe nequeat, ſed exemplari afficiendus ſit miles, etſi ſpem emendationis præbeat (§. 935.): *Miles* etiam *non pœna ſolum emendatrice, ſed exemplari plecti debet, ſi delictum, quod commiſit, tantum, aut tam frequens ſit, ut illa ſolum nequeat coerceri, licet in ipſo ſpes ſit emendationis.*

§. 937.

Aut pœna capitalis vel infamis in illud ſtatuta.

Si pœna capitalis aut infamis in delictum quoddam ſtatuta ſit: Miles, qui illud commiſit, pœna ſolum emendatrice affici nequit, etſi ſpem emendationis exhibeat.

Pœnæ enim militum emendatrices capitales aut infames esse nequeunt (§. 933.). Quodsi itaque pœna capitalis vel infamis in delictum quoddam sit statuta, emendatrici locum non esse apparet. Licet itaque hæc obtinere potius debeat, si in milite delinquente spes emendationis adsit, quam si hæc deficiat (§. 934.): Miles tamen pœna saltem emendatrice affici non poterit, si pœna capitalis aut infamis in illud delictum, quod commisit, statuta sit, etsi emendationis spem præbeat.

Licet vero spes emendationis sola judici non permittat a pœna capitali in dictanda sententia recedendi: Principi tamen motivum hanc mitigandi præbere potest. Quæ vero ulterius deducenda non sunt hujus loci, ubi limites inter principis & judicis potestatem ad examen non revocamus, sed saltem quæ rei intrinseca sunt, ostendimus.

§. 938.

Iterato delinquens quomodo puniendus. *Si miles iterata vice delinquat, inprimis vero si idem delictum iterata vice committat, gravius puniendus est, quam si prima; Præsertim, si propterea jam sit punitus.*

Si enim miles iterata vice delinquit, et inprimis si delictum idem committit, hoc majorem in ipso delinquendi animum, adeoque malitiam (*Schol. §. 631. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*) prodit, quam si prima tantum vice delinquat. Quod per se satis intelligitur. Cum itaque in gravitate pœnæ determinanda ratio quoque habenda sit malitiæ (*§. 632. loc. cit.*): Ex eo jam patet, quod gravius puniendus sit miles, qui iterata, quam qui prima tantum vice delinquit, inprimis si idem delictum committat. *Q. e. 1.*

Si vero miles jam fuerit punitus propter idem delictum, quod iterata vice committit: Ex eo elucet, quod pœna eadem, quam fuit perpessus, forte satis non fuerit motivum a delinquendo ipsum deterrendi. Cum vero intersit reipublicæ, ne milites delinquant (§. 552.); Absque motivis vero nulla detur in anima volitio aut nolitio (*§. 889. Psychol. Empir. WOLF.*); Fortius motivum dari debet ei, qui minus forti duci se non patitur. Quare cum motiva actionum, adeoque et delictorum non committendorum sint pœnæ (*§. 287. Part. 1. Phil. pract. univ. ej.*); Pœno vero gravior, cum majus malum ea inferatur (§. 766.), fortius sit motivum, quam minus gravis, sive mitior: Apparet etiam, quod tunc præsertim gravius puniendus sit miles iterata vice delinquens, si propter idem delictum jam fuerit punitus. *Q. e. 2.*

Legibus etiam positivis hoc fieri solet, ut graviores pœnæ statuantur in delicta iterata vice commissa, furtum præsertim. Et pœnas etiam mili-

militum aggravari continuo observamus, si quis delinquendi quasi consuetudinem contrahat. Cum mitius contra agi soleat cum eo, qui prima saltem vice delinquit. Quod vero ceteris paribus intelligendum est. Si enim pœna capitalis, qua gravior non datur, in delictum statuta sit: Ab eadem liberari non poterit quis propterea, quod prima tantum vice illud committat.

§. 939.

Propter minorennitatem militum pœnas eorum mitigari convenit. *Minor ætas pœnam mitigat.*

Minorennitas enim jure naturæ ætas dicitur, cui perfectum judicium actionum adhuc deest (§. *768. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*). Minores itaque nondum perfecte dijudicare valent actionum rectitudinem & sequelas earundem. Cum itaque milites, qui obligationibus suis contraria agunt, adeoque qui delinquunt (§. 540.), a rectitudine actionum deficiant (§. 537.); Pœnæ vero sint sequelæ delictorum (§. 761.): Milites minorennes nec delicta, nec pœnas eorundem satis valent ponderare. Dici itaque nequit, quod æque data opera male agant, quam majorennes, qui nempe perfecto judicio gaudent (§. *768. cit.*). Neque etiam adeo malitia illorum in delinquendo tanta poterit censeri, quam majorennium (*schol.* §. *631. Part. 8. loc. cit.*). Quare cum in gravitate pœnæ determinanda ratio etiam habenda sit malitiæ (§. *632. loc. cit.*): Pœna tanta esse non poterit in milite minorenni, quam in majorenni; Adeoque mitior esse debet in illo, gravior in hoc (§. 766.). Quare cum si mitiori pœna quis afficitur, qui alias graviori deberet plecti, pœna dicatur mitigari (§. 1090. *Part. 1. loc. cit.*): Patet, quod propter minorem militum ætatem, pœnas eorum mitigari conveniat.

Intelligi tamen hoc debet addita clausula: Nisi circumstantia aggravans alia concurrat, propter quam locum inveniat vulgatum illud: *Malitia supplet ætatem.* Quod utique ratione non destituitur. Uti ex nostra statim demonstratione apparet. Principium enim pœnam in minorenni mitigandi est defectus aut minor gradus malitiæ, qui ex minori ætate præsumitur. Quodsi vero malitia hæc ex aliis circumstantiis appareat: Non amplius dici potest, quod eadem in minorenni deficiat. Cessat itaque in eo casu totum fundamentum, quo pœnæ mitigatio in minorenni nititur.

§. 940.

Si tyro delictum militare committat, mitius puniendus est, præsertim si delinquendo saltem observantiæ cuidam militari adversetur. *Tyro militus puniendus.*

Cum delicta militaria sint actiones obligationibus ipsorum, qua talium, sive militaribus contrariæ (§. 543.); Actiones vero militum,

qua

qua talium, adeoque & obligationes (*dem.* §. 84.), legibus militaribus determinentur (§. 87.): Patet, quod, si quis delictum militare committat, eo legibus militaribus adversetur. Licet itaque milites ad servandas adeoque et callendas leges militares obligentur (§. 137.); Cum tamen hæ numero plures esse soleant (*per exper. & hypoth.*): Qui miles noviter factus est, adeoque & tyro (§. 37.), easdem omnes statim callere & memoria retinere non poterit. Fieri itaque potest, ut vel ex imperitia, neque data opera, delinquat; Adeoque malitia ejus tanta haberi non poterit (§. 631. *cit.*), quam militis in militia diutius versati. Quare cum in determinanda pœnæ gravitate ratio habenda sit malitiæ (§. 632. *ibid.*); Adeoque mitius puniendus sit, qui minori malitia delinquit: Hoc etiam de tyrone patet, qui delictum quoddam militare committit. *Q. e. 1.*

Cum vero milites actiones suas etiam observantiis militaribus convenienter determinare obligentur (§. 135.): Miles æque delinquit, qui observantiæ, quam qui legi militari scriptæ adversatur. Cum vero observantiæ ex usu demum addiscantur (§. 146.); Usus vero temporis aliquod spatium supponat (*quod per se patet*): Nec ab initio miles noviter factus, qualis est tyro (§. 37.), easdem statim callere poterit. Facilius itaque fieri potest, ut contra easdem impingat, & adeo minus data opera sive malitiose delinquat. Quare cum in determinandis pœnis ratio habenda sit malitiæ (§. 632. *jam cit.*): Patet, quod tyro, si præsertim observantiæ cuidam militari adversetur, mitius sit puniendus. *Q. e. 2.*

Imo si observantia quædam tale singulare quid contineat, ut illud agendo nullum delicti sensum habere quis possit, delictum, adeoque et pœna plane cessaret. Ceterum vel ipso jure civili constitutum est, ut mitius puniantur tyrones (*l. 3. §. 9. & l. 14 §. 1. ff. de Re milit.*). Ratio etiam ejusdem hæc expressa adducitur, quod tyrones disciplinam adhuc ignorent (*l. 4. §. fin. ibid.*). Et ex hoc vel apparet, ad sola delicta militaria illud esse restringendum. Cum enim delicta communia obligationibus saltem naturalibus vel civilibus repugnent (*def.* §. 550.); Hisce vero etiam teneantur alii, qui milites non sunt, homines nempe, aut cives in genere: Easdem jam scire supponitur, qui miles fit; Neque adeo initium militiæ veniam ullo modo conciliare potest imperitiæ earum in tyrone.

§. 941.

Ut &, cui leges non prælectæ.

Miles, cui leges militares, scriptæ scilicet, prælectæ non sunt, secundum rigorem earum puniri nequit.

Leges

Leges enim militares, ſcriptæ ſcilicet, ante promulgationem non obligant (§. 143.). Cum itaque prælectio earum promulgationis loco, ut convenit (§. 144.), fieri ſoleat (*per hypoth.*): Nec obligabunt, niſi fuerint prælectæ. Quodſi itaque miles, cui leges militares prælectæ non fuerunt, contra easdem agat: Proprie vel ſaltem eatenus non delinquit, quod iis adverſetur (§. 540.) Ex delictis vero obligationem ad pœnam demum oriri intelligitur (§. *1071. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*). Cum itaque in leges militares proprie non delinquat miles, cui eædem prælectæ non ſunt (*per dem.*): Nec ad pœnam iisdem ſtatutam obligabitur. Quare cum in eo rigor legis ſit ponendus, ut, qui eandem transgreditur, ea præciſe pœna puniatur, quæ ipſa ſtatuta eſt (*per hypoth.*): Patet, quod miles, cui leges militares prælectæ non ſunt, nec ſecundum rigorem illarum queat puniri.

§. 942.

Pœna ordinaria non puniendus.

Hinc cum pœna, quæ lege quadam in delictum aliquod ſtatuta eſt, ordinaria dici ſoleat (*per def.*); Miles vero, cui leges militares prælectæ non ſunt, pœna ipſis ſtatuta affici nequeat (*dem. §. 941.*): *Miles, cui leges militares prælectæ non ſunt, ſi delinquat, pœna ordinaria plecti nequit.*

§. 943.

Quando eadem puniendus.

Ut miles pœna ordinaria afficiatur, certum eſſe debet, eundem illud delictum vere commiſiſſe, in quod iſta ſtatuta eſt.

Pœna enim ordinaria dicitur, quæ lege in delictum quoddam ſtatuta eſt (*def.* §. *942.*). Quare cum pœna in genere ſit malum phyſicum, quod cum malo morali connectitur (§. *285. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Pœna ordinaria connecti non poterit niſi cum eo delicto, in quod illa lege ſtatuta eſt. In delicto itaque eodem continetur ratio ſufficiens, cur pœna ordinaria alicui poſſit applicari (§. *10. Coſmol. ejusd.*). Cum itaque ratione ſufficienti demum exiſtente ponendum ſit, quod propter eam eſt (§. *118. Ontol. ejusd.*); Et præterea nemo puniendus ſit, antequam de facto ejus, quod pœnam meretur, certo conſtet (§. *1087. Part. 1. Jur. nat. ej.*): Patet, quod, ut miles pœna ordinaria afficiatur, certum eſſe debeat, eundem delictum illud vere commiſiſſe, in quod iſta ſtatuta eſt.

Facile apparet, hæc & alia, quæ vel jam præmiſſa fuere, vel adhuc postponentur, non de militibus ſolum, ſed de quovis delinquente valere. Cur vero eædem de militibus in ſpecie demonſtranda videantur: Ad §. 930. jam monuimus.

§. 944.

Quando non possit.

Si dubium sit, an miles præcise delictum illud commiserit, in quod pœna quædam lege statuta est, hac, adeoque pœna ordinaria affici non poterit.

Cum hic ponatur, dubium esse, an miles delictum illud commiserit, in quod pœna quædam statuta est (*per hypoth.*): Illud certum non esse, facile intelligitur. Quamobrem cum ad id, ut militi pœna ordinaria, sive lege statuta, imponatur, certum esse debeat, quod delictum illud vere commiserit, in quod eadem statuta est (§. 943): Statim etiam apparet, quod miles pœna ordinaria affici nequeat, si dubium sit, an delictum illud commiserit, in quod eadem statuta est.

§. 945.

Quando porro non possit.

Si circa delictum militis & militare in specie concurrant mitigantia pœnæ: Pœna ordinaria locum habere nequit.

Mitigantia enim pœnæ dicuntur circumstantiæ, propter quas mitior pœna in delictum quoddam statuenda est (§. 928.). Quodsi itaque circa delictum quoddam mitigantia pœnæ adsint: Pœna mitior statuenda erit, quam alias foret. Quare cum pœna in delictum quoddam alias extra respectum mitigantium lege statuta, ordinaria dicatur (*def.* §.942.): Patet, quod hæc locum nequeat habere, si circa delictum militis & militare in specie mitigantia concurrant.

An judici in hoc casu a pœna ordinaria liceat recedere, an principi saltem ejusdem mitigatio sit relinquenda, hujus loci non est disquirere. Sufficit saltem in genere commonstrasse, quando pœnæ ordinariæ locus esse non possit.

§. 946.

Quando pœna arbitraria obtineat.

Si miles delinquat; Pœna vero ordinaria locum habere nequeat: Extraordinaria sive arbitraria afficiendus est.

Cum in delicta militum pœnæ statuendæ sint (§. 761.): Militem, si delinquat, puniri debere in aprico est. Licet itaque pœna ordinaria, sive, quæ in ipsa lege statuta est, locum non habeat, seu nulla plane pœna lege statuta sit (*per hypoth.*): Ab omni tamen pœna liberari non poterit, sed alia saltem, quam ordinaria afficiendus est. Quare cum pœnis ordinariis opponantur extraordinariæ sive arbitrariæ, quæ nempe legibus aut consuetudinibus definitæ non sunt, sed arbitrio judicis determinandæ relinquuntur (§. 623. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet, quod miles, si delinquat, pœna ordinaria vero affici nequeat, extra ordinem sive arbitrarie plectendus sit.

§. 947.

Præfecti militum gravius puniendi sunt gregariis, si idem delictum, militare præsertim, committant, ad quod & alii possent seduci. *Præfecti militum gravius puniendi.*

Præfecti enim militum, si delictum committant, militare præsertim, uti desertionem, fugam ex acie, ad quod & alii facile possunt seduci, propter auctoritatem, qua inter milites pollent, exemplo suo alios facilius ad idem committendum seducere poterunt, quam gregarii. Ex delictis itaque ipsorum, & quidem militaribus, utpote quæ graviora sunt (§. 648.), majus periculum imminet, & nocumentum, si actu non inferatur, ad minimum tamen majus metuendum est, quam ab iisdem delictis gregariorum. Quare cum delicta militum & militaria in specie eo gravius sint punienda, quo majus est nocumentum vel periculum, quod ex iisdem aut evenit actu, aut imminet saltem (§. 926.): Patet, quod præfecti militum gravius puniendi sint gregariis, si idem delictum committant, ad quod & alii possent seduci.

Cum jure civili dicatur, quod circa desertores puniendos ratio habenda sit ordinis, gradus militiæ & muneris deserti (*l.* 5. *princ. ff. de Re milit.*): Præfectos extraordinaria salrem adeoque mitiori, quam gregarios, pœna afficiendos putat SCHOEPFER (§. 63. *Cap.* 3. *Diss. de Mil. des.*). Quoad transfugas & fugientes ex acie tamen ejusdem sententiæ est, ut nempe gravius puniantur præfecti gregariis (*loc. cit.*). Sibimetipsi vero plane consentire non videtur, cum bene merita delictum minuere (*ibid.*), alibi vero dignitatem illud augere tueatur (§. 14. & 49. *Cap.* 2. *loc. cit.*).

§. 948.

Milites tempore pacis delinquentes æque; Mitius tamen puniendi sunt, quam si belli tempore idem nempe delictum committant. *Milites mitius pacis tempore.*

Milites enim, qui pacis tempore obligationibus suis contraria agunt, æque delinquunt, ac in bello actu constituti (§. 632.). Quare cum in genere milites, qui delinquunt, puniendi sint (§. 761.): Milites pacis tempore delinquentes æque puniendos esse, ac in bello constitutos, apparet. *Q. e. 1.*

Cum vero gravius delinquant milites in bello constituti, quam pacis tempore, idem delictum nempe committentes (§. 633.); Delicta vero militum graviora gravius etiam punienda sint (§. 925.): Simul patet, quod mitius tamen puniendi sint milites, pacis tempore idem delictum committentes, quam in bello. *Q. e. 2.*

Hoc etiam principio usus fuit ARRIUS MENANDER, dum statuit, quod qui in pace deseruit, eques gradu pellendus sit; Pedes mi-

 litiam

tiam mutet. In bello vero idem admissum capite puniatur (*l.* 5. §. 1. *ff. de Re milit.*).

§. 949.

Pœnis paganorum subjiciendi. *Quod milites pœnis paganorum subjici non debeant, juris mere positivi est.*

Militibus enim pœnas etiam communes infligi non repugnat (§. 900.). Cum itaque pœnæ communes dicantur, quæ & paganis infliguntur (§. 771.): Quod pœnis paganorum subjici non debeant milites, in ipsa militia rationem suam non agnoscit. Cum itaque jure civili ipsis hoc privilegium sit constitutum (*l.* 8. *Cod. de Quæst.* & *l.* 3. §. 1. *ff. de Re milit.*); Illud ex mero favore militiæ concessum esse, facile intelligitur (§. 383.). Quare cum privilegia, quæ militibus ex mero favore conceduntur, juris saltem sint positivi (§. 385.): Idem etiam de eo patet, quod pœnis paganorum subjici non debeant milites.

Privilegio tamen hoc juris civilis hodie non amplius frui milites, experientia satis edocet. Pœnis enim paganorum, capitalibus maxime, sæpius eos subjici videmus, quales sunt gladius, suspendium & aliæ: Licet a furca olim expresse fuerint exemti (*l.* 3. §. 10. *ff. de Re milit.*). Quoad reliquas vero, quæ capitales non sunt, negari non poterit, quod non adeo facile ad eas soleat recurri, sed & si miles delictum commune committat, cui pœna quædam corporis afflictiva statuta est, hæc in aliam militarem, si poterit, soleat commutari, qualis v. gr. est fustigatio, relegatio. Non tamen desunt pœnarum etiam corporis afflictivarum communium genera, quæ vel circa milites maxime etiam usitata sunt, veluti carcer, condemnatio ad opus publicum & alia. Ita ut facile appareat, hodie in eo non poni privilegium militum peculiare, quod pœnis paganorum non subjiciantur. Nec jure civili romano hoc absque omni fuit exceptione. Sic enim in transfugas redeuntes statutum est, ut torqueantur, ad bestiasque vel in furcam damnentur: *Quamvis milites nihil eorum* (alias scilicet) *patiantur* (*l.* 3. §. 10. *ff. de Re milit.*).

§. 950.

Nec mitius puniendi. *Quod milites mitius debeant puniri paganis, non juris naturæ, sed positivi tantum est.*

Tam enim in delicta militaria (§. 767.), quam si vel communia tantum admittant milites, graviores pœnæ ipsis statuendæ sunt quam paganis (§. 768.). Quare cum hoc ex meris juris naturæ principiis fuerit demonstratum (*per dem. ibid.*): Juris naturæ esse, facile apparet. Oppositum vero ejusdem est, ut mitius puniantur. Cum itaque opposita simul esse nequeant (§. 272. *Ontol. WOLF.*): Nec juri naturæ esse poterit, ut mitius puniantur milites paganis. Cum tamen jure civili hoc videa-

videatur constitutum (*l. 32. in f. Cod. de Locat.*): Illud ex mero militiæ favore provenire apparet. Adeoque eodem, quo antea (§. 949.), modo apparet, quod juris mere positivi sit.

§. 951.

Quod milites torqueri non debeant, juris saltem positivi est. *Aut a tortura eximendi.*

Ipso enim jure naturæ tortura in genere illicita non est (§. *688. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Nec, si in genere ad confessionem reorum eruendam adhibeatur, in militia ulla apparet ratio, cur ab ea eximantur milites (*per hypoth.*). Cum itaque jure civili hoc sit constitutum (*l. 8. Cod. de Quæst. & l. 3. §. 1. ff. de Re milit.*): Privilegium hoc militibus ex mero militiæ favore concessum esse intelligitur (§. 383.). Quare cum privilegia, quæ militibus ex mero favore conceduntur, juris positivi sint (§. 385.): Quod torqueri non debeant, itidem juris saltem positivi est.

Ratio equidem hujus constitutionis quærenda erit in militum dignitate, propter quam & aliæ personæ torturæ non subjiciuntur (*n. 65. qu. 118. Pract. crim. CARPZ.*). Exceptio tamen simul fit ipsis legibus in criminibus atrocioribus & aliis casibus, quos recenset SCHROETER (*§. 3. Cap. 4. Sect. 1. Diss. de Jur. mil. sing.*), qui tamen simul monet, jure hodierno hoc tantum ad præfectos militum, non gregarios etiam extendi. Hoc vero modo non ad privilegia militum propria, sed personarum digniorum in genere erit referendum. Aliqua quidem in eo posset poni ratio, quod per torturam infames fierent, adeoque milites manere non possent, qui eandem perpetiuntur (§. 812.). Quoniam vero tortura non adhibenda est, nisi tanti criminis reis, quod capitali pœna coercendum sit (§. 685. *Part. 8. cit.*); Per hanc vero etiam militia finiatur: Ex tortura rei militari nullum imminet detrimentum. Quodsi vero ponatur, innocentem torqueri, qui adeo eo solum militiæ subduceretur: Nihil æquius esse apparet, quam ut talis aut exinde nullam infamiæ notam accipiat, aut ad minimum, ut ipsi fama, quo potest optimo modo, restituatur. Uti nec pro infami reputandus erit, qui insons pœna quadam infami affectus est.

§. 952.

Si milites torqueri non debent; Nec territioni circa eos locus est. *Territioni quando non locus.*

Cum enim, ut milites torqueri non possint, juris saltem sit positivi (§. 951.): Illud lege statutum esse debere apparet. Milites itaque in eo casu sciunt, quod torqueri non possint. Quare cum territio in minis de torquendo consistat (§. *678. loc. cit.*): Miles, qui terretur, minas illas simulatas tantum esse agnoscit. Per eandem itaque ad confi-

tendum crimen, cujus reus eſt, non permovebitur. Cum adeo territio vana eſſet, ſi torturæ locus non ſit: Nec illi in eo caſu locus eſſe poterit.

Hinc etiam L. B. de WOLF in genere demonſtravit, quod ſi tortura nunquam adhibenda, nec territioni unquam locus eſſe poſſit (§. 682. *loc. cit.*). Perperam itaque cum ZANGERO (§. 89. *Cap.* 1. *de Quæſt.*) ſtatuit SCHROETER, quod licet milites tormentis non ſubjiciantur, verbali tamen territione interrogari poſſint (§. 3. *antea cit.*).

§. 953.

Quænam delicta infamia punienda.

Delicta militum & militaria in ſpecie, quæ famæ potiſſimum repugnant, infamia puniri, ſive pœna infami plecti convenit.

Licet enim in genere delicta militum & militaria in ſpecie, naturaliter ipſis infamiam contrahant (§. 562.): Dari tamen delicta, quæ potiſſimum & magis famæ nocent, quam alia, ſimul apparet (§. 566.). Cum itaque infamia pœna militum eſſe poſſit (§. 793.); Pœnæ vero propter delicta imponantur (§. 761.); Adeſt aliqua ſaltem ratio, ut delicta illa potius infamia puniantur, quæ famæ potiſſimum nocent, ſeu quæ infamiam præcipue contrahunt delinquentibus, quam alia. Quare cum convenire quid dicatur alteri, ſi in hoc aliqua ſaltem ejusdem inveniatur ratio (*per def.*): Patet, quod etiam conveniat, delicta militum & militaria in ſpecie, quæ famæ potiſſimum nocent, infamia puniri, ſive pœna infami plecti.

Non abſque ratione addimus, quod aut *infamia puniri,* aut *pœna* ſaltem *infami plecti* debeant: Cum infamia vel expreſſe in pœnam ſtatui, vel cum in pœna alia ſaltem connecti poſſit (§. 843.), quæ propterea infamis eſt (§. 844.).

§. 954.

Non niſi, quæ dolo committuntur.

Delicta militum & militaria in ſpecie infamia puniri, ſeu pœna ſaltem infami plecti non convenit, niſi quæ dolo committuntur.

Cum fama militis in eo conſiſtat, ut alii judicent, ipſum obligationibus ſuis ſatisfacere (§. 556.). Si vero milites hoc non faciant, illud dolo vel culpa fieri poſſit (§. 559.): Dolo vel culpa famæ ſuæ contraria agere poſſe milites, quidem apparet. Cum autem dolus in defectu a rectitudine actionis quoad voluntatem conſiſtat (§. 701. *Part.* 1. *Phil. pract. univ. WOLF.*); Culpa vero, quoad intellectum ſaltem (§. 717. *ibid.*); Adeoque qui dolo delinquit, illud data opera faciat, & malitioſe agat; Qui vero culpa ſaltem delinquit, non æque (*dem.* §. 763.): Delicta, quæ dolo committuntur, famæ magis repugnare, quam quæ culpa ſaltem,

saltem, elucet. Quare cum ea delicta militum & militaria in specie infamia puniri sive pœna infami plecti conveniat, quæ famæ potissimum repugnant (§. 953.): Patet, quod infamia puniri non conveniat, nisi delicta militum & militaria, quæ dolo committuntur.

Juris hoc etiam civilis esse videtur, ut infamis quis non fiat, nisi propter dolum, non propter solam culpam (*arg.* §. 6. *Inst. de susp. tut. & l.* 4. §. 5. *ff. de His, qui not. inf.*).

§. 955.

Quare cum delicta militum, & militaria in specie, quæ dolo committuntur, delicta vera dicantur (*def.* §. 541. 544.); Delicta vero infamia puniri non conveniat, nisi quæ dolo committuntur (§. 954.): *Non nisi vera militum & militaria in specie delicta infamia puniri convenit.* *Adeoque non nisi vera.*

§. 956.

Cum autem quasi delicta non dolo, sed culpa saltem committantur (*def.* §. 541. 544.); Non vero, nisi delicta, quæ dolo committuntur, infamia puniri conveniat (§. 954.): *Quasi delicta militum infamia punienda, sive pœna infami plectenda non sunt.* *Non autem quasi delicta.*

§. 957.

Delicta militum & militaria in specie, quæ singulari dolo committuntur, seu, quæ singularem dolum involvunt, infamia puniri, sive pœna saltem infami plecti convenit. *Quæ singularem dolum involvunt.*

Licet enim delicta militum, & militaria in specie, quæ dolo committuntur, infamia puniri possint (§. 954.); Ut tamen in omnibus, quæ dolo peraguntur, hoc fiat, ratio necessitatis non apparet. Contra cum per pœnas infamiæ & infames milites infames fiant (§. 849.); Adeoque militia amittatur (§. 812.); Numerum vero militum non minui intersit reipublicæ (*per dem.* §. 652. *ult. loc.*): Delictis militum, leviribus præsertim, etsi dolosis, saltem non omnibus, pœnas infamiæ aut infames imponi, non convenit. Cum autem dolus rationem præbeat, in delictum pœna infami animadvertendi (*dem.* §. 954.); Omnia vero, quæ dolo committuntur, infamia puniri non conveniat (*per dem.*): Ut ea, quæ singularem dolum involvunt, pœna infami plectantur, convenire apparet.

§. 958.

Milites, vel eorum præfectos, qui alios, vel ipsum auctorem belli defraudant, pœna infamiæ vel infami saltem affici, convenit. *Quibus defraudatio committitur.*

Cum

Cum enim defraudatio absque dolo non committatur (§. 682. *Part. 2. Jur. nat.* WOLF.); Imo in verbis & factis in specie dolosis, quibus nempe alter suo privatur, consistat (§. 680. *ibid.*): Quod defraudatio singularem dolum involvat, apparet. Cum itaque milites vel eorum præfecti, qui ullo modo circa militiam fraudem committunt, delinquant (§. 745.): Ab iisdem committi delictum, quod singularem dolum contineat, elucet. Quare cum delicta, quæ singularem dolum præ se ferunt, infamia puniri, sive pœna infami saltem plecti conveniat (§. 957.): Convenire etiam patet, ut milites vel eorum præfecti, qui circa militiam quocunque modo defraudant, infamiæ pœna aut infami saltem afficiantur.

Licet dolus cum fraude non debeat confundi (*schol.* §. 702. *Part.* 1. *Phil. pract. univ.* WOLF.): Fraudem tamen continere dolum, & singularem quidem, ex ipsa illius definitione allegata, negari non poterit. Non temere itaque, in delicta fraudulenta potissimum infamiam statuendam esse, tueri licebit. Omnem etiam defraudationem a viro integræ famæ abesse debere, & nihil magis famæ nocere, quam defraudationem, inter omnes constat. Quare cum ea delicta, quæ famæ potissimum repugnant, infamia etiam notari conveniat (§. 953.): Vel ex hoc præsens propositio demonstrari poterit.

§. 959.

In specie quales defraudationes.

Quare cum *milites, qui in lustrationem conduci se patiuntur; Vel, præfecti eorum, qui eos aliis in lustrationem locant, vel in lustratione cæcos substituunt, vel in numeris loca vacua relinquunt*, circa militiam fraudem committant (*per dem.* §. 746.); Milites vero vel eorum præfectos, qui hoc agunt, pœna infamiæ vel infami saltem affici conveniat (§. 858.): Omnes illi etiam, *ut infamia puniantur, vel pœna saltem infami afficiantur, convenit.*

Tales etiam pœnas in delicta enumerata plerisque legibus militaribus statutas esse, pluribus adducit STEPH. WAGA (§. 7. *Diss. de Restit. famæ per vex.*).

§. 960.

Quæ ex timiditate oriuntur.

Delicta militum, quæ ex timiditate oriuntur, pœna infamiæ vel infami saltem puniri convenit.

Delicta enim militum, quæ ex timiditate oriuntur, famæ eorum maxime nocent & infamiam præcipue contrahunt (§. 566.). Quare cum delicta militum, quæ famæ potissimum repugnant, infamia puniri, sive pœna saltem infami plecti conveniat (§. 953.): Hoc etiam de illis apparet.

§. 961.

§. 961.

Fugam ex acie, desertionem stationis, & deditionem festinatam pœna infami plecti, maxime convenit. *Quænam in specie.*

Fuga enim ex acie, discessus a statione & deditio festinata delicta sunt, quæ famæ militum maxime nocent, & infamiam ipsis præcipue contrahunt (§. 608. 644. 735.). Quare cum delicta, quæ famæ militum potissimum repugnant, infamia puniri vel pœna saltem infami plecti conveniat (§. 953): Patet, quod fuga ex acie, desertio stationis & deditio festinata pœna infami plecti maxime conveniat.

Legibus etiam positivis plerisque hisce delictis pœnas infames impositas videmus. Quod potissimum etiam in deditione festinata obtinet. Uti pluribus firmat STEPH. WAGA (§. 11. *Diss. de Restit. famæ per vex.*). Et hoc usque eo procedit, ut, si plures ejusdem delicti rei sint, & fiat decimatio, reliqui infames declarentur (*loc. cit.*). Cum vero numerus delinquentium, præsertim ex acie fugientium ingens sæpe sit; Per pœnam infamem vero hi omnes militia exuerentur: Non absque ratione pœna famam saltem minuens nonnunquam substituitur: Quo nempe numerus militum conservetur. Uti & articulis patriis statutum est (§. 62. *&* *nov. rec.* §. 15.), & in sequentibus plenius evincetur.

§. 962.

Delictis militaribus pœnæ etiam capitales imponi possunt. *Pœnæ capitales delictis militaribus statui possunt.*

Delicta enim sive crimina in genere pœnis capitalibus coërcere licet, si aliæ non sufficiant (§. 638. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.). Et quo graviora sunt crimina, eo graviores esse debent pœnæ (§. 626. *loc. cit.*). Pœnas vero capitales, cum vita ipsis adimatur (§. 601. *ibid.*), graviores esse, facile apparet (§. 766.). Et cum vita amissa non amplius locus sit emendationi, eas exemplares esse simul intelligitur (§. 931.). Quare cum delicta militaria inter graviora sint referenda (§. 548); Adeoque iisdem pœnæ graviores statuendæ (§. 767.); Pœnæ militum vero maxime debeant esse exemplares (§. 832.); Et hinc contingere possit, ut absque pœna capitali delictum militare coërceri nequeat: Patet, quod delictis militaribus pœnæ etiam capitales imponi possint.

In genere quidem jam demonstratum est, quod militibus pœnæ capitales imponi, & pœnæ etiam militares capitales esse queant (§. 776.). Cum vero pœnæ militares non præcise delictis militaribus imponantur (*schol.* §. 771.); Licet hoc conveniret (§. 901.): Eo nondum intelligitur, delictis militum in specie militaribus pœnas capitales imponi posse. Quare cum hic de pœnis in delicta militaria infligendis potissimum agatur: Illud in specie ostendere visum fuit.

§. 963.

Quibus in specie. *Desertio, fuga ex acie, seditio militaris, adeoque & detrectatio servitiorum militarium & recusatio imperii, item concitatio ad eandem, discessus a statione, dormire & inebriari in eadem, festinata deditio & alia pœna capitali plecti possunt.*

Desertio enim (§. 587. 588.), fuga ex acie (§. 607.), seditio militaris (§. 621.), adeoque & detrectatio servitiorum & resistentia imperii (§. 619.), item concitatio ad eandem (§. 629.), discessus a statione (§. 643.), ut & dormire (*ibid.*), vel inebriari in eadem (§. 646.), festinata deditio (§. 734.) delicta militaria gravissima sunt (*per alleg.*). Quare cum in genere delictis militaribus pœnæ capitales imponi queant (§. 962.); Quo vero graviora sunt delicta, eo etiam graviores esse debeant pœnæ, quibus illa plectuntur (§. *626. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod omnibus illis delictis pœnæ capitales statui possint.

Quod & circa pleraque ubivis fere gentium, & vel jure civili constitutum deprehendimus. Uti desertioni, si fiat in bello (*l. 5. §. 1. ff. de Re milit.*), fugæ ex acie (*l. 6. §. 3. eod.*), concitationi ad seditionem (*l. 3. §. 19. eod.*) & aliis.

§. 964.

Quænam suspendio punienda. *Si fuga ex acie, desertio stationis & festinata deditio capite punienda sint, illud suspendio vel alia saltem pœna infami fieri convenit.*

Fugæ enim ex acie, desertioni stationis & deditioni festinatæ pœnæ capitales imponi possunt (§. 963.). Easdem vero pœna infami plecti convenit (§. 961.). Quare cum suspendium pœna capitalis infamis maxime usitata sit, quæ & militibus imponitur (*per hypoth.*): Patet, quod si delicta adducta capite plecti debeant, illud suspendio vel alia pœna infami fieri conveniat.

§. 965.

Dormiens in statione non statim occidendus. *Dormiens vel ebrius in statione stante pede vel absque causæ cognitione occidendus non est: Licet in eundem pœna capitalis statuta sit.*

Dormire in statione (§. 643.), vel ebrium esse in eadem (§. 646.) delicta militaria gravissima quidem sunt. Cum vero delictum absque dolo vel culpa saltem non committatur (*def.* §. 540.): Dolo vel culpa militis supponitur, si somnus in statione pro delicto debeat reputari. Absque vero dolo vel culpa militis fieri etiam potest, ut in statione somno abripiatur (*schol.* §. 637.). In hoc casu itaque delictum militi imputari nequit. Cum autem pœnæ locum non habeant nisi in delictis

ctis (*per dem.* §. 761.): Nec miles dormiens in statione puniendus est, nisi delictum ejus, dolus nempe aut culpa, subsit. Quod cum fieri posset, si miles in statione dormiens stante pede & vel absque causæ cognitione occideretur. Patet, quod hoc fieri non debeat, etsi in dormientem in statione pœna capitis sit statuta. *Q. e. 1.*

Similiter, licet vix casus dabitur, ut quis absque dolo sive proposito aut culpa sua saltem inebrietur (*per hypoth.*); Adeoque dubium fere esse nequeat, quin miles, qui in statione ebrius deprehenditur, dolo vel culpa saltem delinquat: Utrum horum tamen fiat, & an adeo verum, an quasi delictum miles committat, statim non apparet.

Cum autem vera militum delicta gravius, quasi delicta vero mitius punienda sint (§. 763.): Nec in utroque casu eadem pœna affici poterit miles, qui in statione ebrius deprehenditur; Sed causæ cognitione prævia opus erit ad eundem puniendum. Licet itaque etiam pœna capitis statuta supponatur in eum, qui in statione ebrius deprehenditur: Eadem tamen absque prævia causæ cognitione imponi nequit. Et cum præterea ex aliis forsan causis, morbo veluti, in eum statum quis possit reduci, ut ebrio similis videatur; Adeoque pro ebrio haberi, qui talis non est; Nec ideo delinquat (*per. dem. n. 1.*); Nemo vero puniri debeat, nisi delicto aut crimine sufficienter probato (§. 673. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet etiam, quod miles ebrius in statione stante pede & absque causæ cognitione occidi non debeat, licet pœna capitis in eundem sit statuta. *Q. e. 2.*

Quod itaque jure belgico, testante BEIERO (*n. 1289. Jur. milit. prud.*) statutum sit, ut miles, qui in excubiis dormiens deprehenditur, stante pede occidi possit impune, approbari nequit. Si vero ipsum art. 27 ejusdem juris intuearis: Nec hoc ex illo sequi videbitur; Sed id solum ex interpretatione commentatoris, PETRI PAPPI, est, qui et exemplis ex antiquitate desumtis illud probat. Rectius itaque sine dubio sentit dn. GNüGE (§. 549. *der Anleit. zum Kriegsr.*), quod & in casu impunitatis melius agatur, si ab occisione tali, quæ stante pede fit, abstineatur. Non omne enim, quod impune fieri potest, propterea fit licite, si jus naturæ & conscientiam spectes (*schol.* §. 419. *Part. 3. Jur. nat.* WOLF. & §. 975. *Part. 8. loc. cit.*). Ebrietati in statione pœna capitis plerumque quidem statuta non reperitur, nisi quod *Articulis Brunsuico - Luneburgico - Cellensibus anni 1673.* §. 17. contineatur, si ex ebrietate in excubiis damnum aliquod rei militari emergat, delinquentem globis transfodendum esse. Cum ebrietas etiam in aliquo facile percipiatur; Talis vero in stationem non ducetur: Vix quoque dabitur casus, ut miles in statione ebrius inveniatur, nisi ebrietatem in ipsa statione sibi contrahat. Quod licet forsan rarius accidat, vel accidere

etiam possit: Non tamen absque omni est exemplo. Summe vero ebrium, qui nempe rationis usu destituitur, supponi facile intelligitur. Cum vero talis dormienti æquiparandus sit, & vel facile somno abripiatur: De eodem etiam valere debere, quod de hoc valet, ostendendum duximus. Hinc vero nec probari poterit, quod de Turcis memoratur, apud eosdem nempe ebrium a quovis in continenti occidi posse & debere.

§. 966.

Quando delinquens statim occidi debeat.

Si delictum quoddam, grave præsertim a milite ipso actu committatur, adeoque certum sit: Eo vero possit impediri & vel aliter nequeat coërceri, quam si in continenti occidatur, qui illud suscipit: Ut hoc impune fieri possit, concedendum, imo ut fiat, statuendum est.

Cum enim intersit reipublicæ, ne milites delinquant (§.552.); Hic vero supponatur, delictum suscipi, quod impedire adhuc licet (*per hypoth.*): Quod omni modo impediendum illud sit, eo magis apparet, quod grave simul supponatur, ex quo itaque magnum reipublicæ damnum metuendum est (§.*625. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quamobrem cum pœnæ tantæ licitæ sint, quantæ ad deterrendum nocituros a delicto perpetrando requiruntur (§.*637. loc. cit.*); Adeoque si absque pœnis capitalibus coërceri nequeant crimina, cædem licitæ sint (§.638. *ibid.*): Tanta etiam in delictum grave, quod in ipso actu seu flagranti est, pœna statui debet, quanta ad illud impediendum & coërcendum requiritur. Cum itaque hic supponatur, delictum quoddam, quod in ipso actu est, eo posse impediri, & vel aliter coërceri non posse, quam si in continenti occidatur, qui illud suscipit (*per hypoth.*): Ut impune illud fiat, concedi, imo statui debere, apparet. *Q. e. 1.*

Cum vero puniri nemo possit, nisi delicto sufficienter probato, seu nisi ejus convictus (§.*673. loc. cit.*); Adeoque in genere, ut quis possit puniri, certum esse debeat, illum delictum istud commisisse, in quod pœna statuta est: Delictum in ipso actu, adeoque certum & extra omnis dubitationis aleam positum esse debere patet, quod delictum illud vere committatur. *Q. e. 2.*

Hanc juris criminalis in genere propositionem propterea huc traximus, ut inde demonstrari possent, quæ de fuga ex acie statim sequuntur. Ultra vero suos terminos eadem non erit extendenda. Quodsi enim de delicto vere commisso certo non constet; Sed hoc causæ cognitionem quamcunque adhuc requirat; Neque amplius eo possit impediri, si in continenti occidatur committens; Veluti si jam omnibus suis numeris sit absolutum: Nec occisio talis in continenti licere poterit. Uti suo loco erit demonstrandum.

§.967.

§. 967.

Qui fugam ex acie intendunt, stante pede occidendi sunt, si illa eo possit impediri & coërceri aliter nequeat. *Si fuga ex acie eo impediatur.*

Fuga enim ex acie delictum gravissimum est (§. 607.); Ex quo itaque reipublicæ maximum damnum evenire potest (§. *625. alleg.*). Quod & per se satis constat. Si qui itaque fugam ex acie intendunt, sive suscipiunt: Delictum quoddam grave in ipso actu esse, ut committatur, apparet. Quare cum si delictum, quod in ipso actu est, eo possit impediri & vel aliter nequeat coërceri, quam si in continenti occidatur, qui illud suscipit, hoc concedendum, imo statuendum sit (§. 966.): Qui fugam ex acie intendunt, stante etiam pede erunt occidendi, si eo illa possit impediri, & vel aliter coërceri nequeat.

Hinc etiam plerisque legibus militaribus, hoc cuivis concessum est, ut fugientem ex acie in ipso actu impune occidere possit. Quarum patrias saltem adducere liceat (§. *60. Artic. Hass. 1689. &* §. *13. Artic. 1753.*). Hoc vero in aliis etiam delictis obtinere debere, ex quibus damnum irreparabile oriri possit, si aliter nequeant coërceri, apparet. Uti v. gr. est abjectio armorum, recusatio pugnæ & in genere seditio militaris, præsertim si ea fiat in conspectu hostis. Quoniam vero idem in genere de omnibus delictis, quæ ita comparata sunt, ut eo, neque aliter, coerceri queant, demonstratum est (§. 966.): De quibuscunque in specie illud deducere superfluum foret; Adeoque de fuga ex acie id ostendisse, sufficiat.

§. 968.

Si miles desertioni aliud crimen adjungat, gravius puniendus est, quam si illa absque eodem fieret. *Desertio aggravatur alio delicto.*

Cum ea, quæ cum re simul fiunt extra eandem, cum ea tamen connectuntur, circumstantiæ ejusdem dicantur (*def.* §. *567.*); Hic vero cum desertione aliud simul crimen committi ponatur (*per hypoth.*): Hoc ad circumstantias delicti desertionis pertinet. Per delicta vero damnum inferri constat (§. *581. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Si itaque desertioni aliud crimen adjungatur, plus damni infertur, quam si illa absque hoc committeretur. Quamobrem cum milites gravius puniri debeant, si ex circumstantiis, sub quibus delinquunt, eveniat nocumentum, vel immineat periculum majus (§. 930.): Miles etiam gravius erit puniendus, si desertioni aliud crimen adjungat, quam si absque eadem illa fieret.

Cum circumstantiæ, propter quas pœnæ militum graviores redduntur, aggravantia pœnarum dicantur (§. 928.): Ad aggravantia pœnæ desertionis

tionis hoc pertinere apparet. Ipso etiam jure civili illud statutum legimus (*l. 5. §. 2. ff. de Re milit.*). Facile autem apparet, hoc saltem intelligi, si pœna desertionis simplicis talis ponatur, qua gravior datur. Quodsi enim desertio ea sit, quæ capite plecti debeat: Cum capitalis pœna gravissima reputetur, desertionis pœnam aggravari non posse, licet illi aliud crimen adjungatur, patet. Nisi forsan augmenta pœnarum capitalium, quæ dicuntur (*§. 610. loc. cit.*), adhibeantur. Quod vero circa desertionem fieri non facile solet.

§. 969.

Si fiat cum ablatione armorum & vestitus.

Quare cum miles desertor, si arma vel vestitum, & in genere res in usum belli ipsi saltem suppeditatas secum abripiat, furtum simul committat (§. 634.); Furtum vero delictum sit (*per not.*): *Miles desertor gravius erit puniendus, si vestitum & arma, aut alia quæcunque, in usum saltem belli ipsi suppeditata, secum auferat.*

§. 970.

Aut cum derelictione stationis.

Similiter, cum desertio aggravetur, si fiat cum derelictione stationis (§. 645.); Aggravantia vero delictorum aggravent etiam pœnam (§. 929.): *Miles, qui a statione deserit, gravius puniendus est simplice desertore.*

Desertionem simplicem dici, quæ cum circumstantiis nullis aggravantibus conjuncta est, in transitu saltem monemus: Cum per se jam intelligatur. Et cum desertio stationis per se capite plecti possit (§. 963.); Illud etiam ipso jure civili (*l. 10. princ. ff. de Re milit.*), & legibus militaribus plerisque statutum sit: Desertori eo magis pœna capitalis imponi poterit, si a statione simul discesserit. Non omnem vero discessum a statione cum desertione necessario connexum esse, apparet. Fieri enim potest, ut miles a statione discedens ad suos revertatur, nec simul militiam deserat.

§. 971.

Aut cum transcensione muri vel valli.

Itidem cum transcensio muri vel valli, quæ fit urbis vel munimenti egrediendi vel ingrediendi causa, delictum sit (§. 759.). Miles vero, qui desertioni aliud crimen adjungit, gravius puniri debeat (§. 968.): *Pœna desertionis etiam aggravatur, si hæc fiat cum muri aut valli transcensione.*

Cum transcensio muri vel valli per se jam habeatur pro crimine capitali (*§. 10. Inst. & l. fin. ff. de Rer. div. & l. 3. §. 17. de Re mil.*); Multo magis desertio pœna capitis plecti poterit, si cum illa fiat. Plerisque vero legibus positivis non indistincte pœna capitalis, sed vel corporis afflictiva saltem statuta est. Et cum delicta militum in specie mitius punienda sint pacis, quam belli tempore (§. 948.); Posteriori vero potissimum

tissimum intersit, ne muri aut valla transcendantur, cum ad arcendum hostem tendant: Delictum hoc belli potius, quam pacis tempore capite erit puniendum.

§. 972.

Transfugium militis ad hostem pœna capitali puniri debet. *Transfugium quomodo puniendum.*

Transfugium enim militis ad hostem non desertionem modo (§. 591.), sed & perduellionem involvit (§. 592.); Propterea que crimen gravissimum est (§. 593.). Quare cum desertio sola capite plecti possit (§. 963.); Ejusdem pœna vero aggravetur, si cum alio delicto sit conjuncta (§. 968.); Et crimen perduellionis etiam gravissimis pœnis coërcendum sit (*§. 1053. Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet, quod transfugium militis ad hostem pœna capitali potissimum plectendum sit.

Hinc etiam jure civili adeo severe in transfugas animadversum est, ut licet pœnitentia ducti redeant, nihilominus torqueri, ad bestiasque vel in furcam damnari debuerint (*l. 3. §. 10. ff. de Re milit.*). Quod vero austerum nimis visum fuit Imperatori LEONI, adeoque eo mutatum, ut si transfuga revertatur, prima vice veniam consequatur, secunda in tricennalem, & tertia in perpetuam ac æternam servitutem detrudatur; Deprehensus vero morte puniatur (*Nov. 67.*). Ut is, qui *volens* transfugere adprehensus, capite puniatur, statutum quidem etiam invenitur (*l. 11. ff. de Re milit.*). Cum vero delicta non solo animo committantur (§. 664.): Hoc etiam non de proposito saltem transfugiendi, sed de ipso attentato, seu potius delicto in flagranti erit intelligendum (§. 686.).

§. 973.

Ut desertio, si pœna capitali plecti debeat, suspendio puniatur, maxime convenit. *Desertio suspendio punienda.*

Desertio enim delictum maxime infame est (§. 590.); Adeoque famæ eandem præsertim nocere apparet. Cum itaque delicta militum & militaria in specie, quæ famæ potissimum nocent, infamia puniri, sive pœna infami plecti conveniat (§. 953.): Idem de desertione obtinet. Desertio vero pœna etiam capitali plecti potest (§. 963.). Quare cum suspendium sit pœna capitalis infamis maxime usitata, quæ & militibus imponitur (*per hypoth.*): Patet, quod si desertio capite debeat puniri, illud suspendio fieri, conveniat.

Suspendium etiam esse pœnam desertorum consuetam & ubivis fere receptam, res notissima est. Infamia vero hujus delicti potissimum ex eo venit, quod perfidiam & perjurium simul involvat (§. 589.). Uti ex demonstratione §. 590. intelligitur.

§. 974.

§. 974.

Corpora suspensorum an tollenda. *Ut corpora militum, in specie desertorum, suspensa tollantur & sepeliantur, juris naturæ non est, sed ad favorem militiæ referendum.*

Cum enim ipso jure naturæ cadavera supplicium ultimum passorum insepulta in conspectu publico relinqui possint (§. 669. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.); In militia vero non appareat ratio specialis, cur militum suspensorum corpora insepulta non debeant relinqui, sed tolli & sepeliri (*per hypoth.*): Nec necesse est, ut hoc fiat. Cum tamen fieri soleat (*per hyp.*): Illud jure naturæ requiri, non apparet. *Q. e. 1.*

Cum vero corpora paganorum suspensa in patibulo relinqui, neque tolli & sepeliri soleant (*per hyp.*); Sepultura vero inter jura referenda sit (§. 768. *Part. 6. loc. cit.*): Militibus in eo conceditur jus, quod paganis non competit; Adeoque privilegium (§. 853. *Part. 8. loc. cit.*). Illud autem juris naturæ non est, neque ejus in militia ratio datur specialis (*per dem. 1.*). Quare cum privilegia, quæ rationem necessariam in militia non habent, ad favorem militum referenda sint (§. 383.): Eo etiam referri debet, quod corpora militum in specie desertorum suspensorum tollantur & sepeliantur. *Q. e. 2.*

Quæstionem: An desertor suspensus in patibulo relinquendus sit, movet quidem, non æque vero decidit IO. IOACH. SCHOEPFER (§. 96. *seqq. Cap. Diss. de Mil. des.*): Licet in eorum partes tandem transeat, qui insepulta corpora relinqui posse, tuentur. Cum illud jure naturæ neque præcipiatur, neque prohibeatur, sed permittatur saltem (§. 669. *cit.*): Ea vero, quæ naturaliter circa milites in specie neque præcipiuntur, neque prohibentur, sed tantum permittuntur, pro arbitrio determinari queant (§. 106.): Patet, quod hoc etiam ab arbitrio principis dependeat, quod pro circumstantiis erit determinandum. Quodsi enim plures sint, qui supplicio simul dantur; Adeoque ex putredine tot corporum, calidiori præsertim anni tempore, infectio aëris, quæ sanitati nocere posset, metuatur: Ratio sine dubio adest, ut sepeliantur potius, quam insepulta relinquantur.

§. 975.

Injuste coactus non puniendus si discedat. *Si miles, qui ad militiam injuste fuit coactus, ab ea discedat, puniri nequit, & multo minus poena desertionis affici, nisi postea in militiam expresse vel tacite consenserit.*

Miles enim, qui ad militiam injuste fuit coactus, si discedat, sive eam deserat, non delinquit, neque pro desertore, quoad effectum scilicet pœnæ, haberi potest (§. 579.). Quare cum pœnæ supponant delicta (*per dem.* §. 761.); Adeoque puniri nequeat, nisi qui deliquit, & pœ-

& pœna præſertim in delictum quoddam ſtatuta nequeat affici, niſi qui idem commiſit: Patet etiam, quod miles injuſte ad militiam coactus, ſi ab ea diſcedat, puniri nequeat & multo minus pœna deſertionis affici poſſit. *Q. e. 1.*

Cum vero injuſte coactus amplius dicendus non ſit, qui in militiam poſtea expreſſe vel tacite conſentit; Sed talis potius utique delinquat & pro deſertore habeatur, ſi a militia invito auctore belli diſcedat (§. 580. 581.): Patet, quod ad hoc, ut injuſte coactus, ſi diſcedat, puniri nequeat, requiratur, eum poſtea in militiam neque expreſſe neque tacite conſenſiſſe. *Q. e. 2.*

Pluribus hoc explicatur §§. allegatis, & præſertim etiam oſtendimus, nullum ex hac theſi rei militari præjudicium metuendum eſſe (*ſchol.* 579.). Cum injuſte coactus dici non poſſit, niſi miles conductitius, neutiquam lectus: Hic demonſtrata cadere etiam nequeunt, niſi in militem conductitium; Uti §. ſeq. 978. evincetur.

§. 976.

Si dubium ſit, an miles, qui a militia diſcedit, ad eandem injuſte fuerit coactus: Ille tamen pœnæ deſertionis ordinaria affici nequit; Sed vel plane non, vel arbitrarie ſaltem puniendus eſt. *Aut arbitrarie ſaltem.*

Quodſi enim miles, qui a militia diſcedit, injuſte ad eam fuerit coactus, nulla plane & multo magis pœna deſertionis ordinaria affici poterit (§. 975.). Cum vero miles injuſte ad militiam coactus, ſi ab ea diſcedat, non delinquat, & multo minus pro deſertore haberi poſſit (§. 579.); Si dubium ſit, an miles injuſte fuerit coactus: Dubium quoque eſt, an deliquerit, & deſertionis præciſe delictum commiſerit. Cum autem, ſi dubium ſit, an miles præciſe delictum illud commiſerit, in quod pœna quædam lege ſtatuta eſt, hac, adeoque ordinaria affici nequeat (§. 944.): Nec pœna deſertionis ordinaria affici poterit miles, a militia diſcedens, ſi dubium ſit, an injuſte ad eandem fuerit coactus. Quare cum miles, ſi delinquat, pœna vero ordinaria locum non habeat, extraordinaria ſive arbitraria puniendus ſit (§. 946.): Si dubium ſit, an miles, qui a militia diſceſſit, injuſte ad eam fuerit coactus: Ille pœna deſertionis ordinaria affici nequit; Sed vel plane non; Vel, ſi deliquiſſe tamen videatur, arbitrarie ſaltem, pro arbitrio nempe judicis, puniendus erit.

§. 977.

Si deſertor ſit miles lectus: A pœna deſertionis vel plane vel ab ordinaria ſaltem non liberatur; Etiamſi fuerit coactus ad militiam. *Miles lectus coactus non liberatur.*

Qui enim miles legi poteſt, cogi etiam poteſt ad militiam, ſi nempe illam recuſet (§. 43.). Quamobrem cum nihil fiat contra jus ejus, qui cogi poteſt, ſi cogatur; Adeoque injuſte coactus dici nequeat, quem cogere jus eſt (§. *239. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Quamprimum conſtat, deſertorem eſſe militem lectum, conſtat etiam, illum injuſte ad militiam coactum non eſſe. Quamobrem cum miles, qui a militia diſcedit, tunc demum a pœna deſertionis vel plane (§. 975.), vel ordinaria ſaltem liberetur, ſi injuſte ſit coactus, vel ſaltem dubium hoc ſit (§. 976.): Patet, quod a pœna deſertionis vel plane vel ordinaria ſaltem non liberetur miles deſertor, licet ad militiam fuerit coactus, ſi ſit miles lectus.

§. 978.

Non niſi conductitius.

A pœna itaque deſertionis ſive in totum, ſive ordinaria ſaltem, propterea, quod injuſte ſit coactus ad militiam, liberari nequit, niſi miles conductitius.

Milites enim conductitii ad militiam cogi nequeunt (§. 44.). Quodſi itaque nihiloſecius actu cogantur: Contra jus eorum perfectum agi, apparet. Quamobrem cum injuſtum dicatur, quicquid fit contra jus alterius perfectum (§. *239. cit.*): Si miles conductitius ad militiam cogatur, illud injuſte fieri apparet. Cum vero milites aut lecti ſint aut conductitii (§. 22.); Lectus vero, etiamſi cogatur, injuſte tamen coactus dici nequeat (*per dem.* §. 977.): Injuſte coactus dici nequit, niſi miles conductitius. Quare cum miles, qui a militia diſcedit, tunc demum a pœna deſertionis vel plane (§. 975.), vel ordinaria ſaltem liberetur, ſi injuſte fuerit coactus (§. 976.): Patet, quod nec propterea, quod injuſte coactus fuerit ad militiam, a pœna deſertionis vel in totum, vel ordinaria ſaltem liberari poſſit miles, qui diſcedit, niſi conductitius.

§. 979.

Non ſubditus, caſu neceſſitatis ſuperveniente.

Etſi ſubditus extra caſum neceſſitatis injuſte coactus ſit ad militiam: Illo tamen ſuperveniente, ſi a militia diſcedat, propterea a pœna deſertionis non liberatur.

Subditus enim, qui extra caſum neceſſitatis injuſte licet ad militiam fuit coactus, ſi caſus iſte ſupervenerit, delinquit & pro deſertore recte habetur, ſi invito auctore belli a militia diſcedat (§. 58[illegible]). Quoniam itaque miles injuſte coactus ad militiam, ſi ab ea diſcedat, propterea non poſſit puniri, ſeu pœna deſertionis affici, quoniam non delinquit, nec

nec pro desertore haberi potest (*per dem.* §. 975.): Patet, quod subditus, qui extra casum necessitatis injuste licet coactus fuit ad militiam, si illo superveniente ab ea discedat, a pœna desertionis propterea non liberetur, quod injuste fuerit coactus.

Aliter.

Cum principia, quæ ad demonstrandum hic fuerunt adhibita, admodum sint remota & plura supponant: Evidentiori forsan idem hoc ostenditur modo.

Subditi in casu necessitatis ad militiam cogi possunt, si illam amplecti recusent (§. 41.); Extra eum casum vero non æque (§. 45.). Quodsi itaque extra casum necessitatis subditus ad militiam cogatur: Eundem injuste coactum esse apparet (§. 239. *Part. I. Phil. pr. un.* WOLF.); Adeoque ad militiam non fit obligatus (§. 46.). Si vero casus necessitatis superveniat, subditus antea injuste coactus utique eo redditur obligatus (§. 50); Atque idem est, ac si antea coactus non fuerit (*per dem. ibid.*). Quare cum miles injuste demum coactus, si discedat a militia, a pœna desertionis propterea liberetur (§. 975.): Liberari propterea nequit subditus ab eadem, quod injuste ad militiam sit coactus, si casus necessitatis supervenerit.

Cum in casu necessitatis milites legi possint subditi (§. 23.): Subditus, qui extra eum conductus saltem, & vel injuste coactus est, illo superveniente legi poterit, adeoque miles lectus fit. Quamobrem cum miles lectus propterea a pœna desertionis non liberetur, quod coactus fuerit (§. 977.): Nec subditus liberabitur, qui antea ad militiam fuit coactus, si casus necessitatis supervenerit.

§. 980.

Quamobrem cum milites ad bellum gerendum necessarii sint (§ 17.); Adeoque facile appareat, casum necessitatis, quo nempe subditi legi possunt milites, existere, si bellum actu geratur; Casu vero illo superveniente propterea non liberetur a pœna desertionis subditus, quod antea injuste fuerit coactus ad militiam, si tunc demum ab ea discedat (§. 979.): *Nec miles subditus, si in ipso bello deserat, propterea liberatur a pœna desertionis, quod antea extra casum necessitatis, adeoque injuste, coactus fuerit ad militiam.* *Nec si in bello deserat.*

Ita quidem satis restringi videbitur exemtio a pœna vel omni, vel ordinaria saltem, quam milites desertores propterea sibi vindicare possent, quod ad militiam fuerint coacti. Monuimus etiam jam supra, quod positis omnibus limitationibus, uti poni debent, non facile eveniet casus, quo miles injuste licet ad militiam coactus, absque delicto

eam deserere possit (*schol.* §. 582.). Adeoque nec propterea pœnam facile effugere poterit. Quod in gratiam eorum adjicimus, qui forsan putarent, ea, quæ hactenus fuerunt demonstrata, militibus desertoribus patrocinari. Potius enim illis omnis eo tollitur excusatio, quam rem intimius non inspicientes alias militibus a coactione injusta conciliare student: Cum hæc arctis admodum limitibus circumscribatur, ut pro injusta tempore desertionis adhuc haberi non possit, licet eam antea vis injustæ macula laborasse, negari nequeat.

§. 981.

Pœna desertionis cessat obligatione sublata.

Si obligatio militis ad militiam fuerit sublata; Sive: *Si miles ad militiam amplius non obligetur: Pœna desertionis affici non potest, si ab ea discedat.*

Ut enim desertio sit delictum, eadem obligationem ad militiam supponit (§. 578.). Quodsi itaque obligatio hæc militis fuerit sublata: Delictum desertionis amplius ab ipso non potest committi. Quamobrem cum ad id, ut miles pœna in delictum quoddam statuta afficiatur, opus sit, imo certum constare debeat, eundem illud delictum commisisse (§. 943.): Patet, quod si miles amplius ad militiam non sit obligatus, nec pœna desertionis affici possit, si ab ea discedat.

§. 982.

Ut & in soluto a militia.

Hinc cum facile intelligatur, quod is, qui a militia solvitur, ad eam amplius non obligetur (*dem.* §. 511.); Miles vero, qui ad militiam amplius non obligatur, pœna desertionis nequeat affici, si discedat (§. 981.); *Miles* etiam, *qui a militia solvitur*, *pœna desertionis affici nequit*, *si*, *invito licet auctore belli*, *discedat.*

Militiam etiam proprie deserere, sive ab ea discedere dici nequit, qui ad eam non obligatur, seu eadem solvitur. Relinquere enim quis non potest, quod non habet.

§. 983.

Item si militi non præstentur debita.

Si militi non præstentur ea, *quæ ipsi debentur*, *& licet de eo debito modo conquestus sit*, *remedium non afferatur: Is, si a militia discedat, puniri*, *& præsertim pœna desertionis affici nequit.*

Militibus enim ab auctore belli præstari debent ea, sine quibus obligationibus suis nequeunt satisfacere (§. 338.). Quare cum jus ex obligatione oriatur (§. 23. *Part. 1. Jur. nat.* WOLF.): Jus hoc militum, ut nempe ipsis eadem præstentur, obligationem in auctore belli supponit. Quodsi itaque militi non præstentur ea, quæ ipsi debentur, auctor belli obligationi suæ non satisfacit. Inter auctorem belli vero & milites

milites pactum, & tacitum saltem (*schol.* §. *40.*), intercedit (§. 51.). Quare cum, si duorum paciscentium unus non præstet, quod debet, nec alter ad præstandum, quod vicissim debet, obligetur (§. *827. Part. 3. loc. cit.*); Obligatio vero militum mutua generalis sit ad militiam præstandam (§. 131.): Nec milites in eo casu ad militiam amplius obligantur; Neque adeo obligationi suæ adversantur, si a militia discedant; Nec delinquunt (§. 540.). Quare cum miles, qui ad militiam amplius non obligatur, pœna desertionis nequeat affici, si discedat (§. 981.); Miles vero, qui non delinquit, nec puniendus sit (*per dem.* §. *761.*): Patet, quod miles, cui ea non præstantur, quæ ipsi debentur, neque puniri, neque præsertim desertionis pœna affici possit. *Q. e. 1.*

Cum vero ea, quæ militibus debentur, non immediate ipsis præstari soleant ab auctore belli, sed ab aliis, quibus hic illud commisit, veluti præfectis (*per hypoth*); Hi vero imperio aliorum (§. 201.), & vel auctoris belli subsint (§. 205.); Non statim dici potest, quod auctor belli obligationi suæ non satisfaciat, si militi ea non præstentur, quæ ipsi debentur. Quare cum in hoc casu milites exigere possint, ut vi adigantur, qui ipsis non præstant, quæ debentur (§. 362.): Quin etiam ad prius de eo conquerendum obligentur, & querelis eorum medela prius recusari debeat, dubitari nequit, antequam ab obligatione sua reciproca solvantur. Quamobrem cum propterea miles, cui ea non præstantur, quæ debentur, a pœna desertionis liberetur, quod ad militiam amplius non obligetur (*per dem. n 1.*): Patet, quod hoc intelligi non debeat, quam si debito modo conquestus sit antea, remedium autem non allatum. *Q. e. 2.*

Non vero requiri posse a militibus, ut querelas suas ad ipsum usque auctorem belli deferant: Cum nec hic semper adsit; Sed sufficere debere apparet, si vel saltem conquerantur apud eos, quibus subsunt ii, qui ipsis non præstant, quæ debentur. Et, ut decenti etiam modo id faciant, requiritur. Cum alias si v. gr. stipendium vociferentur, in delictum incidant (§. 747.).

§. 984.

Aut non serventur promissa.

Hinc *si militi non serventur ea, quae ipsi promissa sunt: Is, si, desuper motis, sed non auditis querelis, discedat, non puniri & multo minus desertionis pœna affici poterit.*

Ad ea enim, quæ promissa sunt, obligatur promissor promissario (§. *363. Part. 3. Jur. nat. WOLF.*). Cum itaque ea, ad quæ quis obli-

gatur, debita dicantur (§. 170. *Part. 1. Phil. pract. univ. ej.*): Ea quæ cuiquam promissa sunt, eidem deberi apparet. Quamobrem cum promissum servari dicatur, si præstetur, quod se præstiturum quis affirmavit (§. 430. *Part. 3. cit.*); Promissa vero servanda sint (§. 431. *ibid.*): Si promissa non serventur militi, ea, quæ ipsi debentur, non præstari, apparet. Quare cum si militi ea non præstentur, quæ ipsi debentur, & licet, si debito modo de eo conqueratur, remedium non afferatur, puniri & multo minus desertionis pœna affici possit, si discedat (§. 983.): Patet, quod idem in eo casu obtineat, si militi non serventur ea, quæ ipsi promissa sunt.

§. 985.

Licet querelas non moverit.

Quodsi vero miles, cui non præstantur, quæ ipsi debentur, aut non servantur, quæ promissa sunt, absque querelis antea motis discedat: Pœna quidem, non vero desertionis ordinaria, affici poterit.

Cum in milite, cui ea non præstantur, quæ debentur, adeoque & non servantur, quæ promissa sunt (*dem.* §. 984.), cesset obligatio ad militiam (*dem.* §. 983. *n. 1.*); Cessante vero hac obligatione, miles, qui discedit, pœna desertionis affici non possit (§. 981.): Nec pœna desertionis locum habere potest in milite, cui ea non præstantur, quæ ipsi debentur, aut promissa non servantur. *Q. e. 1.*

Cum vero talis antea debito modo conqueri debeat (*dem.* §. 983. *n.* 2.): Si absque querelis motis discedit, obligationi suæ non satisfacit (§. 536.). Quamobrem cum miles, qui obligationi suæ non satisfacit, delinquat (§. 540.): Miles, cui debita non præstantur, seu promissa non servantur, si absque querelis motis discedet, delinquit. Cum itaque in delicta militum pœnæ statuendæ sint (§. 761.), seu, quod idem est, milites delinquentes puniri debeant: Patet etiam, quod licet miles, cui debita non præstantur, aut promissa servantur, si absque querelis motis discedat, pœna desertionis ordinaria affici nequeat (*per dem. n. 1.*), puniri tamen debeat. *Q. e. 2.*

Fieri enim potest, ut miles vel debitum modum querelas proponendi ignoret, vel metu pœnæ deterreatur ab iis proponendis: Cum in eorum prolationem, præsertim si in modo forsan peccetur, severe admodum plerumque soleat animadverti; Et, adducente SCHOEPFERO, militibus vix integrum sit, injurias sibi illatas publice profitendi (§. 36. *Cap. 3. Diss. de Milite desertore*).

§. 986.

§. 986.

Cum itaque miles, cui debita non præstantur, aut promissa non servantur, si absque querelis motis discedat, pœna quidem desertionis ordinaria affici nequeat (*per dem.* §. *985. n. 1.*), attamen delinquat (*ibid. n. 2.*); Miles, vero qui delinquit; Pœna tamen ordinaria affici nequit, extraordinaria sive arbitraria plecti debeat (§. 946.): *Miles, cui debita non fuere præstita, aut promissa non servata, si absque querelis desuper motis discedat a militia, sive deserat eandem, arbitrarie puniendus est.* *Arbitrarie tamen puniendus.*

§. 987.

Si miles ad certum tempus capitulatus, illo elapso, & dimissione rogata, non vero impetrata, seu denegata, discedat, puniri nequit, & multo minus pœna desertionis affici. *Si ultra tempus retineatur.*

Miles enim, qui ad certum tempus capitulatus est, si illo elapso, dimissione rogata, sed recusata, a militia discedit, proprie non delinquit, & multo minus pro desertore haberi potest (§. 586.). Quare cum puniri nequeat, nisi qui delinquit (*per dem.* §. *761.*), & præsertim pœna in delictum quoddam statuta affici, nisi qui hoc commiserit (§. 943.): Miles etiam, qui ad certum tempus capitulatus, eo elapso, venia rogata, sed denegata, discedit, puniri nequit, & multo minus desertionis pœna affici.

Cum miles, qui ad certum tempus capitulatus est, illo elapso non ultra retineri, sed dimitti debeat (§. 503.); Capitulatio vero contractus (§. 55.), adeoque & pactum (§. 53.); Consequenter illud fit ex promisso, quod nempe miles tempore capitulatione expresso debeat dimitti (*dem.* §. 51.): Facile patet, quod in eo casu, si talis non dimittatur, sed ultra retineatur, ipsi non præstetur, quod debetur, aut promissa non serventur. Quare cum in utroque casu miles pœnam, desertionis præsertim, effugiat (§. 983. 984.): Ex his etiam demonstratio peti poterit. Cum vero non obstante hoc militum jure, ut tempore elapso debeant dimitti, ad exigendam tamen dimissionem obligentur (§. 298.): Prius iisdem non præstari debita, aut servari promissa dici nequit, quam si dimissio rogata ipsis denegetur. Quamobrem cum & non nisi querelis desuper motis, & medela non allata a pœna demum absolvendus sit miles (§. 983. 984. *cit.*): Nec prius hoc in casu præsenti procedet, nisi dimissio rogata, militi vero recusata fuerit.

§. 988.

Si miles, qui ad certum tempus capitulatus est, illo elapso absque dimissione rogata discedit: Pœna quidem, non vero desertionis ordinaria afficiendus est. *Licet dimissionem non rogaverit.*

Miles

Miles enim, qui ad certum tempus capitulatus est, si illo elapso absque dimissionis rogatione discedat, delinquit quidem, proprie vero desertor non est (§. 585.); Neque adeo desertionem committit (§. 682.). Quamobrem licet in delicta militum pœnæ statuendæ sint (§. 761.); Pœna tamen in delictum quoddam in specie statuta plecti nequeat, nisi qui idem commisit (§. 943.): Patet, quod miles, qui ad certum tempus capitulatus est, si illo elapso absque dimissionis rogatione discedat, puniendus quidem sit, neutiquam vero pœna desertionis ordinaria affici possit.

Quod vero talis pro desertore haberi nequeat, neque adeo desertionem proprie committat: Exinde est, quod miles ad tempus certum capitulatus, si illud effluxerit, ad militiam amplius non obligetur (§. 502.); Absque obligatione vero ad militiam desertio non committatur (§. 578.). Quare nec talis invito auctore belli discedere proprie dicendus est: Cum hic dissentire nequeat, adeoque pro consentiente habendus sit (*per dem.* §. 585. *n.* 2.). Idem vero etiam ostendi posset ex iis, quæ §. 985. fuere demonstrata. Militi enim, qui tempore capitulationis elapso non dimittitur, non præstari, quæ debentur, aut servari promissa, ad §. præced. jam evicimus. Quemadmodum itaque miles, cui debita non præstantur, aut promissa non servantur, si absque querelis motis discedat, pœna quidem, non vero desertionis ordinaria puniendus est (§. *cit.*): Ita etiam de milite, qui tempore capitulationis elapso, absque dimissionis rogatione discedit, idem apparet. Cum proprie vero militi, cujus tempus elapsum est, debita non præstari, aut promissa non servari dici nequeat, nisi dimissio rogata ipsi fuerit denegata (*schol.* §. 987.): Illud potius ex alio principio magis evidenti, obligationis ad militiam nempe deficientis, deducendum visum fuit. Cum tamen legibus positivis statui possit, ut talis, qui absque dimissione rogata discedit, pro desertore habeatur (*schol.* §. 585.): Patet, quod in hoc casu pœna etiam desertionis ordinaria debeat plecti.

§. 989.

Arbitrarie tamen puniendus. Cum itaque miles, qui tempore capitulationis elapso sine dimissionis rogatione discedit, delinquat quidem (§. 585.); Adeoque puniendus sit; Pœna vero desertionis ordinaria affici nequeat (§. 988.); In eo vero casu, si miles delinquat, pœna tamen ordinaria plecti nequeat, arbitraria quadam puniri debeat (§. 946.): *Miles, qui ad certum tempus capitulatus illo elapso absque dimissione rogata discedit, arbitrarie saltem puniendus est.*

Itidem supponitur, ut ad §. præced. monuimus, lege positiva statutum non esse, ut talis pro desertore habeatur, adeoque & ordinaria desertionis pœna in eum animadverti debeat. Propter consensum enim, quem milites

militcs conductitii etiam, qui ad certum tantum tempus capitulantur, in leges militares & pœnas iisdem statutas, vel juramenti præstatione præbent (§. 155.), illis injuria non fit, si vel gravissima pœna, quæ statuitur, ipsis infligatur (§. 156.). Aliud vero est, an lege naturali consentiente quid statuatur.

§. 990.

Si miles in pace deserat, mitius puniendus est, quam si in bello. *Mitius, qui in pace deserit.*

Cum enim desertio delictum sit (§. 577.): Miles, qui deserit, militiam nempe, delinquit. Quare cum milites, qui pacis tempore delinquunt, æque quidem, mitius tamen puniendi sint, quam si belli tempore idem delictum committant (§. 948.): Idem etiam de milite, qui in pace deserit, apparet.

Id quod etiam juri civili romano consentaneum est. Statuit enim, quod miles, qui in pace deserit, si eques, gradu pellatur, si pedes, militiam mutet; Si vero in bello, capite puniatur (*l. 5. §. 1. ff. de Re milit*). Imo cum desertor haberi debeat, quisquis belli tempore aberit a signis (*l. 1. Cod. de Desertor.*): Desertionis delicto, adeoque & pœnæ, facilius belli quam pacis tempore locum concedi apparet. Si praxin hodiernam spectes: In desertores deprehensos absque respectu belli vel pacis ubivis fere pœna quidem capitis statuitur. Negari vero non poterit, quod eadem non ita facile executioni detur pacis, quam belli tempore, & vel ex gratia principis plerumque mitigetur. In pœna vero desertoribus ultro redeuntibus determinanda, cum ea non capitalis, sed corporis afflictiva saltem sit, utique respici solet, an tempore belli vel pace discesserint, ita, ut licet eodem pœnæ genere plectantur, gradus tamen admittantur, & vel temporis, quo v. gr. ad opus publicum condemnati esse debeant, ratio habeatur.

§. 991.

Si miles deserat, qui nondum juravit, mitius eundem puniri convenit. *Item, qui nondum juravit.*

Juramentum equidem novam obligationem non producit (§. 111.); Adeoque fortiter æque obligatur miles, si non juravit, quam si juraverit; Et hinc etiamsi obligationi huic deserendo militiam adversetur, æque delinquit (§. 540.), & in specie desertor est (§. 576.). Cum vero juramentum illud militare propterea potissimum sumi soleat a militibus, ut obligationis suæ majorem sensum habeant (*dem. §. 148*), quo itaque carent, si non jurent: Fieri facile poterit, ut miles, si nondum juraverit, obligationem suam non adeo credat fortem, neque tantum sibi delinquere persuadeat, quam juramento præstito. In hoc casu vero malitiam militis tantam non esse apparet, quam si juraverit, & eo

ipsi vinculum firmissimum impositum esse, agnoscat. Quamobrem cum in gravitate pœnæ determinanda ratio etiam habenda sit malitiæ (*§. 632. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Adeoque mitius puniendum sit delictum, quo minor ex ipso elucet malitia: Patet, quod licet juris stricti non sit, conveniat tamen, mitius puniri militem, qui juramento nondum præstito discedit.

Hoc vero supponit, moris esse, ut juramentum præstetur ab iis, qui militiæ nomen dant. Ubi enim illud plane non fueverit: Ibi etiam, cum juramentum novam obligationem non inducat (§. 151.), ratio non adest, cur mitius puniri debeant desertores, quam alibi, ubi juramentum in necessitatem fere abiit. Hinc etiam videmus, ut Batavorum jure militari æque pœna capitis in desertores, & vel in attentantes, vel apparentes solum statuta sit (*§. 16. 21. 24. & aliis des Holland. Kriegsrechts von* 1590.). Licet apud eosdem juramentum militare non obtineat.

§. 992.

Desertio iterata gravius punienda. *Desertio iterata gravius punienda est, quam si prima saltem vice fuerit commissa.*

Cum enim desertio delictum sit (§. 577.): Miles, qui iterata vice deserit, delictum idem iterato committit. Quamobrem cum miles, si vice repetita delinquat, inprimis vero idem delictum committat, gravius puniendus sit, quam si prima saltem (§. 938.): Idem etiam de desertore, & adeo apparet, desertionem iteratam gravius esse puniendam, quam si eadem prima saltem vice committatur.

Hoc tamen non obstat, quo minus desertio prima vice commissa, capite statim puniatur: Desertio enim tantum delictum est, ut in eam simpliciter pœna capitalis statui possit (§. 963.). Supponitur itaque desertionem talem non esse, quæ capite plecti posset, sed propter circumstantias mitiorem pœnam mereri. Et in eo casu utique circa desertionem iteratam gravior & vel capitalis obtinebit, quæ in prima locum non inveniret. Jure romano idem constitutum invenimus: Cum desertor alibi, quam in urbe, deprehensus, ex prima desertione restitui potuerit, iterum deserendo vero capite puniendus fuerit (*l. 5. §. 3. ff. de Re milit.*).

§. 993.

Mitius desertor, qui revertitur. *Si desertor ultro, sive sponte sua, revertatur, mitius puniri debet, quam si capiatur.*

Desertio enim in discessu a militia consistit (§. 576.). Quare cum eadem delictum sit (§. 577.): Quamdiu absens manet miles desertor, tamdiu delictum desertionis continuatur. Quodsi vero desertor sponte revertatur: Etsi vere deliquerit; Delictum tamen porro se continuare nolle,

nolle, & animum delinquendi depositurum esse, eo testatur. Si vero desertor sponte non revertatur, sed capiatur: In delicto perseverat, neque animum delinquendi deposuisse, dici poterit. In priori itaque casu spem emendationis adesse, in posteriori vero abesse, facile apparet. Quamobrem cum miles delinquens, si in ipso spes sit emendationis, mitius puniri debeat, quam si spes ista desit (§. 934.): Patet etiam, quod desertor, si ultro sive sponte sua revertatur, mitius puniri debeat, quam si capiatur.

In eo etiam omnes consentire videntur leges militares, ut mitius puniatur desertor ultro reversus, quam captus, & ipsum etiam jus romanum (*l. 5. princ. & §. 4. ff. de Re milit.*).

§. 994.

Desertor vero ultro reversus, pro temporis, quo abfuit, spatio, puniendus est. *Pro tempore absentiæ.*

Desertor enim, qui diutius abest, majorem in delicto perseverandi animum prodit, quam qui brevius. Minorem itaque etiam emendationis spem præ se fert ille, quam hic. Id quod vel absque ulteriori demonstratione cuivis facile probabitur. Cum vero miles propter spem emendationis mitius puniri debeat (§. 934.): Mitius puniendus erit miles, in quo spes emendationis major est; Gravius vero, in quo minor. Quamobrem cum desertor, qui diutius abest, minorem præbeat spem emendationis, majorem vero, qui brevius (*per super.*); Adeoque longius vel brevius tempus, quo desertor ultro reversus abfuit, pœnam graviorem aut mitiorem efficiat: Patet, quod desertor ultro reversus, pro temporis, quo abfuit, spatio puniendus sit.

Hoc itidem praxi militari convenit, & nonnunquam etiam ipsis legibus militaribus statui solet. Sic articulis Hassiacis, qui anno superiore 1753. aucti prodierunt, constitutum est, ut qui ante annum revertitur, decursione saltem per vites; Qui vero diutius emanet, opere publico puniatur (§. 59.). Imo jure etiam romano temporis, quo quis in desertione fuit, ratio habenda est (*l. 5. princ. ff. de Re militari.*). Et qui post quinquennium demum se obtulit, deportatus fuit (*l. 13. §. 6. ibid.*).

§. 995.

Pœna desertoris sponte reversi capitalis esse nequit. *Non capite.*

Desertor enim ultro reversus mitius propterea puniendus est, quoniam in ipso spes emendationis deprehenditur (*per dem. §. 993.*). Quamobrem cum miles delinquens, si in ipso emendationem liceat sperare, pœna emendatrice puniri debeat, & potius saltem, quam si spe ista destitua-

ſtituatur (§. 934.): Deſertor ultro reverſus pœna etiam emendatrice puniendus erit. Cum itaque pœnæ militum emendatrices nequeant eſſe capitales (§. 933.): Nec pœna deſertoris ſponte reverſi eadem eſſe poterit.

In transfuga quidem redeunte aliud ſtatutum eſt jure romano (*l.* 3. §. 10. *loc. cit.*). Quod vero reipublicæ magnopere nocumento eſſe, magnamque rationum ad ſalutem iter monſtrantium contrarietatem gignere, adeoque abrogandum viſum fuit Imperatori LEONI. Cujus quidem optimam addit rationem, ſimplicibus etiam deſertoribus applicandam. *Neceſſitatem enim*, inquit, *transfugis inducit, ne unquam recordentur ſuorum, neque revertendi in patriam concipiant deſiderium. Nullus eſt enim omnium, qui cum ſe iſtiusmodi pœna excipiendum ſciat, inter hoſtes vivere, quam tam acerbam in patria mortem ſubire non malit.* Et: *Eum, qui delinquit, deindeque ſuapte ſponte ad medendum delicto reſipiſcit, tam acerbe puniri, quomodo non eſt iniquum* (*Nov. Leon.* 67.).

§. 996.

Quando pœna infami.

Si deſertoris ſponte reverſi nomen patibulo jam ſit affixum, eum pœna infami plecti convenit.

Cum enim nominis ad patibulum affixio ſit pœna infamiæ (§. 848.), adeoque infamis (§. 846.); Miles vero, qui pœnam infamiæ patitur (§. 808.), ſeu pœna infami afficitur, infamis fiat (§. 849.): Deſertor, cujus nomen patibulo affixum eſt, infamis eſt. Cum itaque miles, infamis factus in communione vel ſocietate cum aliis eſſe nequeat, qui nempe integra fama gaudent (§. 810.); Si deſertori tali ſponte reverſo pœna infligenda eſt, per eandem in communionem vel ſocietatem cum aliis venire non debet, qui ſunt integræ famæ. Quemadmodum itaque pœnam infamem inferri non convenit, niſi a perſona infami (§. 851.): Ita etiam facile apparet, quod tali pœnam infligi non conveniat, niſi a perſona infami, ſive ſi ejusdem inflictio actu quodam corporali non egeat, eundem ſaltem in communionem vel ſocietatem aliorum, quam infamium, venire non debere. Quamobrem cum facile eluceſcat, pœnam, quæ a perſona infligitur, vel per quam quis in ſocietatem infamium redigitur, infamem eſſe (§. 851. & *per not.*): Patet etiam, quod deſertorem ultro reverſum, cujus nomen patibulo jam affixum eſt, pœna infami plecti conveniat.

Et ſane, ſi non daretur modus, infami famam reſtituendi: Non conveniret modo, ſed aliter fieri non poſſet, quam ut deſertor talis pœna infami plecteretur. Cum vero famam reſtitui poſſe conſtet, & mox etiam oſtendetur; Adeoque & deſertori ejusmodi infami fama antea queat reſtitui, quam pœna afficiatur: Ratio quidem neceſſitatis non adeſt, ut infami plectatur; Convenire tamen, ex demonſtratis apparebit. Et hoc eo magis

magis, quia desertor ultro reversus, pro temporis, quo abfuit, spatio puniendus sit (§. 994.). Quodsi enim tamdiu in desertione perseveraverit, ut nomen ejus insuper patibulo fuerit affixum: Imputet sibi, quod eo infamiam sibi contraxerit. Et cum ante nominis affixionem citari & ad revertendum invitari soleant desertores absentes (*per hypoth.*): Majorem hoc etiam prodit malitiam & delinquendi perseverantiam in iis, qui huic invitationi non obtemperant, & eo mitiorem sibi pœnam conciliare student.

§. 997.

Desertor sponte reversus, cujus nomen patibulo jam affixum est, apud commentariensem carcere detineri non convenit. *Apud commentariensem quando non incarcerandus.*

Cum milites, antequam puniantur, carcere detinendi sint (§. 910.); Desertor vero sponte reversus, mitius licet, puniendus tamen sit (§. 993); Ipsum etiam antea carcere detinendum esse, apparet. Cum vero desertor, cujus nomen patibulo affixum est, infamis sit (*per dem.* §. *995.*); Infamem vero apud commentariensem carcere detineri non conveniat (§. 914.): Idem etiam nec circa illum convenire patet.

§. 998.

Pœna desertoris sponte reversi, nec infamis esse debet aut potest, nisi nomen ejus patibulo jam sit affixum. *Quando nec pœna infami plectendus.*

Desertor ultro reversus pœna emendatrice puniendus est (§. 995.). Cum itaque pœnæ militum emendatrices nec infames esse possint (§. 933.): Nec pœna desertoris ultro reversi infamis esse poterit. *Q. e. 1.*

Cum tamen conveniat, desertorem ultro licet reversum, si nomen ejus patibulo jam sit affixum, pœna infami affici (§. 996.); Et quod possit, imo debeat, satis appareat (*per dem. & schol. ibid.*): Patet, quod illud de desertore ultro reverso pœna infami non afficiendo eo sit restringendum, nisi nomen ejus patibulo jam sit affixum. *Q. e. 2.*

§. 999.

Desertor a patre oblatus, mitius puniendus est, quam si capiatur; Et pœna quidem emendatrice solum, adeoque non capitali, neque infami. *Mitius desertor a patre oblatus.*

Cum parentes obligentur ad liberos perficiendos, non vero perdendos (§. *637. & seqq. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Patrem, qui filium desertorem reducit, non ejus interitum, sed emendationem potius intendere, præsumendum est. Cum vero desertor deliquerit (§. 577.); Adeoque rempublicam læserit (*per dem.* §. *547.*): Reipublicæ etiam ad pœnam obligatur (§. *1071. Part. 1. loc. cit.*). Si itaque pater filium desertorem reducat, eo efficit, ut reipublicæ tribuatur, quod suum est;

 Adeo-

Adeoque de republica bene meretur. Quamobrem cum ob parentum merita in rempublicam liberis pœna remitti, & multo magis mitigari possit & debeat (§. 660. *Part. 8. loc. cit.*): Patet, quod desertor a patre oblatus mitius puniendus sit, quam si capiatur. *Q. e. 1.*

Cum vero pater per oblationem filii desertoris non interitum ejusdem, sed emendationem intendat (*per dem. n. 1.*); In determinanda vero pœna filii talis ad patrem respiciendum sit (*dem. ibi.l.*): Pœna etiam tali afficiendus est, per quam emendatio ejusdem potest obtineri. Quamobrem cum pœna, quæ alicui eo fine infligitur, ut animum delinquendi mutet, adeoque emendetur, emendatrix dicatur (*def. §. 931.*): Patet, quod desertor a patre oblatus pœna saltem emendatrice debeat plecti. *Q. e. 2.*

Et cum pœnæ emendatrices capitales aut infames esse nequeant (§. 933.): Nec tali quadam pœna eundem affici debere, statim simul patet. *Q. e. 3.*

Ex eo forsan etiam deduci posset, quoniam desertor a patre oblatus propter unitatem personæ, quæ quidem jure civili inter ipsos fingitur, pro reverso potius, quam capto debeat haberi. Ille vero mitius hoc puniendus sit (§. 993.). Et cum ex pœna infami, qualis & in desertore capitalis est (§. 973.), etiam in agnatos infamia quædam secundum falsam vulgi opinionem, redundet; Iniquum esset, cum simul infamia, aut ejus falsam opinione affici, qui suppresso affectu paterno se civem bonum præbuit. Jus romanum, quod idem sentit, hanc addit rationem, *ne videatur pater ad supplicium obtulisse* (*l. 13. §. 6. ff. de Re milit.*). Quæ quidem cum ea consentit, quam ab initio attulimus, quod nempe pater interitum filii eo intendere præsumi nequeat.

Hæc quidem potissimum ea sunt, quæ pro mitigatione pœnæ desertionis faciunt, quorum quidem plura adhuc adducuntur a SCHOEPFERO (§. 30. & *seqq. cap. 3. Diss. de Milite des.*). Inter quæ vero spuria etiam occurrere videntur, uti v. gr. si desertor alium substituat, si magna copia militum haberi possit (§. 44. 45. *loc. cit.*) & alia forsan.

§. 1000.

Qui e carcere fugit, desertor non est.

Miles, qui e carcere aufugit, pro desertore non habendus, & puniendus quidem propterea, non vero desertionis pœna afficiendus est.

Militem enim, qui e carcere aufugit, non animo militiam deserendi, sed metu pœnæ tantum discedere, apparet & hic supponitur (*per hypoth.*). Quare cum ad delictum desertionis requiratur, ut discessus militis fiat animo militiam deserendi (§. 668.): Miles, qui e carcere aufugit, desertionem non committit. Cum itaque pro desertore haberi non possit, nisi qui desertionem committit (§. 682.): Patet etiam, eundem pro desertore habendum non esse. *Q. e. 1.*

Cum

Cum vero ad id, ut quis pœna in delictum quoddam statuta afficiatur, necesse sit, eundem delictum illud commisisse (§. 943.); Miles vero, qui e carcere aufugit, non committat desertionem (*per dem. n. 1.*): Nec hunc pœna desertionis afficiendum esse apparet. *Q. e. 2.*

Denique cum miles vel in pœnam (§. 903.), vel pœnæ saltem imminentis gratia carcere detineatur (§. 910.); Pœnæ vero non nisi in delicta statuantur (*dem.* §. 761.): Militem, qui e carcere aufugit, deliquisse apparet. Cum vero delicto quolibet damnum detur, vel injuria inferatur (§. 580. *Part.* 8. *Jur. nat. WOLF.*), & quidem vel ipsi reipublicæ, vel privato saltem (§. 581. *ibid.*); Adeoque miles, qui aufugit e carcere, vel ipsam rempublicam, vel privatam saltem lædat: Illi etiam vel huic minimum ad pœnam obligatur (§. 1071. *Part.* 1. *loc. cit.*). Si itaque pœnæ vitandæ gratia aufugiat e carcere, obligationi huic adversatur. Quamobrem cum miles, qui obligationi suæ contraria agit, delinquat (§. 540.); In delicta vero militum pœnæ sint statuendæ (§. 761.): Militem, qui e carcere aufugit, propterea etiam puniendum esse apparet. *Q. e. 3.*

Huic admodum consentit jus romanum. *Ejus* enim *fugam, qui cum sub custodia vel in carcere esset, discesserit, in numero desertorum non computandum esse*, statuitur: *Quia custodiæ refuga, non militiæ desertor sit* (*l.* 13. §. 5. *ff. de Re milit.*). Adeo tamen severe in eundem animadvertit, ut eum, qui carcere effracto fugerit, etiamsi ante non deseruerit, capite puniendum, PAULUS scripserit (*loc. cit.*).

§. 1001.

Miles itaque, *delicti alicujus reus, gravius puniendus erit, si e carcere aufugiat, quam absque eo foret.* *Pœnam aggravat.*

Cum miles, qui carcere detinetur, pœnæ gratia detineatur (*per alleg.* §. 1000. *n.* 3.); Pœnæ vero non nisi in delicta statuantur (*per dem.* §. 761.): Militem, qui carcere detinetur, delicti jam reum esse, apparet. Quodsi vero e carcere aufugiat, denuo delinquit (*per dem.* §. 1000. *n.* 3.); Adeoque delicto illi, cujus gratia carcere inclusus fuit, aliud adhuc adjungit. Quamobrem cum miles gravius puniendus sit, si delicto uni aliud adjungat, quam absque hoc foret (*per dem.* §. 968.): Patet etiam, quod miles delicti cujusdam reus gravius sit puniendus, si e carcere aufugerit, quam absque eo foret.

Hæc etiam sententia juris romani esse videtur, dum statuit, eum, qui carcere effracto effugerit, capite puniendum esse, licet ante non deseruerit (*loc. ad* §. 1000. *cit.*); Adeoque licet pœna delicti, quod antea commisit, tanta non sit.

§. 1002.

§. 1002.

Ut & frequentia delicti. *Si desertio, vel in genere delictum militare quodcunque, frequens fiat, gravius in illam vel illud animadvertendum est.*

In genere enim si delictum atque crimen fuerit frequens, graviori illud pœna coercendum est (§. *629. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quamobrem cum facile intelligatur, delicta militaria esse delicta (§. 543.); Imo sint crimina (§. 547.); Et desertio præsertim delictum gravissimum sit (§. 588.), quod per se graviori jam pœna coercendum est (§. 925.): Patet etiam, quod desertio, vel delictum militare quodcunque, si frequens sit, gravius debeat puniri.

§. 1003.

Et desertionis præmeditatio. *Si desertio fuerit præmeditata, graviori pœna coercenda est, quam si ex impetu affectuum fiat.*

In genere enim, si delictum vel crimen fuerit præmeditatum, graviori pœna illud coercendum est, quam affectuum impetu susceptum (§. *631. loc. cit.*). Quare cum desertio delictum sit (*alleg.* §. *1002.*): Idem de hac statim apparet.

Et ita, cum de specie prædicari possint, quæ de genere (§. 235. *Log. WOLF.*): Plura etiam, quæ delictis in genere conveniunt, de desertione vel delicto militari alio quocunque ostendi possent. Cum vero applicatione cuivis prona hoc saltem indigeat: Eidem potius supersedendum credimus.

§. 1004.

Desertio attentata punienda. *Desertio tantum attentata puniri quoque potest & debet.*

Desertio enim, attentata licet tantum, delictum est (§. 678.). Quare cum delicta militum punienda sint (§. 761.): Quod desertio attentata etiam puniri possit & debeat, dubium esse nequit.

Cum pluribus demonstratum fuerit, illam esse delictum; Ex eo vero sequatur, quod punienda sit: In hoc demonstrando breviorem esse licuit. Et cum variis modis desertio possit attentari, qui §. 676. & seqq. explicati fuere: Patet, quod in iisdem omnibus pœnæ locus sit.

§. 1005.

Quinam pœna desertionis ordinaria afficiendus. *Pœna desertionis ordinaria affici nequit, nisi qui pro desertore recte habetur.*

Pro desertore enim haberi nequit, nisi qui desertionem aut jam commisit, aut actu saltem committit (§. 682.). Quamobrem cum ad id, ut miles pœna ordinaria plectatur, necesse sit, eundem illud delictum vere commisisse, aut committere, in quod pœna illa statuta est (§. 943.): Patet

Patet etiam, quod pœna desertionis affici nequeat, nisi qui pro desertore recte habetur.

Cum plures deduxerimus casus, quo miles pro desertore haberi debeat aut nequeat (§. 683. & seqq. ad §. 703. usque): Facile apparet, quod in illis pœna ordinaria infligi possit; In his autem eidem locus non sit. Quæ vero in casu quolibet dato absque opera applicari poterunt. Quare plura non adducemus, quam quæ aliis demonstrandis inserviunt.

§. 1006.

Hinc cum pro desertore haberi nequeat, qui desertionem absque discessu attentat (§. 683.): *Miles, qui desertionem absque discessu attentat, pœna ordinaria desertionis affici nequit* (§. 1005.). ***Non qui absque discessu attentat.***

§. 1007.

Cum vero, si miles desertionem propius attentans deprehendatur, pro desertore recte habeatur; Neutiquam si ante desertionem perfectam sponte revertatur (§. 685.); Tunc demum vero quis pœna desertionis ordinaria affici possit (§. 1005.): *Miles propius attentans desertionem, si deprehendatur, pœna ordinaria affici potest; Neutiquam vero, si ante desertionem perfectam sponte revertatur.* ***Sed qui propius attentans deprehenditur.***

§. 1008.

Desertio itaque *attentata pœna desertionis ordinaria plecti nequit, nisi propius fuerit attentata, & miles in ea deprehensus.* ***Quando desertio attentata?***

Desertio enim absque discessu attentata pœna ordinaria desertionis plecti nequit (§. 1006.). Non itaque hoc poterit, nisi quæ cum discessu attentatur. Quamobrem cum desertio, quæ cum discessu militis a mansione sua attentatur, propius dicatur attentari (§. 677.); Miles vero desertionem propius attentans tunc demum pœna ordinaria affici possit, si in ea deprehendatur (§. 1007.): Patet, quod desertio attentata pœna desertionis ordinaria nequeat plecti, nisi propius fuerit attentata, & miles in ea deprehensus.

Dissentit quidem SCHOEPFER statuens, quod conatus deserendi, licet eo ad actum proximum pervenerit miles, pœna tamen desertorum ordinaria plecti nequeat (§. 46. Cap. 3. Diss. de Mil. des.); Neque adeo etiam desertor in flagranti deprehensus ordinaria puniri posset. Absque vero ratione hoc statui apparet. Desertor enim etiam dicendus est, qui propius desertionem attentans deprehenditur (§. 687.). Quod vero uti ex principiis a nobis stabilitis facile deducitur: Ita & observantia consentaneum invenitur, ut miles in discessu adhuc versans, si deprehendatur, pro desertore capto, adeoque pœnam ordinariam promerito

habeatur, & belli præsertim tempore in desertores in flagranti deprehensos adeo severe animadvertatur, ut stante pede pœna ordinaria plectantur, & in propiori qualibet arbore suspendantur.

§. 1009.

Quando eadem arbitrarie.

Desertio itaque *absque discessu, vel propius licet attentata, non vero cum militis deprehensione, sed spontaneo potius reditu conjuncta, arbitrarie saltem punienda est.*

Desertio enim absque discessu pœna desertionis ordinaria plecti nequit (§. 1006.); Neque etiam propius attentata, nisi miles desuper fuerit deprehensus, non vero ante desertionem perfectam sponte reversus (§. 1007.). Desertio tamen quocunque etiam modo attentata delictum (§. 678.), atque adeo punienda est (§. 1004.). Quamobrem, cum, si miles delinquat, pœna vero ordinaria locum non habeat, arbitraria afficiendus sit (§. 946.): Facile apparet, quod desertio attentata absque discessu, vel propius licet, non vero cum militis deprehensione, sed spontaneo potius reditu conjuncta, arbitrarie saltem punienda sit.

Huc itaque restringenda sunt, quæ de conatu desertionis pœna saltem arbitraria plectendo proferuntur. Dari enim casus, quo & conatus pœna etiam ordinaria coërceatur, in contrariam licet partem a SCHOEPFERO (*loc. cit.*) adductus CARPZOVIUS ipse sentit (*n. 13. quæst. 17. Pract. crimin.*).

§. 1010.

In flagranti deprehensus ordinaria.

Desertor in flagranti deprehensus, desertione licet nondum perfecta, pœna ordinaria puniri potest.

Miles enim, qui super desertione in flagranti deprehenditur, pro desertore habendus est (§. 688.). Cum vero miles, qui super desertione in flagranti deprehenditur, sit tantum in propius eam attentando (§. 687.): Attentatum desertionis autem supponat, quod desertio perfecta non sit (§. 675.): Desertorem in flagranti deprehensum desertionem nondum perfecisse, apparet. Quamobrem cum miles, qui pro desertore recte habetur, pœna desertionis ordinaria affici possit (§. 1005.): Idem etiam de desertore in flagranti deprehenso, desertione licet nondum perfecta, intelligitur.

Cum statim intelligatur, quod quis pœna desertionis ordinaria affici possit, quamprimum de eo constat, quod vere desertor sit: Non monitus etiam quisque idem de desertore in flagranti deprehenso perspiciet, ubi demonstratum fuerit, eundem pro desertore recte haberi. Ad firmius tamen stabilienda ea, quæ ad §. 1008. monuimus, speciatim illud dedu-

deducendum visum fuit. Cum enim desertor, qui in flagranti deprehenditur, desertionem nondum perfecerit, sed in ea solum attentando adhuc versetur (*per dem.*): Speciali inde exemplo comprobatur, quod desertio etiam attentata tantum pœna tamen ordinaria coërceri possit. Plures equidem sunt casus, quibus desertio propius attentatur, & quibus adeo miles desuper deprehensus pro desertore recte habetur (§. 689.). In omnibus itaque etiam militem deprehensum pœna desertionis ordinaria affici posse, ex generaliter demonstratis apparet (§. 1007.). Cum vero idem in casu quovis speciali facile se præbeat: Ejus ad casus quoscunque applicatione supersedemus.

§. 1011.

Desertio cogitata aut proposita solum puniri plane nequit. *Cogitata & proposita non punienda.*

Tam enim proposita, quam cogitata solum desertio pro delicto haberi nequit (*§. 709.*) Quare cum pœnæ non nisi in delicta sint statuendæ (*per dem. §. 761.*). Patet, quod neque cogitata, neque proposita solum desertio puniri possit.

Bene vero in memoriam erunt revocanda, quæ de desertione tam proposita, quam cogitata supra demonstravimus: Ne malitiosis desertoribus, aut militibus saltem desertionem molientibus, patrocinari videamur. Tunc demum enim desertionem sibi tantum proposuisse dicendus erit miles, si animum saltem habuerit deserendi, actu vero externo eundem nondum declaraverit (§. 704). Desertionem itaque propositam intra actuum internorum fines solum adhuc substitisse claret. Cum vero delicta animo non committantur, sed ad eadem actio externa requiratur (§. 664.); Actus vero interni in genere puniri nequeant (§. *643. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): De desertione solum proposita idem etiam patet, quod nempe neque delictum sit, neque puniri possit. Quodsi vero propositum deserendi in actus quoscunque externos eruperit: Desertio non proposita solum, sed attentata potius erit dicenda (§. 675.); Atque adeo, uti hæc (§. 1004), punienda. Cogitata vero nec propositum deserendi involvit, sed sola cogitatione, aut ad summum deliberatione absolvitur (§. 707.). Jus itaque etiam civile agnoscit, quod cogitationis pœnam nemo mereatur (*l. 18. ff. de Pœnis*). Quod utique ad omnes actus internos, adeoque & propositum, extendendum est (*Schol. ad §. 643. cit.*). Quodsi itaque ad notiones suas revocentur, quæ hic asseruntur: Cuivis apparebit, nos hic non tueri, quam quæ in ipsa rerum natura rationem suam agnoscunt, & vel ipsi juris dispositioni conveniunt.

§. 1012.

Conspiratio ad desertionem punienda est, licet hæc actu non sequatur. *Bene conspiratio ad desertionem.*

Conspiratio ad desertionem enim delictum est, ipsa licet desertio non consequatur (§. 720). Cum itaque delicta militum sint pu-

nienda (§. 761.). Idem de conspiratione ad desertionem statim apparet, licet hæc actu non fuerit secuta.

Objici non poterit, quod conspiratio ad desertionem, quam hæc ipsa non sequitur, speciem desertionis propositæ saltem constituat; Adeoque cum hanc ab omni pœna vindicaverimus (§. 1011.), contradictionem involvat, quod conspirationem puniendam asseramus. Fallunt vero quam maxime, qui hanc non nisi desertionem propositam reputant, & distinctis notionibus non assueti, non nisi ex confusis, aut obscuris forsan, ratiocinantur, vel potius sibi quæcunque fingunt, quorum sensum habere sibi persuadent. Cum enim in conspiratione ad desertionem adesse debeat unus vel plures, qui faciunt, ut alii in desertionem suscipiendam consentiant (§. 721.); Apparet, quod illa actibus internis non absolvatur, sed externos supponat. Conspirationem ad desertionem itaque plus esse desertione proposita, & pro attentata habendam, supra jam demonstravimus (§. 719.). Nullum itaque contradictionis periculum metuendum erit, si notionibus satis determinatis inhæseris, quod non effugiunt, qui terminos ad justas revocare notiones, dedecori sibi fere ducunt.

§. 1013.

Ejus auctores gravius. *Auctores conspirationis ad desertionem, ut in genere delicti cujusvis militaris, gravius puniendi sunt iis, qui per ipsos ad eandem vel idem commoventur.*

Auctores enim delictorum militarium in genere gravius delinquunt iis, qui per eos ad illa commoventur (§. 628.); Et in specie auctor conspirationis gravius iis, qui saltem consensum suum præbent (§. 723.). Quamobrem cum delicta graviora gravioribus etiam pœnis sint coërcenda (§. *626. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Adeoque & ii, qui gravius delinquunt, gravius puniendi sint iis, qui minus: Patet, quod auctores conspirationis ad desertionem, ut in genere delicti cujusvis militaris, gravius sint puniendi iis, qui per ipsos ad eandem vel idem commoventur.

Et utique, cum auctor conspirationis plures ad delinquendum, & in specie deserendam militiam, inducat (§. 721. 722.); Adeoque per ipsum fieri possit, ut delictum gravissimum, quale est desertio (§. 587. 588.), & a pluribus quidem simul committatur: Reipublicæ & præsertim militiæ maximum ab eo imminet periculum. Quamobrem cum milites eo gravius puniri debeant, quo majus ex delictis ipsorum periculum imminet (§. 930.): Auctorem conspirationis vel gravissima pœna plecti posse, apparet. Articulis hinc etiam Hassiacis novioribus an. 1753. publicatis constitutum est, ut capite luat (§. 58.).

§. 1014.

§. 1014.

Emansor mitius puniendus est desertore.

Emansor quomodo puniendus.

Emansor enim dicitur miles, qui absque venia a statione sua abest, vel ultra veniam emanet, aut alibi discedit (§. 660.). Licet itaque delinquat miles emansor (§. 661.): Pro desertore tamen statim haberi nequit (§. 662.). Non ita graviter adeo ipsum delinquere apparet, quam desertorem. Quamobrem cum pro gravitate delicti pœna sit determinanda (§. *626. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod emansor non adeo graviter, & mitius ideo puniendus sit desertore.

Cum jure civili statuatur emansionis delictum levius habendum esse, desertionis gravius (*l. 4. §. 14. ff. de Re milit.*): Illud consentire apparet. Dantur equidem casus, ubi emansor desertionem attentasse censeatur (§. 699.), vel etiam in desertorem degenerat (§. 700.): Illum vero tunc intra simplicis emansionis limites non substitisse, adeoque pro modo delicti puniendum esse, patet. Quod vero, cum ex iis, quæ hactenus fuere demonstrata, in casu quovis speciali facile eruatur, ulterius non deducimus. Et cum statui etiam possit jure positivo, ut miles, qui ultra certos dies emanet, pro desertore habeatur: Eundem tunc etiam qua talem puniendum esse intelligitur.

§. 1015.

Miles, qui a statione recedit, gravius puniendus est emansore.

A statione recedens.

Miles enim, qui a statione recedit, gravius delinquit emansore (§. 663.). Quare cum delictis gravioribus graviores etiam pœnæ sint imponendæ (§. *626. antea cit.*): Militem, qui a statione recedit, gravius puniendum esse emansore, statim patet.

Cum discessus a statione delictum militare gravissimum sit (§. 643.), quod vel & pœna capitali plecti possit (§. 963.): Eo firmatur, quod emansione gravius sit puniendus. Hic vero non supponitur, quod miles, qui a statione recedit, simul deserat. Discessum enim a statione vel absque desertione committi posse, jam alibi monuimus. Et si hæc simul fiat a recedente a statione, uti plerumque fieri solet: Desertio potius committi dicenda est, quæ derelictione stationis aggravatur (§. 645). Hunc itaque casum respicere videtur MODESTINVS, dum statuit, quod si præsidis vel cujusvis præpositi ab excubatione quis desistat, peccatum desertionis subeat (*l. 3. §. 6. ff. de Re milit.*). Cum alias, qui stationis munus relinquit, pro modo delicti aut castigandum, aut gradu militiæ dejiciendum, & plus quam emansorem esse asserat (*§. 5. loc. cit.*).

§. 1016.

Milites, qui solutionem stipendii vociferantur, graviter puniendi sunt.

Stipendium vociferans.

Vociferatio enim impetuosam & irreverentem stipendii rogationem indicat; Adeoque milites, qui stipendium vociferantur, delinquunt (§. 747.). Cum vero concitationis ad seditionem reos se faciant, qui huic per verba seditiosa occasionem dant (§. 624.); Per vociferationem autem stipendii seditio facile possit concitari (*per dem.* §. 747.); Et licet hæc actu non sequatur, attamen delinquant, qui quocunque modo ad eam concitant (§. 630.): Milites, qui stipendium vociferantur, concitationis ad seditionem reos se faciunt. Quare cum hoc delictum gravissimum sit (§. 639.), quod vel pœna capitali plecti possit (§. 963.): Facile patet, quod milites, qui stipendium vociferantur, graviter puniendi sint.

Legibus itaque etiam positivis vociferationi maximæ & vel capitales pœnæ statutæ sunt; Uti pluribus refert STEPH. WAGA (§. 8. *Diss. de Restit. famæ per vex.*). Cum vero delictum gravius sit, si dolo, quam si culpa saltem committatur (§. 649.); Adeoque & gravius puniendum in illo casu, quam in hoc (§. 626. *P. 8. J. N. W.*): Non absque ratione statutum est jure civili, ut vel seditio, quæ intra vociferationem, aut levem querelam mota est, dejectione a gradu militiæ saltem puniatur (*l. 3. §. 20. ff. de Re milit.*).

§. 1017.

Quandonam mitius.

Vociferatio stipendii mitius tamen punienda est, si privatim, aut in præsidiis vel hibernis fiat, quam si publice, aut in acie vel expeditione.

Si enim vociferatio stipendii privatim fiat: Non adesse alios, vel saltem non plures, per se intelligitur. Cum itaque seditio plures supponat, qui nempe servitia militaria detrectant & imperio resistunt (§. 619.): Per vociferationem stipendii seditio excitari non poterit, si eadem privatim fiat. Quamobrem cum pœna gravior vociferationi stipendii propterea sit statuenda, quoniam hæc concitationem ad seditionem simul contineat (*per dem.* §. 1016.): Patet, quod non æque graviter, adeoque mitius, punienda sit, si fiat privatim, quam si publice. *Q. e. i.*

Similiter, cum in expeditione & acie hostis actu adsit; Per milites vero hosti vis sit inferenda (§. 15.): Militibus in expeditione & acie potissimum, & plus opus esse, facile intelligitur, quam in præsidiis aut hibernis, ubi hostem imminere non supponitur. Quodsi itaque in casu priori milites deficiant: Hosti resisti nequit; adeoque majus inde nocumentum inferri potest, & periculum majus instat, quam si in casu saltem posteriori deficiant milites. Cum itaque milites

milites seditiosi servitia præstare detrectent (§. 619.); Adeoque iidem pro nullis sint habendi: Facile patet, quod, si seditio oriatur, milites deficiant. Majus itaque periculum imminet, si in ipsa expeditione vel acie seditio oriatur, quam si in præsidiis vel hibernis saltem. Per vociferationem stipendii vero seditio facile potest excitari (*per alleg. §. 1016.*). Ex illa itaque majus periculum imminet & damnum metuendum est, si illa in expeditione & castris, quam si in præsidiis aut hibernis saltem fiat. Cum autem ea, quæ cum re, simul fiunt extra eandem, cum ea tamen connectuntur, circumstantiæ ejusdem dicantur (*def. §. 567.*): Ad circumstantias vociferationis stipendii referendum est, an eadem in præsidiis aut hibernis, vel in expeditione aut ipsa acie fiat. Ex circumstantiis itaque vociferationis majus vel minus nocumentum potest evenire, & majus vel minus periculum imminet. Quare cum, si ex circumstantiis, sub quibus milites delinquunt, majus nocumentum possit evenire, aut majus periculum immineat, illi sint puniendi gravius; Si vero minus, mitius (§. 930.): Patet etiam, quod vociferatio stipendii mitius sit punienda, si in præsidiis aut hibernis fiat, quam si in expeditione aut ipsa acie. *Q. e. 2.*

In gratiam legum earum militarium hoc adjecimus, quæ pro diversitate harum circumstantiarum diversas vociferationi pœnas statuunt; Uti patriæ (§. 73. *Artic. milit. anni 1689.* & §. 27. *anni 1753.*).

§. 1018.

Miles ab hoste captus, qui partes ejus nulla alia causa accedente amplectitur, si ejus copia fiat, graviter quidem, pro circumstantiis tamen desertore & transfuga alio mitius puniendus est. *Quomodo captus, qui hostis partes amplectitur.*

Amplexus enim servitiorum militarium apud hostem a milite capto susceptus, alia causa non accedente, delictum gravissimum est (§. 596.). Quare cum delicta graviora pœnis etiam gravioribus coërcenda sint (§. 626. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Statim etiam patet, quod miles ab hoste captus, qui partes ejus alia causa non accedente amplectitur, si ejus copia fiat, graviter debeat puniri. *Q. e. 1.*

Cum itaque miles captus, qui alia causa non accedente, quæ nempe ipsum a militia solvat, hostis partes amplectitur, pro desertore & transfuga habendus sit (§. 595.): Videri etiam posset, quasi eadem, qua talis, pœna debeat affici. Captivitatem vero hic accedere supponitur. Quæ cum soleat connecti cum variis miseriis (*per not.*);

Ab

Ab his vero liberari queat miles captus, si hostis partes amplectatur (*per hypoth.*): Adest ratio quædam, aversatione mali naturali suffulta, quæ militem captum ad partes hostiles amplectendas movere potest facilius. Supervenire etiam possunt & quandoque solent persuasiones, minæ aut vis, quæ omnia militi capto motiva præbere possunt, miserias captivitatis cum statu feliciori permutandi. Causa itaque externa saltem vel potissimum ad delinquendum perducuntur milites capti, qui hostiles partes assumunt (§. *882. Ontol. WOLF.*). Et cum hic adsint motiva appetitui & aversationi sensitivis saltem non disconvenientia (*per dem.*); Motivis vero voluntas demum determinetur (§. *889. Psych. emp. ej.*): Non adeo sponte sive data opera delinquere milites captos apparet, qui hostis partes, nulla licet causa a militia solvente superaccedente, amplectuntur, neque delictum illorum adeo esse præmeditatum, quam eorum, qui absque illis motivis, quæ captivitas præbet, militiam deserunt, & vel ad hostem transfugiunt. Quamobrem cum delictum gravius sit puniendum, si fuerit præmeditatum (§. *631. Part. 8. cit.*), & quo major fuerit in delinquente malitia (§. *632. loc. cit.*), quæ nempe in eo consistit, ut quis data opera, sive sponte mala agat (*Schol. ad* §. *631. cit.*): Intelligitur denique, quod licet miles ab hoste captus, qui partes ejus nulla alia causa, a militia scilicet solvente, accedente, partes ejus amplectitur, graviter quidem debeat puniri (*per dem. n. 1.*), mitius tamen pro circumstantiis puniendus sit desertore aut transfuga alio.

§. 1019.

Quomodo qui prohibita facit. *Si miles in bello faciat, quæ prohibita sunt, puniendus est, etsi res bene cesserit; Mitius tamen in posteriori casu.*

Milites enim, qui in bello faciunt, quæ prohibita sunt, delinquunt, etsi res bene cesserit (§. 616). Quare cum milites, qui delinquunt, puniendi sint (§. 761.): Idem etiam de eo statim patet, qui in bello facit, quæ prohibita sunt, etsi res bene cesserit. *Q. e. 1.*

Cum vero mitius puniendi sint milites, si propter circumstantias, sub quibus delinquunt, minus nocumentum inde eveniat (§. 930.): Mitius adhuc puniri debent, si plane nullum damnum ex delicto quodam oriatur. Quamobrem, cum hic supponatur, quod res bene cesserit (*per hypoth.*); Adeoque commodum potius, quam damnum ex delicto militis evenerit: Patet, quod miles, si in bello faciat, quæ

quæ prohibita ſunt, re bene ceſſa, pœna licet, mitiori tamen, ſit afficiendus. *Q. e. 2.*

Cum in caſu præſenti non damnum, ſed commodum potius ex delicto ſequatur; Videri poſſet, quaſi nulla plane pœna in illud animadvertendum eſſet. Cum vero delictum ejusque gravitas, non ſolum ex nocumento, quod actu infertur, ſed & ex periculo, quod inde imminet, æſtimetur (§ 625. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Hic vero, ſi res male vergat, graviſſimum inde periculum imminere ſupponatur: Utique etiam delinquens in hoc caſu puniri, & ne factum ejus in exemplum trahatur, graviter quidem adhuc poterit; Mitius licet, quam ſi res aut plane non, aut male ſucceſſerit. Jus quidem romanum diſcrimen hoc admittere non videtur, dum capite puniendum ſtatuit militem, qui in bello rem a duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, etſi res bene ceſſerit (*l. 3. §. 15. ff. de Re milit.*); Et ejus exempla, a patribus etiam in filios ſtatuta, præbet antiquitas, quorum nonnulla refert PET. MüLLER (§. 4. *Cap. 5. Diſſ. de Mand. duc. milit.*): Si tamen rem ipſam ſpectes; Mitius cum eo agendum eſſe, cui res prohibita licet, bene ceſſit, ex demonſtratis apparebit: Licet graviter adhuc ſatis in eum animadverti poſſe non negemus. Ceterum apparet, quod idem ſit, ſive miles prohibita faciat, ſive mandata non faciat. Cum vero ſtatim intelligatur, militem puniendum eſſe, ac delinquere eundem conſtat (§. 761.); In pluribus vero caſibus militem delinquere, capite præcedenti deduxerimus: In omnibus iis etiam eundem eſſe plectendum, absque ulteriori applicatione patet. Quamobrem ab hac abſtinemus, ubi ſingularis circumſtantia non adſit, quæ eandem commonſtrari requirat; Uti in caſu dato eſt, quod pro circumſtantiis mitior aliquando pœna poſſit obtinere.

§. 1020.

Miles, qui negligentiam admiſit in præſtatione officiorum ſuorum, puniendus quidem eſt; Mitius tamen eo, qui dolo officia ſua non præſtat. *Qui negligentiam admittit.*

Miles enim, qui negligens eſt in præſtatione officiorum ſuorum, delinquit (§. 570.). Quare cum in delicta militum pœnæ ſint ſtatuendæ; Adeoque miles, qui delinquit, puniri debeat (§. 761.): Idem etiam patet de eo, qui in præſtatione officiorum ſuorum negligentiam admittit. *Q. e. 1.*

Cum vero negligentia ex culpa ſaltem committatur (*per dem. §. 570.*): Miles, qui negligentiam in præſtatione officiorum ſuorum admittit, culpa tantum delinquit; Adeo non niſi quaſi delictum committit (*def. §. 541.*). Contra cum militem, qui dolo officia ſua non præſtat, obligationi ſuæ adverſari (§. 138), adeoque delinquere, itidem facile intelligatur (§. 540); Delictum autem, quod dolo committi-

tur, verum dicatur (*def.* §. *541.*): Eundem delictum verum admittere, constat. Quamobrem cum quasi delicta militum mitius punienda sint veris (§. *762.*): Mitius quoque plectendus erit miles, qui negligentiam tantum admisit in præstatione officiorum suorum, quam qui dolo eadem non præstat. *Q. e. 2.*

§. 1021.

Qui captivum sinit evadere. *Miles, qui captivum, custodiæ suæ commissum, evadere sinit, pœnam meretur; Graviorem tamen, si dolo id fiat, quam si culpa saltem.*

Miles enim, qui captivum custodiæ suæ commissum evadere sinit, delinquit (§. *648.*). Quare cum delicta militum punienda sint (§. 761.): Illum etiam pœnam mereri, apparet. *Q. e. 1.*

Cum vero delictum militis gravius sit, si dolo, quam si culpa committatur (§. *649.*); Et in specie gravius delinquat miles, qui captivum evadere sinit, si dolo ejus id contingat, quam si culpa saltem (§. 651.); Delicta vero graviora pœnis etiam gravioribus coërcenda sint (§. *626. Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Graviorem etiam merebitur pœnam miles, si dolo ejus fiat, ut captivus custodiæ suæ commissus evadat, quam si culpa saltem. *Q. e. 2.*

Ex §. præcedenti etiam hoc modo poterit deduci. Cum enim miles ad custodiendas personas, quæ ipsi committuntur, ne evadant, obligetur (§. 270.): Facile patet, quod miles, qui captivum custodiæ suæ commissum evadere sinit, obligationi suæ non satisfaciat, sive officia sua non præstet (§. 138.). Quodsi vero culpa sua id tantum fiat, negligentiam ipsum committere in præstatione officiorum suorum, apparet (*per dem.* §. *570.*). Quamobrem cum miles, qui negligentiam modo committit in præstatione officiorum suorum, mitius puniendus sit, quam si dolo eadem non præstet (§. 1020.); Adeoque gravius in casu posteriori, quam priori: Patet etiam hoc modo, quod miles, qui captivum evadere sinit, graviorem pœnam mereatur, si dolo ejus id fiat, quam si culpa saltem.

Discrimen hoc optime attenditur jure romano. CALLISTRATO enim adducente statutum est, ut milites, si custodias amiserint, ipsi in periculum deducantur. Exquiri vero, HADRIANO rescribente, debere addit, utrum nimia negligentia militum evaserint, an casu; Et ita demum afficiendos supplicio milites, si culpa eorum nimia deprehendatur; Alioquin pro modo culpæ in eos statuendum. Item, in eum, qui custodiam dimisit, aut sciens ita habuit, ut possit custodia evadere, animadvertendum; Si tamen per vinum aut desidiam custodiæ id evenerit, casti-

castigandum & in deteriorem militiam dandum; Si vero fortuito amiserit, nihil in eum statuendum (*l. 12. ff. de Custod. & exhib. reor.*).

§. 1022.

Murci, si ad militiam obligentur, puniendi sunt. *Murci puniendi.*

Murci enim dicuntur homines, qui quocunque modo data opera se reddunt inhabiles ad militiam (§. 752.) Quare cum ii, qui ad militiam obligantur, si quocunque modo data opera se reddunt inhabiles ad eandem (§. 750.), adeoque & murci, si ad eam obligentur, delinquant (§. 754.); In delinquentes vero pœnis sit animadvertendum (§. 761.): Patet etiam, quod murci, si ad militiam obligentur, puniendi sint.

§. 1023.

Delictum murcorum gravius puniendum est in milite, quam in subdito, qui miles nondum est. *Gravius si milites.*

Delictum enim murcorum gravius est, si committatur a milite, quam si a subdito, qui nondum miles est (§. 757.). Quare cum delictis gravioribus pœnæ etiam graviores sint statuendæ (§. *626. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Statim apparet, quod delictum illud graviori pœna coërcendum sit in milite, quam in subdito nondum milite.

§. 1024.

Delictum murcorum pœna infami plecti convenit. *Pœna infami.*

Delictum enim murcorum famæ militis maxime nocet, & infamiam ipsi præcipue contrahit (§. 758). Quamobrem cum delicta militum, quæ famæ potissimum repugnant, pœna infami plecti conveniat (§. 953.): Convenit quoque, ut delictum murcorum pœna infami plectatur.

Pœnæ itaque etiam infames inveniuntur inter es, quas in murcos statutas refert FRID. BENED. CARPZOV (*§. 9. seqq. Diss. de Murcis*).

§. 1025.

Delictum murcorum in milite vel capite plecti potest. *Capite etiam.*

Delictum enim murcorum, si a milite committatur, desertioni assimilatur (§. 755.). Quare cum desertio pœna etiam capitali plecti possit (§. 963.): Non etiam repugnat, ut delictum murcorum, cum huic sit æquiparandum, eadem etiam pœna possit coërceri, si e re illud esse videatur.

Hinc iisdem etiam, quibus desertores, pœnis murcos subjici, vel exemplis & præjudiciis comprobat CARPZOV (*loc. cit.*). & AUG. a LEYSER (*§. 5. & 6. Diss. de Fuga militiæ*).

§. 1026.

Matrimonium absque consensu puniendum.

Milites & eorum præfecti, in casu prohibitionis nempe, si absque consensu matrimonium ineant, sive sponsalia celebrent, puniri possunt.

Milites enim, ut & eorum præfecti in casu prohibitionis, si absque consensu matrimonium aut sponsalia contrahant, delinquunt (§. 740. 741.). Quamobrem cum milites, qui delinquunt, puniri debeant (§. 761.): Facile etiam de iis eorumque præfectis in casu prohibitionis patet, quod si absque consensu nuptias aut sponsalia celebrent, puniri possint.

Hinc etiam pœnas actu statutas esse, passim deprehendimus. Sic apud Hispanos præfectos, qui absque regis consensu uxores ducunt, ab officio removeri, novimus ex Novellis Francofurtensibus, quæ Diarium, *das Journal*, dicuntur, anni 1750. N. 91. pag. 2. Et in iisdem etiam (*N. 202 p. 1.*) ex Napoli memoratur, quod ibidem super mandato nuper prolato, ne quis præfectus absque permissione regis uxorem ducat, adeo severe habeatur, ut vel frater principis *de Stigliano*, *Brigadier Colonne* dictus, qui viduam equitis *de Palma* duxerat, ad castellum quoddam ductus, hæc vero cœnobio fuerit inclusa. Legibus etiam patriis non ita pridem fuit constitutum, ut præfectus, qui absque consensu principis uxorem ducit, cassatione, quæ dicitur, puniatur (*§. 18. Art. milit. Hass. nov. an. 1753.*).

§. 1027.

Remitti aut mitigari pœnæ possunt.

Pœnæ tam militum in genere, quam militares in specie, quæ legibus statuuntur, vel remitti plane, vel mitigari saltem possunt.

In genere enim pœnæ legibus constitutæ remitti & mitigari possunt (*§. 658. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Quare cum facile intelligatur, pœnas militum & militares in specie sub pœnarum genere tanquam species contineri (§. 771.); De specie vero prædicari possint, quæ de genere (*§. 235. Log. ejusd.*): Patet etiam, quod pœnæ militum & in specie militares, legibus statutæ, remitti æque aut mitigari queant.

Quid per remissionem & mitigationem pœnæ intelligendum sit, explicatur *§. 1089. & 1090. Part. 1. loc. cit.*).

§. 1028.

§. 1028.

Cum vero remiſſio & mitigatio pœnarum in genere fieri non debeat absque ratione ſufficiente (§. 658. cit.): *Nec remiſſio aut mitigatio pœnarum militum & militarium in ſpecie fieri debet absque ratione ſufficiente.* *Non absque ratione ſufficiente.*

Hæc omnia loco citato plenius deducuntur & demonſtrantur: Et cum de genere valeant, quæ de ſpecie: Facili negotio ad pœnas militum applicari poterunt, ſi iisdem fuerit opus. Pauca hæc vero propterea ſaltem adduximus, ut demonſtrationi ſequentium inſerviant.

§. 1029.

Circa pœnas militum & militares in ſpecie locum habet aggratiatio ſive jus aggratiandi. *Jus aggratiandi obtinet.*

Jus enim pœnas remittendi & mitigandi jus aggratiandi dicitur (§. 843. Part. 8. Jur. nat. WOLF.). Quamobrem cum pœnæ militum & militares in ſpecie remitti & mitigari queant (§. 1027.): Patet, quod circa easdem locum etiam habeat jus aggratiandi.

§. 1030.

Si plures milites una commiſerint delictum, in quod pœna capitalis ſtatuta eſt, omnes capite plectendi non ſunt. *Quid ſi plures una delinquant.*

Cum enim milites una delinquentes ad magnum ſæpe numerum excurrant, & vel quandoque maximam exercitus partem conficiant (*per exper.*): Si omnes capite plecterentur, qui una deliquerunt: Numerus militum admodum minui, & exercitus adeo poſſet debilitari, ut ad vim hoſti inferendam vel vim ejus arcendam ſufficiens non maneret. Cum vero reipublicæ interſit, ne numerus militum minuatur (*per dem. §. 552.*); Et exercitus tot conſtare debeat militibus, quot ad vim hoſti inferendam aut repellendam neceſſarii ſunt (§. 192.): Adeſt ratio, & ſufficiens quidem, cur non omnes, qui delictum una commiſerunt, in quod pœna capitalis ſtatuta eſt, capite plecti debeant (§. 52. Ontol. WOLF.). Patet vero, in hoc caſu quosdam vel nulla plane, vel alia, ſaltem non capitali, ſed mitiori pœna, debere affici. Cum itaque, ſi, qui pœnam promeruit, nulla plane afficiatur pœna, dicatur remitti (§. 1089. Part. 1. Jur. nat. WOLF.); Si vero mitiori afficiatur, qui graviorem promeruit, mitigari (§. 1090. loc. cit.): Si non omnes capite plecti debeant, qui una deliquere, & quidem delictum capite puniendum commiſere, quibusdam pœna capitalis

 remitti

remitti aut mitigari debet. Quamobrem cum pœnæ militum remitti & mitigari possint (§. 1027.), si ejusdem ratio sufficiens adsit (§. 1028.); In casu dato vero inveniatur ratio sufficiens, cur non omnes capite plectantur (*per dem.*); Et posita ratione sufficiente ponendum etiam sit, quod propter eam est (§. *118. Ontol. WOLF.*): Patet etiam, quod in eodem casu non omnes capite sint plectendi.

Thesin hanc uberius explicat & quoad cives in genere etiam adstruit SAL. SEVER. DOBERMANNUS in eleganti, quam sub præsidio DRESSELII Jenæ an. 1731. habuit dissertatione, *de Decimatione delinquentium §. 34.* Quæ cum maximam partem notionibus determinatis & principiis solidis sit superstructa: Materiæ de decimatione, quoad milites jam secuturæ, optime inservit. Non omnia tamen eundem exhausisse, quæ de objecto isto possent deduci, sed addi adhuc posse plura, nec ubique recta via eum incessisse, vel ex iis patebit, quæ de decimatione in specie militum mox demonstrabimus, & passim monebimus.

§. 1031.

Decimationis definitio. Si plurium, qui una delictum, in quod pœna capitalis statuta est, commiserunt, non omnes, sed aliqui saltem capite plectuntur, delinquentes *decimari* dicuntur. Ita ut *Decimatio* sit actus, quo ex pluribus, qui simul deliquerunt, & eo pœnam capitalem promeruerunt, certus demum numerus, veluti decimus quisque, seligitur, qui pœna capitali plectatur.

In laudata modo dissertatione decimatio quidem definitur per pœnam, qua decimus quisque supplicio afficitur (§. 36.). Cum vero per decimationem fiat, ut quidam, qui pœnam capitalem promeriti sunt, ab ea eximantur, & modo ii determinentur, a quibus eadem sumi debeat; Reliqui vero aut nulla plane aut mitiori saltem pœna afficiantur (*per dem. §. 1030.*): Decimatio pœnam non constituit, sed ejus potius remissionem aut mitigationem continet. Quare & eadem pro aggratiationis specie ab ipso auctore recte venditatur (§. *43. cit. loc.*).

Ut plurium delinquentium decimus præcise supplicio detur, ratione necessaria non nititur, sed eandem in numero usitato per denarios computandi inveniri videtur. Pro intrinseco itaque rei haberi non poterit. Quare cum ea, quæ rei intrinseca non sunt, nec ingredi debeant definitionem (§. *134. Log. WOLF.*): Numeri denarii non, nisi per modum exempli, mentionem faciendam esse duximus. Prostant enim exempla, & ad minimum rei non repugnat, quod numerus eorum, a quibus ex pluribus delinquentibus supplicium sumatur, aliter determinetur; Veluti, ut vicesimus, vel etiam centesimus tantum sumatur. Quod nec abnuit citatus auctor: Licet numeri decimalis partes admodum tueatur (*Schol. §. 39.*). Sed & ex tribus interdum unum saltem sumi, qui capite

capite plectatur, constat. Quos casus omnes sub decimatione comprehendere licebit: Quamvis quibusdam speciales sint denominationes, veluti vicesimatio, tricesimatio, centesimatio (*Schol. §. 36. loc. cit.*).

§. 1032.

Decimatio itaque *circa milites eorumque pœnas capitales obtinet, & fieri debet, si plures milites una commiserint delictum, in quod pœna capitalis statuta est.* *Quando obtineat.*

Si enim plures milites una delictum committant, in quod pœna capitalis statuta est, non omnes capite plectendi sunt (§. 1030.). Quare cum, si ex pluribus delinquentibus non omnes, sed quidam saltem supplicio afficiuntur, decimatio fiat (§. 1031.): Patet, quod hæc circa milites eorumque pœnas capitales obtineat, & in casu, quo plures delictum capite plectendum commiserunt, fieri debeat.

Exempla decimationis militum jam ab antiquo prostant, quorum plura recenset laudatus auctor (*Schol. §. 37. Diss. de Decim. delinq.*). Inter quæ memorabile maxime videtur illud, quod per decimationem a LICINIO CRASSO susceptam deperierint ferme 4. millia.

§. 1033.

Decimatio militum, quemadmodum in genere, sorte fieri debet. *Quomodo facienda.*

Si enim decimatio fieri debeat: Ex pluribus, qui simul deliquerunt, aliqui saltem pœna capitali afficiendi sunt (§. 1031.). Cum vero, si eadem obtineat, supponatur, omnes, qui decimantur, idem delictum admisisse, quod nempe capite plectendum est (§. 1032.): Ratio intrinseca non adest, cur hi potius capite luant, quam alii (§. *1004. Log. WOLF.*). Certo itaque consilio fieri nequit & dubium est, quinam præ reliquis supplicio dandi sint. Quamobrem cum in eo casu ad sortem confugere liceat (*§. 296. Part. 5. Jur. nat. ej.*); Imo debeat, si negotium exitum aliter nequeat habere (*§. 853. Part. 8. ibid.*): Patet, quod decimatio militum, quemadmodum in genere, sorte fieri debeat.

Accedit & hoc. Cum omnes, qui decimantur, pœnam capitalem, adeoque mortem promeruisse supponantur (*per hypoth. & §. 1032.*); Non omnes tamen eadem debeant affici (§ 1031.); Et ratio intrinseca non adsit, cur ex omnibus illis hi potius quam alii supplicio dentur (*per dem. §. hoc*); Æquum tamen est, ut omnes saltem periculo ejusdem æqualiter subjiciantur. Quod cum fiat, si sorte, aleæ jactu ex. gr. instituatur: Vel ex hac ratione sorte instituendam esse decimationem, evicit auctor supra memoratus (*§. 39. Diss. de Decim. delinq.*). Id quod etiam

etiam jam agnovit CICERO. *Statuerunt*, inquit enim, *majores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet in omnes, pœna vero ad paucos pertineret.* Uti ex oratione ejus pro Cluentio allegat DAV. STAVINSKY (*§. 22. Cap. 1. Diss. de Jure princ. pœnas lege div. determ. mitig. vel remitt.*).

§. 1034.

Inter quos obtineat.

Decimatio fieri nequit, nisi inter eos, qui æqualiter deliquerunt.

Cum enim decimatio sorti sit subjicienda (§. 1033.); Per sortem vero determinatio fortuita fiat (*§. 295. Part. 5. Jur. nat. WOLF.*). In decimatione fortuita fit determinatio eorum, quinam inter plures supplicio dandi sint (§. 1031.). Quodsi itaque non omnes, qui decimantur, æqualiter deliquerint: Fieri æque posset, ut supplicio subjicerentur, qui non adeo graviter deliquerunt, quam alii qui a capitis pœna eximerentur; Adeoque illi, qui minus deliquerunt, gravius punirentur iis, qui gravioris delicti rei sunt. Quoniam vero, qui gravius delinquunt, graviori etiam pœna sint afficiendi (§. *626. Part. 8. loc. cit.*).

Principio huic repugnaret, adeoque absurdum foret, si, qui decimantur, æqualiter non deliquerint. Quamobrem cum quod contradictionem involvit, impossibile sit (*§. 518. Log. WOLF.*); Adeoque fieri nequeat: Patet, quod decimatio fieri nequeat, nisi inter eos, qui æqualiter deliquerunt (*§. 552. loc. cit.*).

§. 1035.

Quid eam præcedere debeat.

Si itaque decimatio fieri debeat: Ii, qui in delicto a pluribus commisso gravius vel minus etiam deliquerunt, antea eximendi & peculiariter puniendi sunt; Gravius nempe aut mitius, prout plus vel minus deliquere.

Cum enim æqualia dicantur, quæ salva quantitate sibi mutuo possunt substitui (*§. 349. Ontol. WOLF.*): Qui gravius delinquit, æqualiter delinquere dici nequit ei, qui minus. Qui itaque in delicto a pluribus commisso gravius vel minus deliquerunt: Æqualiter deliquisse dici nequeunt cum iis, qui non adeo graviter, aut gravius peccarunt. Quare cum decimatio fieri nequeat, nisi inter eos, qui æqualiter deliquerunt (§. 1034.): Patet, quod ii, qui in delicto a pluribus commisso gravius, vel minus etiam deliquerunt, eximi debeant, si decimatio sit facienda. *Q. e. i.*

Cum

Cum hi tamen deliquiſſe, & vel gravius iis, qui decimantur, ſupponantur (*per hypoth.*); Gravius vero delinquentes, gravius etiam ſint puniendi; Adeoque mitius, qui minus (§. 626. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet etiam, quod ii, qui gravius aut minus inter plures deliquerunt, peculiariter ſint puniendi; Gravius ſcilicet vel mitius, prout plus vel minus iis deliquerint, qui decimantur. *Q. e. d.*

§. 1036.

Quare cum auctores delictorum gravius delinquant iis, qui per eos ad illa commoventur (§. 628.); Ii vero, qui in delicto a pluribus commiſſo gravius delinquunt, eximendi antea & peculiariter puniendi ſint, ſi decimatio fieri debeat (§. 1035.): *Auctores delicti a pluribus commiſſi eximendi antea & peculiariter puniendi ſunt, ſi decimatio inſtituenda eſt.* *Auctores delicti eximendi.*

§. 1037.

Porro cum milites, qui initium faciunt fugæ ex acie, ſint auctores ejusdem, adeoque delicti (§. 631.); Auctores vero delicti a pluribus commiſſi a decimatione ſint eximendi & peculiariter puniendi (§. 1036.): *Si propter fugam ex acie a pluribus commiſſam decimatio facienda eſt: Ii, qui initium illius fecere, antea eximi & peculiariter puniri debent.* *Qui primi ex acie fugiunt.*

Cum fuga ex acie capite plecti poſſit (§. 963.); Pœna vero capitalis in decimatione ſupponatur (§. 1031.): Facile apparet, quod decimationi circa fugam ex acie locus ſit, ſi nempe a pluribus committatur. Imo eadem & ſeditio proprie ea ſunt delicta, in quibus potiſſimum locum ſibi vindicat decimatio. Uti & peculiariter adhuc in ſequentibus oſtendetur.

§. 1038.

Similiter cum ii, qui ad ſeditionem alios concitant, ſint auctores ejusdem (§. 627.), adeoque delicti militaris graviſſimi (§. 629); Seditio vero plures ſupponat, qui eandem ſuſcipiunt (§. 619.); Et auctores delicti a pluribus commiſſi a decimatione antea ſint eximendi & peculiariter puniendi (§. 1036.): *Si propter ſeditionem fieri debeat decimatio: Ii, qui ad eandem alios concitarunt, antea eximendi & peculiariter, gravius nempe (§. 1013.), puniendi ſunt iis, qui per eos commoti fuere.* *Qui ad ſeditionem concitarunt.*

Quod præter fugam ex acie, ſi a pluribus committatur, circa ſeditionem potiſſimum locum ſibi vindicet decimatio, ad §. præced. jam monuimus.

§. 1039.

Quomodo puniendi reliqui.

Si fiat decimatio militum: Reliqui, quibus pœna capitalis non contingit, absque omni pœna dimittendi non sunt, sed alia pœna, quæ capitali mitior est, afficiendi.

Licet enim, si plures milites una delinquant, non omnes pœna capitali afficiendi sint (§. 1030.): Hoc tamen saltem fit propterea, ne numerus militum nimis minuatur, vel exercitus ultra, quam par est, debilitetur (*per dem. eod.*). In eo itaque ratio sufficiens ponenda est, cur non omnes, qui una deliquerunt, capite plectantur (§. *56. Ontol. WOLF.*). Cum vero non per omnem pœnam pereant milites, aut tales esse desinant (*per not.*): Puniri milites possunt absque diminutione numeri eorum vel exercitus debilitatione. Non itaque eadem ratio adest, cur ii, qui ex pluribus delinquentibus a pœna capitali eximuntur, nulla alia affici debeant. Contra cum & hi deliquerint (*per hypoth.*); Milites vero delinquentes puniendi sint (§. 761.): Adest potius ratio sufficiens, ut & iidem, licet non capitali, sed alia mitiori pœna plectantur. Quare cum uti posita ratione sufficiente ponendum sit, ita & cessante ea cesset quoque, quod propter eam est (§. *118. loc. cit.*): Apparet, quod ii, quibus per decimationem pœna capitalis non contingit, absque omni pœna dimitti non debeant, sed alia quadam mitiori affici.

Quomodo in reliquos, qui per decimationem a pœna capitali eximuntur, jam apud Romanos sit animadversum, & adhuc hodie illud fiat, memoratur a DOBERMANNO (§. 59. *loc. ad* §. 1030. *cit.*).

§. 1040.

Quali?

Pœna, qua milites reliqui, qui per decimationem eximuntur a capitali, afficiuntur, talis esse nequit, quæ ipsos militia privaret, sed talis esse debet, quacum militia ejusque actualis præstatio subsistere potest.

Ratio enim sufficiens, cur in delicto a pluribus commisso non omnes pœna capitali plectantur, sed decimatio fiat, in eo est, ne numerus militum nimis minuatur, & exercitus eo, ultra quam par est, debilitetur (*dem.* §. *1039.*). Si vero ii, qui per decimationem a pœna capitali eximuntur, alia pœna, quæ cum militia ejusque præstatione subsistere non posset, sed potius eadem ipsos privaret, afficerentur: Militum numerus æque minueretur & exercitus eo debilitaretur, quam si supplicio darentur. Eadem itaque adest ratio, ut pœna militiam tollente non afficiantur, quam ne capite plectantur. Quare cum posita ratione sufficiente ponendum etiam sit, quod propter eam est (§. *118. Ontol. WOLF.*): Patet etiam, quod pœna, qua reliqui per decimationem a capitali exemti

emti afficiuntur, talis esse debeat, quæ cum militia potest subsistere, neque adeo talis esse possit, quæ eosdem militia privaret, aut hujus præstationem saltem impediret.

Quali pœna afficiendi sint ex decimatione superstites, ulterius non determinavit, sed solum durius ipsos tractandos asserit pluries laudatus auctor (§. 59. *Diss. de Decim. delinq.*). In hoc itaque §. principium generale stabilimus, qualis esse debeat vel non possit pœna eorum. Ex quo dijudicari poterit, quænam in specie pœnæ locum habeant, vel non. Id quod ulterius adhuc de quibusdam generibus vel speciebus deducemus.

§. 1041.

Pœna itaque, *qua milites reliqui ex decimatione superstites afficiuntur, infamis esse nequit.* Sive: *Militibus ex decimatione superstitibus imponi nequit pœna infamis.* ***Non infami.***

Cum enim miles, qui pœna infami afficitur, infamis fiat (§. 949.); Miles vero infamis factus miles nequeat manere (§. 812.): Pœna quæcunque infamis talis est, quacum militia nequit subsistere, sed quæ potius militem eadem privat. Quamobrem cum milites, qui per decimationem a pœna capitali liberantur, tali nequeant affici, quæ militia ipsos privaret (§. 1040.): Nec pœna infami eosdem plecti posse, apparet.

Si leges positivas & usum spectes: Fieri equidem etiam solet, ut pœna infamis in hoc casu statuatur. In deditione enim festinata id plerumque obtinet, ut reliqui, qui per decimationem a pœna capitali liberantur, infames declarentur & mittantur. Quod etiam, cum hic conservatio militum non adeo attendatur, non omni ratione destituitur. Si tamen in genuinam decimationis rationem inquiras, qualem eam tradidimus (§. 1030.): Eidem illud contrarium deprehendi, negari non poterit. Et dubitamus etiam, an pœnæ eidem locus facile concedatur, si numerus delinquentium major sit.

§. 1042.

Cum vero militiam non amittat miles, qui pœna famam minuente afficitur (§. 874.); Adeoque cum hac militia possit subsistere; Tali vero pœna, quacum militia subsistit, affici possint milites ex decimatione reliqui (§. 1040.): *Milites, qui per decimationem a pœna capitali liberantur, pœna famam minuente affici possunt.* ***Bene vero famam minuente.***

Non tamen quavis pœna famam minuente ipsos affici posse, inde consequitur. Dantur enim etiam tales pœnæ famam minuentes, quæ militiæ privationem involvunt. Qualis est remotio a militia sive cassatio (§. 895.). Hic itaque aliud nihil asseritur, quam quod pœna eorum, qui ex decimatione reliqui sunt, esse possit ex numero famam minuentium.

§. 1043.

In specie in fuga ex acie.

Si propter fugam ex acie decimatio fiat: Milites ex ea reliqui pœna famam minuente plecti convenit.

Fugam enim ex acie proprie quidem pœna infami plecti convenit (§. 961.); Adeoque si capite plectenda sit, suspendio (§. 964.). Cum autem hic supponatur, fieri decimationem (*per hypoth.*); Militibus vero ex decimatione reliquis pœna infamis imponi nequeat (§. 1041.): Milites etiam ex decimatione propter fugam ex acie facta reliqui, pœna infami affici non poterunt. Cum tamen fuga ex acie famæ militum maxime repugnet (§. 608.): Ut etiam tali pœna, si potest, plectantur, quæ famam afficit, convenit (*dem. §. 961.*). Quare cum pœnæ famosæ, sive, quæ circa famam militum versantur (§. 868.), vel infames sint, vel famam minuentes (§. 869.); Pœna autem infami plecti nequeant milites ex decimatione propter fugam ex acie superstites (*per demonstrata*): Quod pœna saltem famam minuente ipsos affici, conveniat, apparet.

§. 1044.

Quali in specie pœna.

Quamobrem cum commoratio extra vallum & castra, item mereri absque signis, sive privatio signorum, ut & purgatio castrorum, sint pœnæ famam militum minuentes, & quidem militares (§. 895. 896.), quæ pluribus conveniunt; Quibus tamen milites non impediuntur, quo minus militiam præstent (*per not.*): *Ut milites ex decimatione propter fugam ex acie reliqui extra vallum & castra tendere, ut & absque signis mereri, imo purgare castra jubeantur, convenit* (§. 1040. 1043.).

Hæ quidem etiam eæ sunt pœnæ, quæ ipsis legibus positivis in superstites ex decimatione propter fugam ex acie facta statuuntur. Hancce itaque juris positivi dispositionem optima niti ratione ex consensu ejusdem cum iis, quæ ex ipsis juris naturæ principiis eliciuntur, apparet.

§. 1045.

In quibus delictis obtineat decimatio.

Decimatio militum locum habet in omnibus illis eorum delictis, in specie etiam militaribus, quæ a pluribus committuntur, & pœna capitali coerceri debent.

Per decimationem enim ex pluribus, qui una delinquunt, certus demum numerus seligitur, qui pœna capitali plectantur (§. 1031.). Ut itaque decimatio fiat, adesse debent plures, qui una deliquerunt, & propterea capite plecti possent. Quamobrem cum facile appareat, in omnibus militum delictis, in specie etiam militaribus, quæ a pluribus commit-

committuntur, & pœna capitali coercenda sunt, hæc adesse: Patet etiam, quod in illis locum habeat decimatio.

Satis ita determinata videntur delicta, in quibus obtinere potest decimatio: Cum plures tradat regulas auctor sæpe citatus (§. 49. *Diss. de Decim. delinq.*); Quæ vero decimationem potius tanquam pœnam, quam ejus remissionem aut mitigationem supponunt. Quod autem perperam fieri, ex iis elucescet, quæ ad §. 1047. monebuntur.

§. 1046.

Hinc cum seditio plures supponat (§. 619.); Eadem vero simul detrectationem servitiorum militarium & resistentiam imperii, sive recusationem obedientiæ (§. 618.), involvat (§. 619. cit.); Adeoque hæc etiam delicta a pluribus committi possint; De fuga ex acie, deditione festinata, desertione & transfugio vero idem constet; Hæc autem delicta omnia capite plecti possint (§. 963. 971.); Atque adeo ita sint comparata, ut in illis decimatio locum habere possit (§. 1045.): *In seditione militari, detrectatione servitiorum, recusatione obedientiæ, vel resistentia imperii, fuga ex acie, deditione festinata, desertione & transfugio locus est decimationi.* *In quibus in specie.*

§. 1047.

Decimatio militum, quemadmodum in genere, est modus aggratiandi. *Est modus aggratiandi.*

Omnes enim, inter quos fit decimatio, pœnam capitalem promeruerunt (§. 1031.). Cum vero per illam fiat, ut hac non nisi quidam ex iisdem afficiantur (§. *cit.*): Reliqui aut nulla plane, aut alia non capitali pœna plectuntur. Et cum absque omni pœna dimitti non debeant: Tali tamen saltem afficiuntur, quæ capitali mitior est (§. 1039.). Quamobrem cum is, qui puniri poterat, non puniatur, pœna dicatur remitti (§. *1089. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*); Si vero leviori saltem afficitur, qui graviori poterat, mitigari (§. *1090. loc. cit.*): Per decimationem fit, ut majori delinquentium numero pœna vel plane remittatur, vel mitigetur saltem. Cum itaque pœnarum remissio & mitigatio aggratiationem efficiat (§. *843. Part. 8. loc. cit.*); In decimatione vero singulari modo fiat, ut a pœna capitali, quam omnes promeruere, maxima pars liberetur: Dum nempe illi, qui eadem afficiendi sunt, forte determinentur (§. 1033.): Patet, quod decimatio tam in genere, quam militum in specie sit modus aggratiandi.

Idem statuit auctor dissertationis *de decimatione delinquentium* (§. 43.): Licet simul eandem pro modo sumendi pœnam capitalem & speciem ju-

 ris

juris vitæ & necis venditet (§. 44.). Quod vero minus accurate dici videtur. Decimatio enim non jus pœnam capitalem sumendi, aut jus vitæ & necis, quod dicitur, demum tribuit, sed illud jam supponit. Ii enim, qui decimantur, tales sunt, qui jure capite plecti possent (§. 1031.). Cum vero non iidem omnes supplicio dentur: Decimatio jus pœnam potius tollendi, quam sumendi tribuit. Modus etiam, quo pœna capitalis ab iis, qui decimantur, sumitur, determinatus jam est, ut v. gr. suspendio afficiantur, quos sors tangit; Neque adeo per decimationem demum determinatur. Minus recte itaque dici, quod sit modus sumendi pœnam, apparet. Auctori supra laudato id vero ex minus exacte formata decimationis definitione evenisse arbitramur, dum eam pœnam dixerit: Cum potius tanquam aggratiationis species, quam ipse eam vocat, pœnæ potius remissio vel mitigatio sit (*per allegata.*).

§. 1048.

Pœna quando tollatur.

Si a malo, in quo pœna consistit, liberatur, qui hac fuit affectus; Pœna tollitur.

Pœna enim in malo, physico nempe, quod cuidam propter delictum infligitur, consistit (*def.* §. 761.): Quod si itaque a malo illo quis liberetur, cui idem fuit inflictum, hunc pœnam amplius non pati, adeoque pœnam amplius non adesse, apparet. Quamobrem cum facile intelligatur, quod pœna tollatur, si efficiatur, ut is, cui eadem fuit inflicta, eam amplius non patiatur, seu ut pœna amplius non adsit; Sed idem potius sit, ac si eandem non fuerit perpessus: Patet etiam, quod si a malo, in quo pœna consistit, liberetur, qui hac fuit affectus, pœna tollatur.

Quæ hic & §§. seqq. demonstrantur, juris non proprie militaris, sed criminalis in genere sunt. Cum vero istis tanquam principiis opus habeamus ad demonstranda alia, quæ militum propria sunt: Neque tamen eadem aliunde liceat supponere: Ut ea hic inferamus, necesse fuit.

§. 1049.

Si ademta restituantur.

Si itaque ea, quæ cuidam, & in specie militi, in pœnam ademta sunt, restituantur: Pœna tollitur.

Pœnæ enim & in specie militum, adeoque & malum, quod iisdem infertur, in privatione rerum quarumlibet consistere possunt (§. 775.). Quod si itaque ea, quibus quis in pœnam privatus est, ipsi restituantur, illum a malo, in quo pœna consistit, liberari apparet. Quare cum in hoc casu pœna tollatur (§. 1048.): Eandem etiam tolli patet, si cuidam & in specie militi restituantur ea, quæ ipsi in pœnam fuere ademta.

§. 1050.

§. 1050.

Quamobrem cum pœna tunc demum tollatur, si a malo, in quo eadem consistit, quis liberetur (§. 1048.), aut in specie si ipsi restituantur, quæ in pœnam eidem ademta fuere (§. 1049.): *Si a malo, in quo pœna consistit, liberari quis, in specie miles, nequeat: Aut ipsi restitui non possint, quæ in pœnam fuere ademta: Pœna tolli nequit.* *Quando tolli non possit.*

§. 1051.

Pœnæ corporis afflictivæ, quæ in dolore saltem faciendo in corpore consistunt, tolli nequeunt. *Non corporis afflictiva.*

Pœnas enim & in specie militum in dolore corpori inferendo consistere quoque posse (§. 774.), & easdem corporis afflictivas appellari constat (§. 776.). Malum itaque, quod iisdem infertur, est dolor in corpore. Si itaque pœna talis tolli deberet: A dolore isto liberandus esset, qui eundem fuit perpessus (§. 1048.). Cum vero dolor hic non continuus, sed transiens saltem supponatur: Efficiendum esset, ut idem sit, ac si eodem non fuerit affectus. Cum vero impossibile sit, ut factum fiat infectum (*per not.*): Fieri etiam nequit, ut a malo liberetur, qui pœna corporis afflictiva in dolore saltem faciendo consistente fuit affectus. Quare cum si a malo, in quo pœna consistit, liberari quis nequeat, nec pœna tolli possit (§. 1050.): Patet, quod nec pœna corporis afflictiva, quæ in dolore saltem faciendo consistit, tolli queat.

Sic miles, qui decursione per virgas sive vires fuit punitus, in integrum restitui nequit, ita, ut idem sit, ac si pœnam istam non esset perpessus. Adeoque eadem tolli nequit.

§. 1052.

Si pœna in corporis afflictione continua consistat, & ab hac liberetur, qui ipsam in pœnam patitur: Pœna eadem proprie non tollitur, sed tantum finitur. *Quando hæc finiatur.*

Si enim pœna corporis afflictionem continuam involvat, ab hac liberari posse eum, qui eandem patitur, facile apparet. Cum vero pœna corporis afflictiva dolorem in corpore inferat (*def.* §. 774.): Qui a corporis afflictione continua liberatur, dolorem istum eo usque jam fuit passus, in quo eadem consistit. Cum itaque fieri nequeat, ut idem sit, ac si eodem non fuerit affectus (*per dem.* §. 1051.): Nec a malo, in quo pœna talis consistit, hactenus saltem inflicto, liberari potest, licet eodem affici desinat. Quare cum si a malo, in quo pœna consistit, seu constitit potius, liberari quis nequeat, nec pœna tolli possit (§. 1050.):

Nec

Nec pœna tollitur, si a corporis afflictione continua, qua quis in pœnam afficitur, quis liberetur. *Q. e. 1.*

Cum vero a malo illo, quod in pœnam hactenus fuit inflictum, liberetur, qui idem patitur (*per hypoth.*): Pœnam amplius ei non infligi, adeoque eam desinere apparet. Quamobrem cum, quod esse desinit, finiatur: Pœnam etiam, quæ in corporis afflictione continua consistit, finiri patet, si ab ea liberetur, qui eandem hactenus fuit perpessus. *Q. e. 2.*

Non cuivis forsan statim perspecta erit differentia, quæ in eo ponitur, quod pœna vel tollatur, vel finiatur. Et ad subtilitates eadem fortasse rejicietur. Si vero eandem ad exemplum applicare lubuerit: Eam intrinseca ratione non destitui apparebit. Sic v. gr. si, qui ad opus publicum vel ad certos annos, vel vitæ dies condemnati sunt, annorum impletione, vel etiam ex singulari principis gratia ab hac pœna, quæ in corporis continua afflictione consistit, liberentur: Eadem finiri quidem dicitur. Tolli vero dici non poterit: Cum eo non efficiatur, ut idem sit, ac si eam non fuissent perpessi. Contra, si cui pecunia restituatur, quæ in mulctam ipsi fuit ablata: Idem esse intelligitur, ac si quis mulctatus non fuisset. Adeoque tunc non finitur, sed tollitur pœna: Cum ea pecuniæ solutione jam fuerit absoluta. Finiretur vero mulcta, si cui in pœnam fuerit dictatum, ut quovis ex. gr. anno certam pecuniæ summam solveret; Ab hac vero præstatione vel temporis lapsu, vel ex gratia liberetur.

§. 1053.

Capitalis tolli nequit.

Pœna capitalis & corporis afflictiva, quæ fit cum membri alicujus corporis amissione, tolli nequit.

Pœna enim capitali vita (*def. §. 776.*), & corporis afflictiva, quæ fit cum membri cujusdam amissione, membrum aliquod corporis adimitur ei, qui eadem afficitur. Vitam vero & membra corporis semel sublata restitui non posse constat. Quare cum si ea, quæ in pœnam ademta fuere, restitui nequeant, nec pœna tolli possit (§. 1050.): Patet, quod pœna capitalis & corporis afflictiva cum membri cujusdam corporis amissione conjuncta tolli nequeat.

§. 1054.

Quomodo mulcta tollatur.

Si militi, vel in genere cuivis, restituatur pecunia, quæ in pœnam ipsi fuit ablata: Mulcta tollitur.

Mulcta enim dicitur pœna, quæ in solutione pecuniæ præsertim consistit (*§. 590. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Qui itaque mulctam patitur: Ei pecunia in pœnam adimitur. Quamobrem cum si militi vel in genere cuivis

cuivis restituantur ea, quæ in pœnam ipsi fuere ademta, hæc tollatur (§. 1049.): Patet etiam, quod si eidem restituatur pecunia, quam in pœnam solvit, mulcta tollatur.

Cum hic ostendatur modus, quo mulcta tolli possit; Et, cum pecuniæ restitutionem fieri posse cuivis appareat, de modi ejusdem possibilitate dubitari nequeat: Liquet simul, quod mulcta tolli possit.

§. 1055.

Si cui restituantur jura, quæ in pœnam ipsi fuere ademta: Tollitur pœna, quæ per eorum ademtionem cuidam fuit illata. *Quomodo jurium ademtio.*

Si enim ea restituantur, quæ in pœnam alicui fuere ademta: Pœna tollitur (§. 1049.). Quare cum hic ponatur, jura cuidam in pœnam fuisse ademta (*per hypoth.*): Statim etiam apparet, quod si eadem restituantur, tollatur pœna, quæ per eorum ademtionem ipsi fuit illata.

§. 1056.

Cum itaque militi, qui fama privatur in pœnam, adimantur jura ea, quæ cum fama in civitate connexa sunt (§. 802.); Adeoque jura hæc militi in casu dato sint ademta in pœnam (*per hypoth.*): *Si militi, qui fama in pœnam privatus est, reddantur jura, quæ cum fama connexa sunt, pœna tollitur, quam per horum ademtionem passus fuit* (*§. 1055.*). *In specie eorum quæ famæ adhærent.*

§. 1057.

Si militi, qui fama in pœnam privatus est, reddantur jura, quæ cum fama connexa sunt: Ipsa fama illi restituitur. *Quomodo fama restituatur.*

Cum enim jura eadem cum fama, in sensu scilicet juris tali, connexa supponantur (*per hypoth.*): Ea a fama dependent (§. *14. Cosmol. WOLF.*); Adeoque rationem sufficientem in fama agnoscunt (*§. 851. Ontol. ejusd.*). Quare cum absque ratione sufficiente nihil esse possit (*§. 70. loc. cit.*): Si jura eadem debeant adesse, sive reddi, ipsa etiam fama adesse, sive reddi debet. Patet itaque, quod, si militi, qui fama in pœnam privatus est, reddantur jura, quæ cum fama sunt connexa, hæc ipsa illi restituatur.

§. 1058.

Cum si ea restituantur, quæ in pœnam alicui fuere ademta, pœna tollatur (§. 1049.); Fama vero militi in pœnam sublata supponatur *Eo tollitur pœna.*

tur (*per hypoth.*): *Si militi, qui fama in pœnam privatus est, eadem restiutatur: Tollitur pœna, quam per famæ privationem passus fuit.*

§. 1059.

Jurium etiam redditione. Hinc cum si cuidam reddantur jura, quæ cum fama connexa sunt, hæc ipsa restituatur (§. 1057.); Si vero fama restituatur, poena tollatur, quam quis per ejus privationem passus fuit (§. 1058.): *Si militi; qui fama in pœnam privatus fuit, reddantur jura, quæ cum fama connexa sunt: Pœna tollitur, quam per hujus privationem fuit expertus.*

§. 1060.

Quomodo pœna infamiæ. Quamobrem cum pœna, quam quis per privationem famæ & inde dependentium jurium patitur, pœna infamiæ dicatur (*def.* §. 804.); Pœna vero eadem cesset, si restituatur fama (§. 1058.), aut reddantur jura, quæ cum fama connexa sunt (§ 1056. 1059.): *Pœna infamiæ tollitur, si ei, qui eandem patitur, restituatur fama, sive reddantur jura, quæ cum fama connexa sunt.*

§. 1061.

Fama restitui potest. *Fama militi restitui potest, qua in pœnam fuit privatus.*

Cum jus in facultate morali agendi consistat (§. 156. *Part. 1. Phil. pract. univ.* WOLF.); Adeoque si facultas hæc agendi reddatur ei, qui ea fuit privatus, jus ipsi reddatur: Jura reddi posse, quorum in pœnam quis expers factus est, facile apparet. Jura itaque etiam reddi possunt, quæ cum fama connexa sunt, quibus vero quis in pœnam fuit privatus. Quare cum si jura hæc reddantur, fama simul restituatur (§. 1057.): Patet, quod militi fama possit restitui, qua in pœnam fuit privatus.

§. 1062.

Infami. *Militi itaque, qui infamia notatus, vel in pœnam infamis factus fuit, fama potest restitui.*

Miles enim, qui infamia notatur, sive quod idem est, qui in pœnam fit infamis (§. 806.), fama privatur in pœnam (§. 800.). Quare cum militi, qui in pœnam fama fuit privatus, eadem possit restitui (§. 1060); Restitui etiam poterit ei, qui infamia notatus, vel in pœnam infamis factus fuit.

§. 1063.

§ 1063.

Si militi, infami facto, fama restituatur: Reddi etiam ipsi debent jura, quæ cum illa connexa sunt. *Quid hoc involvat.*

Jura enim, quæ cum fama connexa sunt, rationem sufficientem in illa habent (*per dem.* §. *1057.*). Si itaque fama militi, infami facto restituatur: In eo ponitur ratio sufficiens illorum jurium. Quare cum posita ratione sufficiente ponendum etiam sit, quod propter eam est (§. *118. Ontol. WOLF.*): Ponenda etiam, sive ei reddenda sunt, jura ista, quæ cum fama connectuntur, si hæc restituatur.

§. 1064.

Si militi, infami facto, fama restituatur: Miles iterum fieri potest. *Miles fieri denuo potest.*

Ut quis enim miles fieri possit, inter ea jura referendum est, quæ cum fama connexa sunt (*per dem.* §. *812*). Quare cum miles, qui infamis fit in pœnam, juribus istis privetur (§. 809): Nec propterea miles manere potest (*§. 812. cit.*). Cum vero jurium eorum iterum particeps fiat miles, si fama ipsi restituatur (§. 1063.): Patet etiam, quod in hoc casu miles iterum fieri possit, qui infamis fuit factus.

Jure quidem civili statutum est, ut qui semel infamia notatus fuit, postea nec volens miles fieri possit (*l. 4. § 6. ff. de Re milit*). Quemadmodum vero hoc juris naturæ non esse, modo demonstravimus; Ita & alibi jam monuimus, quod observantiæ militari repugnet (*Schol. §. 812.*).

§. 1065.

Famæ restitutio est species remissionis pœnæ; Et ad jus aggratiandi referenda. *Famæ restitutio quale sit jus.*

Per famæ enim restitutionem tollitur pœna, quam per illius privationem quis fuit passus (*§. 1058.*). Amplius itaque non punitur, qui puniri poterat. Quamobrem cum si non puniatur, qui posset, pœna dicatur remitti (§. *1089. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Pœna quoque remittitur ei, cui fama restituitur. Et hinc patet, quod famæ restitutio sit remissionis pœnæ species. *Q. e. 1.*

Et cum jus pœnas remittendi ad jus aggratiandi pertineat (§. *843. Part. 8. loc. cit.*); Famæ vero restitutione fiat remissio pœnæ (*dem. n. 1.*): Famam restituere nequit, nisi qui jure aggratiandi gaudet.

Atque hinc simul elucet, quod famæ restitutio ad jus aggratiandi referenda sit. *Q. e. d.*

Hæc & alia ad jus potius criminale in genere spectantia, propterea hic evincuntur, quia ad demonstranda alia faciunt, quæ juris proprie militaris sunt, neque eadem aliunde supponere liceat. Uti pluries jam monuimus.

§. 1066.

Cui competat. *Famæ restitutio non competit nisi superiori in civitate sive principi.*

Famæ enim restitutio ad jus aggratiandi pertinet (§. 1065.). Cum itaque hoc sit jus majestaticum (§. *843. cit.*): Famæ restitutio etiam competere nequit, nisi qui juribus majestaticis gaudet. Jura majestatica vero dicuntur, quæ ad summum imperium pertinent (§. *207. loc. cit.*). Competere itaque nequeunt, nisi qui hoc habet. Quare cum is, cui imperium summum in civitate competit, superior dicatur (§. *141. ibid.*): Patet etiam, quod famæ restitutio non competat, nisi superiori in civitate sive principi.

§. 1067.

Declarari debet. *Ut militi fama restituatur, illud a principe debet declarari.*

Cum enim famæ restitutio principi competat (§. 1066): Illam ab ipsius voluntate pendere, facile intelligitur. Quare cum de voluntate cujusdam non constet, nisi declaretur: Patet, quod etiam a principe illud sit declarandum, si militi fama restitui debeat.

§. 1068.

Quot modis. Cum itaque voluntas alicujus verbis vel factis possit declarari (§. *3. Part. 3. loc. cit.*); Famæ restitutio vero declarari debeat (§. 1066.): *Fama militi vel verbis vel factis restitui potest.*

§. 1069.

Quo modo militi ipso facto. *Si miles, qui in pœnam infamis factus fuerat, miles iterum assumitur, sive constituitur: Eidem ipso facto fama restituitur.*

Ut enim quis miles fieri possit, inter ea jura referendum est, quæ cum fama connectuntur (*dem.* §. *1064.*). Si itaque miles quis constituatur, qui infamis fuit factus: Ei jus redditur, cum famæ connexum. Quare cum militi, qui fama in pœnam privatus est, sive quod idem est, qui in pœnam infamis fuerat factus (§. 807.), reddantur jura, quæ cum fama sunt connexa, hæc ipsa illi restituatur (§ 1057.): Patet

Patet etiam, quod militi fama ipso facto restituatur, si qui infamis factus fuerat, miles iterum assumatur sive constituatur.

Licet militibus fama ipso facto non soleat restitui (*per exper.*): Quod tamen possit, per demonstrata dubitari nequit. Utique vero constare debet, quod infamis fuerit factus, si ex eo, quod miles reassumatur, famæ restitutio concludi debeat. Uti recte monet Dn. WAGA (§. 22. *Diss. de Restit. famæ per vex.*).

§. 1070.

Ut tamen famæ militum restitutio non solis verbis, aut nudo facto absolvatur, sed actu quodam publico, adhibitis ceremoniis, fiat, convenit. *Quis modus conveniat.*

Infamationem enim militum actu quodam publico fieri, neque sola sententia absolvi, convenit (§. 833.). Cum itaque per infamationem miles infamis declaretur (§. 824.); Adeoque fama privetur (*dem.* §. 807.): Famæ privationem militum actu publico corporali peragi convenit, uti & plerumque solet. Ea vero, quæ publice & actu corporali sive adhibitis ceremoniis peraguntur, cum in sensus incurrant, majori vi animis inprimi constat. Quamobrem cum per famæ restitutionem infamatio sive famæ privatio removeri seu tolli debeat (§. 1058.): Tolli etiam debet impressio ista, quæ per famæ publicam & solennem privationem sive infamationem incussa fuit. Cum itaque facile intelligatur, hoc aptius fieri non posse, quam si eodem, sensus adeo fortiter tangente, modo restituatur fama, quam quo fuit ablata: Patet etiam, quod conveniat, famæ restitutionem militi fieri actu quodam publico, adhibitis ceremoniis.

§. 1071.

Modus militaris famam per vexillum restituendi, symbolicus est & optime convenit. *Modus per vexillum convenit.*

Quodsi enim per vexillum fama cuidam debeat restitui: Vexillum super capite ipsius vibratur, addita famæ declaratione (*per hypoth.*). Cum itaque vexilla sint signa militum honorifica & ab antiquo jam fuerint (*per not.*): Per hunc actum is, cui fama restituenda est, dignus declaratur, qui sub signis mereri, adeoque miles fieri possit. Cum vero, si cui jus militiæ reddatur, fama simul restituatur (§. 1069.): Actus iste vexillum movendi super caput ejus, cui famæ restitutio fieri debet, hancce optime repræsentat. Quare cum res symbolice fieri dicatur, si actus eandem repræsentativus celebre-

tur (*§. 50. Disp. de Imposs. poss. in diem tradit. symb.* CRAMERI): Patet, quod modus iste sit symbolicus. *Q. e. 1.*

Et cum hic actus famæ restitutionem optime repræsentet (*per dem. n. 1.*): Fortiter etiam hæc animis inprimitur. Cum itaque conveniat, ut æque fortiter sensus tangente modo fama restituatur, quam auferri solet (*per dem. §. 1070.*). Optime etiam hunc modum famæ restitutioni convenire apparet. *Q. e. 2.*

De hac famæ per vexillum restitutione peculiarem dissertationem habuit STEPH. WAGA, Regiomonti 1730., quæ cum illa de eo, q. j. e. circa pœn. mil. ignom. recusa prodiit Lipsiæ 1744. In qua tamen non eam solum tractat, sed & plurima, quæ a militibus committuntur, delicta percurrit.

§. 1072.

Nomen patibulo affixum refigendum.

Si militi fama debeat restitui, cujus nomen patibulo affixum est, hoc refigi debet.

Cum affixio nominis in patibulo pœna infamiæ sit (*§. 848.*): Facile patet, per eandem infamiam inferri ei, cujus nomen affixum est. Quamobrem cum si fama cui restituitur, pœna infamiæ tollatur (§. 1060.); Tolli etiam debet id, per quod infamia infertur. Cum itaque hoc fiat, si nomen, quod patibulo affixum erat, refigatur (*per hypoth.*): Elucet, quod hoc fieri etiam debeat, si fama restituenda sit ei, cujus nomen patibulo est affixum.

§. 1073.

Quod a pœna infami liberat.

Si desertoris sponte reversi nomen, quod patibulo affixum est, refigatur: Alia quam infami pœna plecti poterit.

Etsi enim conveniat, desertorem sponte reversum, si nomen ejusdem patibulo jam sit affixum, pœna infami plecti (*§. 996.*): Ratio tamen hujus convenientiæ saltem in eo continetur, quod nomen ejus patibulo affixum sit (*per dem. ibid.*). Cessat itaque ratio eadem, si nomen refigatur, adeoque fama ipsi restituatur (*dem. §. 1072.*). Quamobrem cum uti posita ratione sufficiente ponendum sit, ita ea cessante cesset etiam, quod propter eam est (*§. 118. Ontol. WOLF.*): Patet, quod desertor sponte reversus alia etiam, quam infami pœna plecti possit, si nomen ejus, quod patibulo affixum est, refigatur.

§. 1074.

Quis famæ restitutione indigeat.

Restitutione famæ opus non habet miles, nisi infamis.

Resti-

Restitutio enim supponit, quod sublatum sit id, quod restitui debet. Quod per se intelligitur. Si itaque fama debeat restitui, hoc supponit, quod eadem fuerit ademta. Quamobrem cum miles, qui infamia notatur, sive infamis sit in pœnam (§. 806), fama saltem penitus privetur (§. 857.): Patet etiam, quod famæ restitutione non egeat miles, nisi infamis.

§. 1075.

Non is, cujus fama saltem minuitur.

Hinc cum miles, qui pœna famam saltem minuente afficitur, infamis non fiat (§. 871.); Restitutione famæ vero non indigeat miles, nisi infamis (§. 1074): *Restitutione famæ etiam non eget miles, qui pœna famam saltem minuente affectus est, si hæc tolli debeat.*

§. 1076.

Quomodo pœna famam minuens tollatur.

Si pœna famam militis minuens tolli debeat: Restituendum est id, quod per eandem fuit ademtum. Et vice versa: *Si militi restituatur id, quod per pœnam famam minuentem ipsi fuit ademtum: Hæc tollitur.*

In genere enim si ea, quæ militi in pœnam ademta sunt, restituantur, pœna tollitur (§. 1049.); Adeoque ut pœna tollatur, restitui debent, si quæ per eandem ademta fuere (§. 1050.). Quamobrem cum per pœnas famam militum minuentes, privatio famæ particulis fiat (§. 864.); Adeoque utique aliquid adimatur: Patet, quod istud restituendum sit, si pœna famam militis minuens tolli debeat, Et quod vice versa hæc tollatur, si illud restituatur.

§. 1077.

Per partis famæ restitutionem.

Quare cum per pœnam famam minuentem fama pro parte priventur milites (§. 864.); Ut vero pœna ista tollatur, restitui debeat, quod per eam fuit ademtum (§. 1076.): *Si pœna famam militis minuens tolli debeat: Pars famæ, qua privatus fuit, ipsi restituenda est.*

§. 1078.

Per jurium redditionem.

Et cum miles, qui fama minuitur, juribus quibusdam privetur (§. 873.); Ut autem tollatur pœna, quam quis per jurium quorundam ademtionem passus fuit, hæc debeant reddi (§. 1055.): *Si pœna famam militis minuens tolli debet: Reddi debent jura, quæ per eandem fuere amissa.*

§. 1079.

§. 1079.

Quomodo fama redintegretur. *Si militi famæ diminutionem passo, restituatur id, quod per eandem amisit: Fama ejus redintegratur.*

Cum enim famæ diminutio sit privatio famæ partialis (§. 861.): Miles, qui illam passus fuit, partem famæ amisit. Cum itaque totum omnibus suis partibus demum conficiatur (§. 342. *Ontol. WOLF.*): Famam militis integram non esse, qui ejusdem deminutionem fuit passus, apparet; Sed eidem deest, quod per famæ deminutionem ademtum est. Quamobrem cum si id, quod integro deest, eidem reddatur, illud dicatur redintegrari (*per def.*): Patet, quod fama militis redintegretur, si ipsi restituatur id, quod per ejusdem diminutionem amisit.

§. 1080.

Quomodo hoc opus sit, aut fiat. Quare cum si pœna famam militis minuens tolli debeat, illud restituendum sit, quod per illam ademtum fuit, & contra, si hoc restituatur, illa tollatur, (§. 1076.); Si vero hoc restituatur, fama redintegretur (§. 1079.): *Si pœna famam militis minuens tolli debet; Fama ejus redintegranda est;* Et vice versa; *Si fama militis pœnam hujus minuentem passi redintegratur: Pœna hæc tollitur.*

§. 1081.

In quibus in specie. *Si miles, qui in pœnam a militia vel plane fuit remotus, vel gradu ejusdem saltem depositus, in illam recipiatur, vel ad pristinum gradum evehatur: Fama ejus redintegratur.*

Miles enim, qui in poenam a militia vel plane fuit remotus, vel ejus gradu saltem depositus, famæ diminutionem passus est (§. 880.). Si vero militi hanc passo restituatur, quod per eam ipsi deest, fama ejus redintegratur (§. 1079.). Quare cum facile intelligatur, quod militi, qui in poenam a militia fuit remotus, si in eam recipiatur, & ei, qui gradu saltem fuit depositus, si ad hunc rursus evehatur, restituatur id, quod ipsi in poenam fuit ademtum: Patet etiam, quod in iis casibus fama ejusdem redintegretur.

§. 1082.

Specialius adhuc. *Remotio a militia, depositio de gradu, dimissio absque literis, cassatio, in deteriorem militiam detrusio, degradatio ad excubias positio & equitis ad pedites transmissio tolluntur, & militum, qui easdem passi sunt,*

ſunt, fama redintegratur, ſi in militiam recipiantur, vel ad priſtinum ejus gradum evehantur.

Omnes enim, quæ recenſitæ fuere, pœnarum ſpecies, ſunt pœnæ famam militum minuentes (§ 895). Milites vero, qui iisdem afficiuntur, vel a militia plane removeri, vel gradu ejus ſaltem deponi apparet. Quare cum militibus, qui a militia remoti vel gradu depoſiti ſunt, reſtituatur id, quod ipſis in pœnam deeſt, ſi in militiam recipiantur, vel ad priſtinum gradum evehantur (*per dem.* §. *1081.*); Si vero militi reſtituantur ea, quæ in pœnam ipſibus fuere ademta, pœna eadem tollatur (§.1049.): Tolluntur etiam omnes iſtæ pœnæ, ſi in militiam recipiantur & ad priſtinum gradum evehantur, qui iisdem fuerunt affecti. *Q. e. 1.*

Et cum militis, qui in pœnam a militia fuit remotus, vel gradu depoſitus, fama redintegretur, ſi in illam recipiatur, vel ad hunc rurſus evehatur (§. 1081.); Milites vero, qui enumeratas pœnas patiuntur, a militia vel removeantur, vel gradu ſaltem deponantur (*per dem. n 1.*): Patet etiam, quod eorum omnium fama redintegretur, ſi in militiam recipiantur, vel ad priſtinum gradum evehantur. *Q. e. 2.*

§. 1083.

Si milites, qui in pœnam extra vallum & caſtra tendunt, in illud vel hæc recipiantur: Fama eorum redintegratur. *In commoratione extra caſtra.*

Milites enim, qui in pœnam extra vallum & caſtra tendunt, fama minuuntur (§. 892.). Si vero militi fama minuto reſtituatur, quod propterea ipſi deeſt, fama ejus redintegratur (§.1079.). Quare cum ſi milites, qui in pœnam extra vallum aut caſtra tendunt, in eadem recipiantur, reddatur, quod in pœnam ipſis fuit ademtum (*quod per ſe patet*): Eo etiam famam eorum redintegrari claret.

§. 1084.

Similiter *ſi milites, qui in pœnam absque ſignis merentur, ſub hæc recipiantur, vel ſigna iisdem reddantur: Fama eorum redintegratur.* *In militia absque ſignis.*

Cum enim milites, qui in pœnam absque ſignis merentur, famæ diminutionem patiantur (§. 893.); Facile vero intelligatur, quod ſi iidem ſub ſigna recipiantur, ſive hæc ipſis reddantur, illis reſtituatur, quod in pœnam abeſt: Eodem etiam, quo antea (§.1083.), modo patet, quod tunc fama eorum redintegretur.

§. 1085.

Pœna eo tollitur.

Quare cum tendere extra vallum et castra, ut et mereri absque signis, sint pœnæ famam militis diminuentes (§. 895.); Hæ vero tollantur, si fama eorum redintegretur, qui easdem patiuntur (§. 1080.): *Pœnæ commorationis extra vallum & castra, item militiæ absque signis tolluntur, si milites easdem patientes in illa, vel sub hac recipiantur* (§. *1083. 1084.*).

§. 1086.

Castrorum purgatio quatenus tollatur.

Castrorum purgationis pœna, quatenus famam minuit, tolli potest; Non vero, quatenus simul est corporis afflictiva. Sed si ab ea liberentur milites, qui eidem subjacent, hæc eatenus saltem finiri dicenda est.

Castrorum enim purgatio, quæ fit in pœnam, pœna quidem famam minuens, non vero proprie pœna famæ diminutionis solum, sed ad minimum ex hac & corporis afflictiva mixta est (§. 896.). Quare cum pœna famam minuens tolli quidem possit (§. 1076.); Non vero corporis afflictiva (§. 1051. 1052.): Patet, quod & castrorum purgationis pœna, quatenus est famæ minuens, tolli quidem possit, non vero, quatenus simul est corporis afflictiva. *Q. e. 1.*

Castrorum autem purgatio in opere continuo peragendo consistit (*per not.*). Et quod ab eo liberari possit, qui in pœnam illud peragere debet, dubium esse nequit. Quare cum, si quis liberetur a pœna, quæ in corporis afflictione continua, adeoque & opere continuo peragendo, consistit, pœna eadem finiri dicenda sit (§. 1052.): Patet etiam, quod pœna purgationis castrorum, quatenus est corporis afflictiva, finiatur saltem, si ab ea liberetur, qui eandem patitur. *Q. e. 2.*

§. 1087.

Quando famæ redintegranda.

Militibus, qui famæ deminutionem in pœnam passi sunt, eandem redintegrari non convenit, nisi officio suo antea neglecto melius fungi coeperint.

Cum enim intersit, ut milites officiis suis bene fungantur (§. 140.); Absque motivis vero nulla in anima detur volitio (§. 889. *Psych. emp.* WOLF.): Ut motivis eo ducantur milites, convenit. Ut itaque etiam motivum præbeatur ad melius fungendum officio suo iis, qui idem neglexerunt, convenire apparet. Milites vero, qui famæ deminutionem in pœnam patiuntur, officio suo recte functos non esse constat (§. 879.). Ut itaque iisdem ad melius eo fungendu[...]va quoque præbeantur, convenit. Motiva vero in repræsentat[...]ni vel

vel mali consistunt (§. 890. *loc. cit.*). Quare cum fama, adeoque & si deminuta sit, ejus redintegratio, bonum sit (§. 638. *Part.* 1. *Jur. nat.* WOLF.); Et hinc si, qui fama minuti sunt, sciant, hanc ipsis non redintegrari, nisi melius officio suo neglecto fungi cœperint, motivum eo præbeatur ad eo enitendum: Patet etiam, quod militibus, famæ deminutionem passis, illam redintegrari non conveniat, nisi officio suo antea neglecto melius fungi cœperint.

Hoc etiam legibus militaribus plerisque statutum est, ut v. gr. ii, qui hosti terga verterunt, eo usque ad separatam extra castra commorationem, militiam absque signis & castrorum purgationem condemnentur, donec neglectum officii sui per facta virilia suppleverint.

§. 1088.

Si miles per poenam infamis fieri videri posset, qui talis tamen esse non debet: Hoc expresse declarari convenit. *Quis pro non infami declarandus.*

Cum enim infamia, quæ militi in pœnam imponitur, lege debeat statui (§. 795.), & infamia juris sit (§. 796.): Eandem ab arbitrio legislatoris sive superioris in civitate pendere, facile intelligitur. Ab arbitrio itaque legislatoris etiam pendet, an per pœnam miles infamis fieri debeat. Cum vero de voluntate cujusdam non constet, nisi eadem quocunque modo declaretur (*per not.*); Hic vero supponatur, quod miles per pœnam infamis fieri possit videri, qui talis tamen esse non debet (*per hypoth.*): Patet, quod in eo casu hoc declarandum sit, aut declarari saltem conveniat.

§. 1089.

Si expresse declaretur, quod infamis esse non debeat, qui videri talis possit: *Fama reservari* eidem dicitur. *Reservationis famæ definitio.*

Cum enim fama privetur, qui infamis sit, aut quod idem est (§. 806.), infamia notatur (§. 800.): Si quis infamis fieri non debeat, nec fama privandus est, sed hæc potius ipsi servanda. Convenit itaque, ut si hoc declaretur expresse, fama dicatur reservari.

§. 1090.

Si miles per pœnam infamis fieri videri posset, qui tamen talis esse non debet: Famam ei reservari convenit. *Quando ea conveniat.*

Si miles enim per pœnam infamis fieri videri posset, qui talis esse non debet: Hoc expresse declarari convenit (§. 1088.). Quare cum, si expresse declaretur, quod quis infamis esse non debeat, qui videri talis possit, fama dicatur reservari (§. 1089.): Patet, quod in illo casu conveniat, famam reservari.

Cum infamia, qua miles in pœnam afficitur, privationem jurium, quæ in civitate a fama dependent, involvat (§. 803.) & effectus civiles producat (§. 813.): Apparet, quanti intersit, ne quis pro infami reputetur, qui talis non est; Adeoque famam reservari ei, qui videri posset.

§. 1091.

Si dubium, an poena infamis.

Si dubium videri posset, an pœna, qua miles afficitur, ad infames sit referenda, quæ tamen infamis non est: Famam reservari convenit.

Cum enim per pœnam infamem infamis fiat, qui eam patitur (§. 849.): Si miles pœna quadam afficiatur, quæ dubia videri posset, an ad infames sit referenda: Videri posset, acsi miles per eandem infamis redderetur. Cum vero pœna ea infamis non sit (*per hypoth.*): Nec miles per eam infamis fieri debet. Quamobrem cum si miles per pœnam infamis fieri posset videri, qui tamen talis esse non debet, famam ei reservari conveniat (§. 1090.): Patet, quod hoc etiam conveniat in eo casu, si dubium videri posset, an pœna, qua miles afficitur, ad infames sit referenda, quæ talis tamen non est.

§. 1092.

Præsertim, si famam minuens sit.

Si itaque dubium videri posset, an pœna, quæ famam saltem minuens est, ad infames sit referenda: Famam reservari militi, qui ea afficitur, convenit.

Licet enim pœnæ famam militis minuentes solum ad infames non sint referendæ (§. 865.); Cum tamen eum his sub eodem quodam genere (§. 866.), famosarum nempe, contineantur (§. 869.): Dubium facile videri posset, an pœna, quæ famam minuens saltem est, ad infames sit referenda. Quoniam vero in eo casu, quo nempe dubitari posset, an pœna sit infamis, quæ talis non est, famam reservari convenit (§. 1091.): Patet, quod hoc etiam tunc conveniat, si de pœna famam minuente dubium videri posset, an ad infames sit referenda.

§. 1093.

Et in dimissione absque literis.

Quamobrem cum dimissio absque literis (§. 881.) & in specie cassatio simplex quæ dicitur, famam militis diminuat (§. 883.); Et, neutra licet, si in pœnam imponatur, ad pœnas infames referenda sit (§. 884.); Dubitari tamen de eo soleat interdum (*per hypoth.*); In hoc casu vero famam militi reservari conveniat (§. 1092.): *In dimissione absque literis & simplici, quæ dicitur, cassatione famam reservari non disconvenit.*

In

In contraria quidem sententia est Dn. WEND; dum frustra reservari putat, quod salvum et integrum permanet (§. 26. *Diss. de Pœn. mil. fam.*): Licet ipse negare non poterit, aliud ab aliis tam statui, quam usu obtinere. Cum vero per reservationem famæ nihil addi debeat; Sed declarari saltem, quod infamis non sit, qui videri possit, & dubium adeo saltem removeri, quod circa famam moveri posset; Quod quanti intersit, jam monuimus (*Schol.* §. 1090.): Patet, quod notione reservationis famæ determinata supposita, eadem nihil contradictionis involvat, sed quam optime potius conveniat.

§. 1094.

Cum vero cassatio, sicuti dimissio absque literis, ad pœnas infames referri nequeat, nisi expressa infamiæ in ea fiat mentio (§. 884.); Adeoque eædem pro pœnis infamibus haberi nequeant, etsi fama expresse non reservetur, modo infamiæ mentio expressa non fiat: *In dimissione absque literis & simplici cassatione famam expresse reservari necessitatis tamen absolutæ non est.* *Necessitatis tamen non est.*

§. 1095.

Omissa itaque in dimissione absque literis & simplici cassatione reservatio famæ easdem pœnas infames non efficit. *Omissa pœnas non efficit infames.*

Licet enim in dimissione absque literis & simplici cassatione famam reservari conveniat (§ 1093.): Cum tamen ambæ ad pœnas infames referri nequeant, nisi expressa infamiæ mentio fiat (§. 884.); Necessitatis illud non est absolutæ (§. 1094.). Quare cum contrarium ejus, quod necessarium non est, æque sit possibile (§. 279. *Ontol. WOLF.*); Adeoque reservatio famæ æque possit expresse fieri, quam omitti: Patet, quod ejus omissio in dimissione absque literis & simplici cassatione easdem pœnas infames non efficiat.

Absolvimus ita quoque ea, quæ de pœnis militum dicenda nobis visa fuere, & quantum ad theoriam eorum naturalem stabiliendam faciunt. Addi forsan possent adhuc specialiora: Quæ vero fundamentis positis facile superstruuntur. Speciminis itaque loco hæc sufficiant. Interea fere non dubitamus fore, ut prolixi nimis videamur iis, qui uno quasi intuitu omnia perspicere sibi persuadent. Qui vero methodi ad solidiorem doctrinam perveniendi leges non ignorant: Leviora etiam æque ferent, sine quibus ad altiora ascendere non licet.

Capitis quinti finis.



JURIS MILITUM NATURALIS

CAPUT VI.

DE FORO MILITUM ET PROCESSU MILITARI.

§. 1096.

Milites jura & obligationes acquirunt.

Milites jura acquirere & obligationes sibi contrahere possunt, tam qua cives, quam qua milites.

Milites enim usu juris civium communis gaudent, nisi quatenus ille per obligationes militares limitatur (§. 370.). Ad jus civium commune jus etiam contractuum pertinere constat. Et licet hoc quoad milites possit esse limitatum (§. 473. 474. 476.); Cum tamen milites non debeant esse deterioris conditionis paganis (§. 392.): Totum illud ipsis sublatum esse nequit, sed contractus, licet non omnes, ipsis adhuc licere debet celebrare. Cum itaque per contractus obligationes, perfectæ scilicet, producantur (§. 793. *Part.* 3. *Jur. nat.* WOLF.); Quibus & jura debent respondere (§. 23. *Part.* 1. *loc. cit.*): Per contractus tam obligationes contrahuntur, quam jura acquiruntur. Quare cum milites, qua cives, contractuum jure gaudeant (*per demonstrata*): Patet, quod milites, qua cives, jura acquirere & obligationes sibi contrahere possint. *Q. e. 1.*

Cum vero milites, qua tales, etiam jura acquirant, quibus pagani non gaudent (§. 318.); Qualia in specie sunt, præmia, quæ militibus (§. 379.), & jura, quæ veteranis constituuntur (§. 461.); Quæ acquiri non posse, nisi a milite, per se constat: Milites etiam, qua tales, jura acquirere posse patet. Et cum ex delictis obligatio ad pœnam nascatur (§. 1071. *loc. cit.*): Milites vero etiam, qua tales, possint delinquere (§. 542.): Qua tales quoque obligationes sibi contrahere posse claret. Atque adeo evicimus, quod & qua tales tam jura acquirere, quam obligationes sibi possint contrahere. *Q. e. 2.*

Plures

Plures quidem dantur obligationes, & jura quam plura, quibus milites præ paganis tenentur & fruuntur. Hæc vero jura & obligationes non a militibus demum acquiruntur & contrahuntur, sed eo ipso, quo milites constituuntur; Adeoque cum per militiæ susceptionem id fiat, ab iis, qui milites nondum sunt. Præmia vero militum factum aliquod militis jamdum existentis supponunt, antequam iisdem potiri detur. Qualia in specie sunt jura & præmia veteranorum, quæ non nisi militibus, qui statutos militiæ annos explevere, conceduntur. Ea itaque a militibus, qua talibus, proprie demum acquiruntur. Et cum delicta militaria etiam supponant militem, qui eadem committat (§. 543.): Per ea demum etiam obligatio a milite, qua tali, contrahitur. Hinc opus visum fuit, ut ad evincendum, quod jura & obligationes a militibus in specie qua talibus acquirantur & contrahantur, non ea ponantur, quibus qua milites in genere tenentur & gaudent; Sed talia, quæ qua milites demum acquirunt, aut sibi contrahunt.

§. 1097.

Dantur itaque *negotia militum*, *tam qua civium*, *quam qua talium*, *quibus jura acquiruntur*, *& obligationes contrahuntur.* *Dantur negotia militum.*

Cum enim tam jura acquisita (§. *35. Part. 1. loc. cit.*), quam obligationes contractæ (§. *18. ibid.*) factum quoddam interveniens supponant: Ut jura acquirantur & obligationes contrahantur, adhiberi debent omnes actiones, quæ requiruntur, ut illud fiat. Quare cum complexus omnium actionum ad aliquid obtinendum vel efficiendum requisitarum, negotium dicantur (*§. 68. Part. 7. loc. cit.*); A militibus vero tam qua talibus, quam qua civibus, jura acquiri & obligationes contrahi possint (§. 1096.): Patet, quod dari debeant negotia militum, tam qua talium, quam qua civium, quibus jura acquiruntur & obligationes contrahuntur.

Hæc & alia, quæ jam evincuntur, facilia & demonstratione non egentia aut superflua videri possent. Ex sequentibus vero apparebit, quod iisdem ad doctrinam de jurisdictione militari pedetentim eruendam opus fuerit; Et quidem, ut illa firmis principiis stabiliatur, horum evidentia præsertim etiam fuerit ostendenda.

§. 1098.

Quare cum dentur negotia militum, tam qua civium, quam qua talium, quibus jura acquiruntur, & obligationes contrahuntur (§. *sæ.* 1097.); Negotia vero, quibus jura acquiruntur & obligationes contrahuntur, in sensu juris causæ dicantur (*§. 1. Diss. de Jurisd. prorog.* CRAMERI): *Dantur causæ militum, tam qua talium, quam qua civium, in sensu juris tales.* *Ut & causæ.*

§. 1099.

§. 1099.

Causarum communium & militarium definitio.

Cum id, quod militibus qua civibus tribuitur, ipsis propterea competat, quia cives sunt; Adeoque civibus in genere competere debeat: Causas militum, qua civium, esse etiam civium reliquorum sive paganorum (§. 80.) facile apparet. Quæ vero militibus, qua talibus, competunt, non nisi eorum esse constat. Quare cum id, quod militibus non solum, sed reliquis etiam civibus tribuendum est, commune; Quod vero militum proprium est, nec de aliis intelligitur, militare dici soleat (§. 87. 98. 543. 550. *ut & l. 2. princ. ff. de Re milit.*): *Causæ* militum, qua talium *militares*; Qua civium, *communes* dicuntur.

§. 1100.

Quænam sint causæ militum.

Causæ militum sunt aut pacta sive contractus, vel quasi contractus; Aut delicta, vel quasi delicta.

Contractus enim a pactis naturaliter non differunt (§. 794. *Part. 3. Jur. nat. WOLF.*). Quamobrem cum pactum quodcunque unam vel plures & mutuas promissiones contineat (*§. 788. loc. cit.*); Ex promissione vero tam obligatio (§. *363. ibid.*), quam jus nascatur (*§. 364. ibid.*): Ex contractibus, quemadmodum ex pactis jura acquiri & obligationes contrahi constat. Cum itaque negotia, quibus jura acquiruntur, & obligationes contrahuntur, causæ dicantur (*def. §. 1098.*); Milites vero contractus etiam possint celebrare (*per dem. §. 1096.*): Patet, quod contractus, quemadmodum pacta, ad causas militum sint referendi. *Q. e. 1.*

Et cum ex quasi contractu æque nascantur obligationes mutuæ, ac ex contractu vero (§. *505. Part. 5. loc. cit.*); Quibus itaque etiam jura reciproca respondere debent (*§. 23. Part. 1. loc. cit.*): Quasi contractibus etiam jura acquiri & obligationes contrahi, facile apparet. Cum vero quasi contractus sub genere contractuum contineantur (*§. 504. Part. 5. loc. cit.*); Adeoque & a militibus celebrari posse debeant: Eadem ratio adest in illis, quæ in contractibus in genere, cur ad causas militum referantur (*dem. n. 1.*). Quamobrem cum posita ratione sufficiente ponendum sit, quod propter eam est (*§. 118. Ontol. WOLF.*): Quasi-contractus etiam causas militum constituere possunt. *Q. e. 2.*

Similiter cum per maleficia æque ac quasi maleficia, sub quibus etiam delicta & quasi delicta comprehenduntur (*§. 581. Part. 8. loc. cit.*), alteri damnum detur, vel injuria inferatur (*§ 580. ibid.*: Tam per delicta, quam quasi delicta lædi alterum elucet (*§. 669. Part. 1. loc. cit.*).

Cum

Cum itaque, qui alterum lædit, obligetur ad pœnam patiendum (*§. 1071. ibid.*): Læso vero jus ad pœnam competat (*§. 1061 ibid.*): Ex delictis & quasi delictis tam obligationem, quam jus oriri, palam est. Quare cum negotia, quibus jura acquiruntur vel obligationes contrahuntur, causæ dicantur (*def. §. 1098.*); Milites autem tam vera, quam quasi delicta committere possint (§. 541.): Patet, quod causæ militum queant etiam esse delicta vel quasi delicta. *Q. e. 3.*

Quod hic de causis militum in specie asseritur, id causis in genere, quæ in sensu juris ita dicuntur, convenire facile perspicitur. Cum enim in genere cives, vel homines etiam, contrahere & delinquere possint: Causæ in genere vel contractus vel delicta esse queunt, sub quibus & quasi contractus & quasi delicta comprehenduntur. Id quod ipso jure civili confirmatur: Dum omnem obligationem esse vel ex contractu vel quasi, ex maleficio vel quasi, statuit (*§. 2. Inst. de Oblig.*).

§. 1101.

Causæ militum communes tam contractus, quam delicta esse possunt; Militares vero potissimum delicta sunt. *Quæ communes & quæ militares.*

Jus enim contractus celebrandi militibus qua civibus competit (*dem. §. 1096. n. 1.*). Et cum milites etiam qua cives delinquere possint (*dem. §. 549.*): Dantur tam contractus, quam delicta, quæ a militibus, qua civibus tantum celebrantur aut committuntur. Cum itaque contractus & delicta ad causas militum sint referenda (§. 1100.); Et dentur causæ militum, qua civium (§. 1098.): Contractus, qui celebrantur, & delicta, quæ committuntur a militibus, qua civibus, ad causas militum, qua civium, pertinent. Quamobrem cum causæ militum, qua civium, communes dicantur (§. 1099.): Patet, quod causæ militum communes tam contractus, quam delicta esse queant. *Q. e. 1.*

Vix vero dabuntur contractus, qui a militibus, qua talibus, celebrentur, aut saltem iidem frequentes non sunt (*per hypoth.*): Contra cum delicta militaria tot esse possint, quot sunt obligationes militares (§. 572.); Harum vero sint quam plurimæ, quæ toto capite 2. fuere recensitæ: Delictorum etiam militarium quam plurima sunt. Et cum eadem a milite, qua tali, committantur (§. 543.): Delicta militum, qua talium, quam plura possunt esse. Cum itaque causæ militum sint vel delicta, vel contractus (§. 1100.); Dentur vero in specie causæ militum, qua talium (§. 1098.), quæ militares dicuntur (§. 1099.): Causas militares vel contractus vel delicta militum, qua talium esse debere, intelligitur. Quare cum contractus militum, qua talium, non facile occurrant (*per hyp.*);

hyp.); Delicta vero eorum, qua talium, quam plura dentur (*per dem.*): Apparet, quod causæ militares potissimum constituantur delictis. *Q. e. d.*

Plane autem non dari posse contractus, qui a milite, qua tali, celebrentur, non negamus. Et ipsum contractum militarem, qui dicitur (§. 53.), eo referre forsan licebit. Licet enim is, qui per eundem miles constituitur, dici nequeat, quod illum tanquam miles celebret: Cum is miles nondum sit, sed fieri demum debeat: Jus tamen milites conducendi etiam committi potest & solet militibus vel eorum præfectis (*schol.* §. 33. *& per hyp.*). Hi itaque in eo casu alios milites conducere possunt. Et cum contractus militaris intercedat cum iis, qui milites conducuntur (§. 53.): Huncce etiam celebrare posse debent. Militibus vero sive præfectis eorum, si jus conducendi ipsis committatur, id qua talibus fieri dici poterit: Cum aliis non æque soleat committi; Quod fieri tamen non repugnat, & exemplis etiam non destituitur. Contractum itaque illum tunc etiam ab ipsis, qua militibus, celebrari; Adeoque dari contractum militum, qua talium, dici fortasse conceditur. Cum tamen non ex ipso militum statu hoc jus conducendi consequatur; Sed ex speciali saltem concessione indulgeatur; Et hoc æque fieri possit & soleat aliis, ac militibus (*per hypoth.*): Non omni suo rigore illud constare, simul videbitur.

§. 1102.

Litigiosæ esse possunt. *Causæ militum, tam communes, quam militares, esse possunt litigiosæ.*

Si unus contendat jus ipsi competere, quod alter non tribuit; Alter vero neget, se ad illud obligari, adeoque tribuere detrectat: In eo casu jus illius & obligatio hujus controversa fiunt (§. 867. *Part. 5. Jur. nat. WOLF.*). Cum itaque facile appareat, quod vel militi tribui non possit jus, quod ipsi qua civi vel qua militi competit; Aut, quod miles obligationi, quæ ipsi qua tali vel qua civi incumbit, satisfacere non possit & hoc nolle queat: Jura & obligationes militum, tam qua talium, quam qua civium, controversa fieri posse evidens est. Jura vero & obligationes eorum negotio quodam niti, quod causam constituit, simul apparet (*dem.* §. 1098.). Jura itaque etiam & obligationes militum causas eorum supponunt, quæ vel communes sunt vel militares (§. 1099.). Quare cum si vel ipsum negotium sit controversum, vel jus & obligatio ex eodem, causa dicatur litigiosa (§. 2. *Diss. de Jurisd. prorog. CRAMERI*): Causæ militum tam communes quam militares litigiosæ esse queunt.

§. 1003.

§. 1103.

Delicta militum ad cauſas eorum litigioſas referenda ſunt.

Delicta eo referenda.

Delicta enim, cum obligationem ad pœnam operentur, ad cauſas militum refert[illegible] (§. 1101.). Cum vero non eadem pœna in omnia delicta ſit ſtatuta, ſed ejus determinatio vel interdum judicis arbitrio relinquatur (*per hypoth.*): Dubium eſſe poteſt, an hac præciſe pœna afficiendus ſit miles, qui deliquit. Fieri etiam poteſt, ut miles neget, quod delictum, vel hoc præciſe, commiſerit, adeoque ad pœnam, vel certam ſaltem obligetur. Totum itaque negotium, quo obligatio ad pœnam contrahitur, vel hæc ſaltem, controverſum fieri poteſt (§. *867. cit.*). Quare cum in hoc caſu cauſa dicatur litigioſa (*def. §. 1102.*): Patet, quod delicta militum ad cauſas eorum litigioſas pertineant.

§. 1104.

Milites judici debent ſubeſſe.

Milites judici ſubeſſe debent.

Cum cauſæ militum dentur litigioſæ (§. 1102.): Ex eo apparet, quod fieri poſſit, ut milites alteri jus ſuum non tribuant, adeoque injuriam aliis inferant. Quod etiam præſertim fit per delicta (§. *580. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*), tanquam maleficiorum ſpecies (§. *581. ibid.*). Cum vero ipſo jure naturæ & in ſtatu naturali contra eum, qui jus alicui non tribuit, illud vi perſequi liceat (§. *1061. ibid.*): Contra militem etiam, qui jus cui non tribuit, hoc vi perſequi, & ſi injuriam inferat, ſive lædat alterum, ipſum punire licere debet. Jus vero perſequendi vi jus ſuum adverſus alterum, qui idem denegat, jus belli dicitur (§. 5.). Si itaque cuique liceret jus ſuum vi perſequi contra militem, qui hoc ipſi denegat: Bellum privatum oriretur (§. 7.). Milites vero civitatem ſupponunt (§. 18.). Quare cum in civitate bellum privatum tolerari nequeat (§. *560. Part. 8. loc. cit.*); Sed in ejus locum judicia ſucceſſerint (§. *561. ibid.*); Et ſi ob injurias factas quis ſit puniendus, judex eum debeat punire (§. *559. ibid.*): Patet, quod milites judici debeant ſubeſſe.

§. 1105.

Quid ejus officium ſit

Cum in genere judex curare debeat, ut unicuique jus ſuum tribuatur, & quisque adverſus injurias aliorum defendatur (§. *538. loc. cit.*); Milites vero etiam judici debeant ſubeſſe (§. 1104.): *Judicis militum eſt, curare & efficere, ut aliis tribuatur jus ſuum, quod a militibus ipſis denegatur, & ut contra horum injurias alii ſecuri reddantur.*

§. 1106.

Quale jus ei competat. *Judici militum competere debet jus milites vi adigendi ad tribuendum jus, quod tribuere detrectant, & eosdem puniendi.*

Judices enim in civitate ſucceſſere in illud jus, quod unicuique in ſtatu naturali competit contra eos, qui jus ſuum cui non tribuunt, aut alios lædunt (§. *561. loc. cit.*). Iisdem itaque idem jus competere debet, quod in ſtatu naturali cuilibet. Quare cum unicuique in ſtatu naturali competat jus vi adigendi ad jus ſuum ipſi tribuendum eum, qui idem denegat, & puniendi eum, qui ipſum læſit (*per alleg.* §. *1104.*): Idem etiam jus competere debet judicibus. Quare cum & milites judici ſubeſſe debeant (§. *cit.*); Et hujus præſertim ſit curare & efficere, ut aliis tribuatur jus ſuum, quod a militibus ipſis denegatur, ut & alii ſecuri reddantur ab injuriis militum (§. 1105.); Hoc vero præſertim fiat per pœnas, quæ motiva ſunt actionum non committendarum (§. *287. Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Judici militum competere quoque debet jus milites vi adigendi ad aliis jus ſuum tribuendum, & eosdem puniendi.

§. 1107.

Jus ſtatuendi in cauſis eorum. *Judici* itaque *militum competere debet jus ſeu poteſtas aliquid ſtatuendi in cauſis eorum, præſertim litigioſis.*

Si enim quis contendat jus ipſi tribui debere, quod a milite denegatur: Jus illius & obligationem hujus controverſum eſſe apparet (*per alleg.* §. *1102.*). Quod ſi vero jus vel obligatio quædam ex negotio aliquo ſit controverſum: Cauſa dicitur litigioſa (*per eadem*). In caſu itaque, quo miles jus quoddam tribuere denegat alicui, qui id ſibi competere contendit, cauſa militis litigioſa eſt. Similiter cum pœnæ ſupponant delicta (*per dem.* §. *761.*): Si miles puniendus ſit, eundem delictum commiſiſſe neceſſe eſt. Quare cum delicta ad cauſas militum (§. 1100.), & quidem litigioſas, ſint referenda (§. 1103.): Si miles puniendus ſit, cauſa ejusdem ſupponitur, quæ itidem litigioſa eſt. Quodſi itaque miles vi adigatur ad tribuendum jus, quod denegat; vel puniatur: Aliquid ſtatui in cauſis militum apparet. Quamobrem cum judici militum competere debeat jus adigendi milites ad jus ſuum ei tribuendum, cui illud denegant, & eosdem puniendi (§. 1106.): Eidem etiam competat jus ſeu poteſtas aliquid in ipſorum cauſis, præſertim litigioſis, ſtatuendi neceſſe eſt.

§. 1108.

§. 1108.

Poteſtas iſta in cauſis militum judici ipſorum auctoritate publica, ſive ſummi imperantis competit. *Undenam illud ſit.*

Cum enim judices ſint magiſtratus (*§. 566. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Atque adeo ipſis partes quædam imperii exercendæ committantur a ſuperiore in civitate (*§. 162. loc. cit.*): Eos auctoritate publica ſive ſummi imperantis conſtitui apparet. Et cum propterea jus non ſuo, ſed ſuperioris nomine reddant (*§. 567. ibid.*): Poteſtatem, qua pollent, ipſis auctoritate publica competere intelligitur. Quare cum judici militum competere debeat jus ſive poteſtas in cauſis militum ſtatuendi (§. 1107.): Eandem ipſis auctoritate publica ſive ſummi imperantis competere patet.

§. 1109.

Quare cum poteſtas, quæ alicui in cauſis obviis auctoritate ſummi imperantis competit, jurisdictio vocetur (*§. 3. Diſſ. de Jurisd. prorog. CRAM.*); Judici vero militum poteſtas in cauſis publicis quid ſtatuendi (§. 1107.), eaque auctoritate publica ſive ſummi imperantis competat (§. 1108.): *Judici militum & jurisdictio competit, & quidem,* cum facile pateat, judicem militum dici, cui milites ſubſunt (§. 1104.), *in milites.* *Jurisdictio ipſi competit.*

§. 1110.

Jurisdictio, quæ in milites competit, ſive exercetur, *militaris* dicitur. Quæ, cum jurisdictio in genere ſit poteſtas, quæ in cauſis obviis alicui competit auctoritate ſummi imperantis (*per def. §. 1109.*), definiri poterit, quod ſit poteſtas, quæ alicui in cauſis militum quid ſtatuendi, auctoritate publica competit. *Jurisdictionis militaris definitio.*

§. 1111.

Quare cum jurisdictio in milites competat judici eorum (§. 1108.); Jurisdictio vero, quæ in milites exercetur, militaris dicatur (§. 1109.): *Judici militum jurisdictio militaris competit.* *Ea competit judici militum.*

§. 1112.

Jurisdictio militaris tam voluntaria, quam contentioſa eſſe poteſt; Potiſſimum licet ſit contentioſa. *Voluntaria vel contentioſa eſt.*

Licet enim cauſæ militum litigioſæ eſſe poſſint (§. 1102.): Omnes tamen eorum cauſas tales eſſe, neceſſe non eſt, ſed dari etiam non contentioſas conſtat (*per hypoth. & not.*). Cum itaque jurisdictio militaris in cauſis militum competat (§. 1110.): Eadem tam in cauſis militum

tum contentiosis, quam non contentiosis obtinere potest. Quamobrem cum jurisdictio, quæ in causis litigiosis competit, dicatur contentiosa (§. 4. *Diss. de Jurisdict. prorog. CRAM.*); Quæ vero in non contentiosis, voluntaria (§. 5. *loc. cit.*): Patet, quod jurisdictio militaris tam voluntaria quam contentiosa esse possit. *Q. e. 1.*

Cum vero cavendum sit, ne milites nimiis implicentur negotiis (§. 475.); Negotia vero, quibus jura acquiruntur, & obligationes contrahuntur, causæ dicantur (*def.* §. *1098.*): Causas etiam eorum, non contentiosas nempe, sive voluntariæ jurisdictionis, eo diminui apparet. Contra cum delicta militum sint frequentiora (*per hypoth.*); Eadem vero ad causas litigiosas militum sint referenda (§. 1103.): Frequentiores has esse, vel ex hoc patet, ut & ex demonstratis (§. 1107.). Quare cum jurisdictio, quæ in causis litigiosis exercetur, contentiosa dicatur (*per alleg. n. 1.*): Patet, quod jurisdictio militaris potissimum esse debeat contentiosa. *Q. e. 2.*

Propter hanc jurisdictionis in contentiosam & voluntariam divisionem, definitionem ejusdem aliter paulo, quam vulgo fieri solet, formari debere, monuit Vir perillustris L. B. de CRAMER (§ 6. *Diss. pluries cit.*). Cum enim in exercenda voluntaria jus proprie non dicatur: Nec eandem in genere per publicam juris dicendi potestatem definiri posse, patet.

§. 1113.

In milites sit peculiaris. *Milites, quoad causas ad minimum militares, peculiari judici sive jurisdictioni subesse convenit.*

Dantur enim causæ militum, qua talium peculiares, quæ militares dicuntur (§. 1099.). Quare cum in genere causæ jura & obligationes supponant (*def.* §. *1098.*): Causæ militares peculiaria militum jura & obligationes supponunt, quæ militaria dicuntur (§. 120. & 319.). Cum itaque judex militum in causis militum debeat statuere (§. 1107.); In eoque jurisdictio militaris consistat (§. 1110.): Apparet, quod in judice militum, sive ad exercendam jurisdictionem militarem peculiaris requiratur cognitio, jurium nempe & obligationum militarium. Quare cum militum actiones vel observantiis militaribus convenienter sint determinandæ (§. 136.); Neque adeo cognitio ista peculiaris in quovis judice possit supponi: Patet, quod conveniat, milites ad minimum quoad causas militares peculiari judici sive jurisdictioni subjici.

Ipsis legibus civilibus idem constitutum est, ut milites vel in causis civilibus peculiari suo judici subsint. Cujus rei ratio ipso jure romano hæc redditur, quod id ipsum de more litigantium esse videtur, constetque, militarem reum, nisi a suo judice, nec exhiberi posse, nec si in culpa fuerit,

fuerit, coerceri (*l.* 6. *Cod. de Jurisd. omn. jud.*). Quod & constitutum invenitur (*l. fin. pr. Cod. de Re milit.* & *l.* 17. *Cod. de Judiciis*); Et quidem sive causæ militares fuerint, sive non (*l.* 2. *Cod. Ubi quis decur.*). Uti & convenire, suo loco demonstrabitur. Ratio enim jurisdictionis militum peculiaris non qualitate causarum absolvitur, sed alia adhuc ex ipsorum personæ qualitate accedit. Uti ex iis apparebit, quæ subjicientur.

§. 1114.

Cum in genere judex dicatur, cui competit jurisdictio (§. 7. *Diss.* CRAM. *cit.*): *Judex*, cui peculiaris in milites jurisdictio competit, *militaris* dicitur. *Judicis militaris definitio.*

§. 1115.

Hinc cum jurisdictio, quæ in milites competit, militaris dicatur (§. 1110.); Eadem vero peculiaris esse debeat (§. 1113.): *Jurisdictio militaris debet esse peculiaris; Et* cum jurisdictio peculiaris in milites *judici militari* competat (§. 1114.): Huic debet *competere*. *Jurisdictio militaris peculiaris.*

§. 1116.

Milites peculiari foro gaudere debent. *Forum peculiare constituit.*

Jurisdictio judicis cujusdam, quatenus quis eidem subest, sive intuitu ejus, qui eidem subest, forum ejusdem dici solet (*per defin.*). Quare cum milites peculiari jurisdictioni subesse conveniat (§. 1113.): Facile etiam intelligitur, quod milites foro peculiari debeant gaudere.

In formanda fori definitione non admodum desudant JCti, sed potius equidem notione confusa contenti sunt. Pro loco quidem, quo jurisdictio exercetur, plerumque sumitur, & expresse ita cum ISIDORO definitur a JOH. PET. MATTERN (§. 4. *Diss. inaug. de Foro compet. hab. Marb.* 1661.). Quod vero minus recte fieri ostendit JO. PHIL. STREIT (§. 2. *Diss. de Foro compet. hab. Erf.* 1715.), & eandem definit per potestatem exercendi jurisdictionem intuitu territorii plerumque competentem &c. Quam vero definitionem nec nævis suis carere facile agnoscent, qui regulas eandem formandi non ignorant. Forum quidem a jurisdictione non nisi relative differre videtur: Ita, ut hæc intuitu judicis, cui illa competit; Illud vero intuitu eorum, qui jurisdictioni judicis cujusdam subsunt, intelligendum sit. Quod forum dici etiam possit judicium, coram quo, vel locus judicii, in quo quis conveniri queat, absonum quidem non videtur. Locum vero tunc non physicum proprie intelligi, simul apparet. Cum vero notionem judicii hic supponere nondum liceat; Significatus etiam tunc alius debeat admitti, quam quo sumitur, si ejus notio determinata debeat esse: Eam potius, quo fecimus modo, formari visum fuit.

§. 1117.

§. 1117.

Certo loco non adstringenda.

Milites ratione personæ suæ jurisdictioni certi cujusdam loci adstricti esse nequeunt.

Cum enim milites ad bellum gerendum adhibeantur (§. 14.); Bellum vero modo hic, modo illic geratur; Pacis vero etiam tempore, non in eodem loco continua ipsis commoratio contingat, sed potius adsint rationes, cur interdum & vel sæpissime præsidia mutare jubeantur (*per hypoth.*): Non in eodem loco semper manere, sed plurics fieri, ut illum debeant mutare, apparet. Si itaque jurisdictioni certi cujusdam loci essent adstricti: In eundem se conferre deberent, quoties in personam ipsorum jurisdictio esset exercenda. Cum vero præstatio servitiorum militarium præsentiam eorum alibi requirat: Eo ab illis detraherentur & a signis suis avocarentur. Quod cum fieri non debeat (§. 391.): Milites etiam jurisdictioni certi cujusdam loci, saltem quoad personam, adstricti esse nequeunt.

Additur, *ratione personæ suæ*. Quodsi enim jurisdictio in milites præsentiam personæ eorum non requirat: In genere non apparet ratio, cur milites jurisdictioni loci cujusdam nequeant esse subjecti. Dantur potius causæ, quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest. Quales v. gr. sunt, quæ bona immobilia concernunt. Ut in talibus cognitio fiat in eo, quo sita sunt loco, qualitas eorum potius requirit. Quodsi itaque tales etiam obveniant militibus: Fieri vix aliter potest, quam ut in iisdem jurisdictionem etiam ejusdem loci agnoscant. Uti in sequentibus disquiretur.

§. 1118.

Forum militum non est locale.

Cum itaque jurisdictio judicis, quatenus quis eidem subjectus est, intuitu hujus forum dicatur (*def.* §. 1116.), & in specie personale, quod quis intuitu personæ suæ sortitur (*per defin.*); Ratione personæ vero milites jurisdictioni certi cujusdam loci nequeant subesse (§. 1116.): *Forum militum personale esse nequit locale, sive loco cuidam adstrictum.*

§. 1119.

Nec forum domicilii.

Forum militum nequit esse forum domicilii.

Domicilium enim dicitur locus, quo quis continuo habitare constituit (*per def.*). Cum vero militibus in uno loco continuo commorari non detur, sed signa sua sequi debeant, quoties id requiratur (*per dem.* §. 1117.): Domicilium de militibus prædicari proprie nequit. Quare cum forum, quod quis intuitu domicilii sortitur, seu jurisdictio loci cujusdam, cui quis propterea subest, quoniam ibidem domicilium suum habet,

habet, forum domicilii dicatur (*per defin.*). Patet, quod hoc in militem non cadat; Seu, quod forum militum non possit esse forum domicilii.

§. 1120.

Ut milites peculiari judici sive jurisdictioni subsint, adeoque foro peculiari gaudeant, tam qualitas causarum militarium, quam personæ eorundem requirit. *Cur debeat esse peculiare.*

Cum enim causæ militares peculiarem requirant cognitionem (*dem.* §. 1113.); Et propterea quoad causas militares ad minimum peculiari judici sive jurisdictioni milites debeant subesse (§. *cit.*): Hoc ex causarum militarium qualitate venire apparet. Cum vero milites etiam ratione personæ suæ jurisdictioni certi cujusdam loci nequeant esse adstricti (§. 1117.); Patet, quod & ex eorum personæ qualitate fit, quod peculiari judici debeant subjici. Quamobrem cum propter hoc milites peculiari etiam foro debeant gaudere (§. 1116): Intelligitur, quod tam causarum militarium, quam personæ militum qualitas requirat, ut peculiari judici sive jurisdictioni subsint, adeoque peculiari foro gaudeant.

Quod causarum militarium qualitas hoc requirat, ipso jure civili comprobatur. *Quod* enim *militaribus hominibus judicandi facultas concessa sit*, hac ratione suffulcitur. *Quid enim absurdi est, homines, qui alicujus rei peritiam habent, de ea re judicare? Cum sciamus, & militares magistratus, & omnes tales homines per usum quotidianum jam esse approbatos, ut & audiant lites, easque dirimant, & pro sui, & legis scientia, hujusmodi altercationibus finem imponant* (*l. 17. Cod. de Judiciis*).

§. 1121.

Forum peculiare, quo milites gaudent, dicitur *Forum militare.* *Fori militaris definitio.*

§. 1122.

Forum militare privilegiatum est, & quidem tam ratione causarum, quam personæ militum. *Privilegiatum est.*

Forum enim militare proprium est militibus (§. 1121.). Neque adeo pagani eodem gaudent. Cum vero jurisdictio judicis cujusdam, cui quis subest, intuitu hujus, forum dicatur (*def.* §. 1116.); Judex autem, cujus jurisdictioni milites subsunt, militaris dicatur (§. 1114.): Milites alio judici non subsunt, neque etiam coram alio conveniri possunt, quam coram judice militari. Dum itaque milites

foro peculiari, quod militare est, gaudent, fruuntur jure saltem negativo, quo ceteri carent. Quare cum concessio juris cujusdam affirmativi vel negativi uni vel pluribus facta privilegium dicatur (§. *853. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod forum militare inter privilegia militum referendum, sive privilegiatum sit. *Q. e. 1.*

Cum vero tam qualitas causarum militarium, quam personæ militum requirat, ut milites foro peculiari gaudeant (§. 1120.); Forum hoc militum peculiare vero militare dicatur (§. 1121.), & privilegiatum sit (*dem. n. 1.*): Patet, quod privilegium hoc fori militibus tam ratione causarum, quam personæ concessum sit. *Q. e. 2.*

Rationem hujus privilegii fori militibus concessi ERN. FRID. SCHRöTER in eo ponit: I.) Ne milites fortissimi alieno submittendo judicio læsionem aliquam sive dispendium patiantur (*l. fin. princ. Cod. de Re milit.*); II.) In favore erga milites, quo Imperatores semper ducti ad beneficia illis largienda (*§. 1. Cap. 3. Sect. 1. Diss. de Jur. mil. sing.*). Magis vero intrinsecam rationem peti, ex qualitate causarum & personæ militum evicimus §. 1120.

§. 1123.

Non in quibusdam causis communibus.

In causis communibus, quarum cognitio fieri nequit, nisi certo loco, milites jurisdictioni ejusdem debent subesse.

Supponuntur hic tales causæ militum communes, quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest (*per hypoth.*). Quamobrem cum judicis sit cognoscere causas (§. *540. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Causæ militum communes, quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest, a judice militari non poterunt cognosci. In iis tamen cognosci debere ponitur. Cum itaque judex dicatur, cui jurisdictio competit (§. 1114.): Patet, quod in causis communibus, quorum cognitio fieri nequit, nisi certo loco, milites jurisdictioni ejusdem subesse debeant.

§. 1124.

In iis foro communi subjunt.

Quare cum milites eatenus foro privilegiato gaudeant, quatenus peculiari jurisdictioni subsunt (*dem. §. 1116.*); In causis vero communibus, quæ nonnisi certo loco cognosci possunt, non peculiari, sed jurisdictioni ejusdem loci debeant subesse (§. 1123.): ***In causis communibus, quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest, milites privilegiato foro non gaudent, sed communi subsunt.***

§. 1125.

§. 1125.

Forum itaque militum reale commune quoque esse potest. *Reale potest esse commune.*

Cum milites ratione personæ suæ jurisdictioni certi cujusdam loci adstricti esse nequeant (§. 1117.); In causis vero communibus, quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest, jurisdictioni ejusdem debeant subesse (§. 1123.): Facile concluditur, quod causæ hæ non nisi rem quandam concernant. Intuitu rei cujusdam itaque milites foro communi subjiciuntur. Quamobrem cum forum, quod quis intuitu rei cujusdam sortitur, reale dicatur (*per def.*): Patet, quod forum militum reale commune quoque esse possit.

§. 1126.

Hinc cum forum rei sitæ dicatur, quod quid sortitur in certo loco propter rem ibidem sitam (*per defin.*); Adeoque illud reale esse facile appareat. Foro vero reali communi milites subesse quoque possint (§. 1125.): *Forum rei sitæ, forum etiam militum esse poterit.* *Forum rei sitæ obtinere potest.*

§. 1127.

In causis communibus etiam, quæ personam principaliter concernunt, aut personæ præsentiam requirere possent, cognitionem in certo loco vero necessario non requirunt, milites etiam non nisi judici militari subesse, adeoque foro privilegiato gaudere, convenit. *In quibus causis communibus.*

Ut enim milites peculiari judici, qui militaris dicitur (§. 1114.), subsint, non solum est propter causas eorum militares, sed & qualitatem personæ ipsorum (§. 1120). In causis itaque, quæ personam principaliter concernunt, sive personæ præsentiam possent requirere, judici etiam militari subesse debent. Quamobrem cum dentur etiam causæ tales militum communes, quæ personam ipsorum principaliter concernunt (*per hypoth.*): Patet, quod in iisdem milites judici militari quoque subesse conveniat. *Q. e. 1.*

Et cum milites eatenus, quatenus judici militari subsunt, foro peculiari, quod privilegiatum est (§. 1121.), gaudeant (§. 1116.): Milites etiam in causis eorum communibus, quæ personam concernunt, vel personæ præsentiam requirunt, foro privilegiato gaudere debent. *Q. e. 2.*

Cum vero in iis causis communibus, quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest, milites jurisdictioni ejusdem debeant subesse

(§. 1123.); Neque adeo in iisdem foro privilegiato possint gaudere: Simul patet, quod & hoc ad causas communes militum, quæ forum privilegiatum fundare debent, requiratur, ut cognitionem in certo loco necessario non requirant. *Q. e. 3.*

Licet vel ipsum jus civile hoc statuat, ut in causis etiam communibus milites foro peculiari gaudeant (*Schol* §. *1113.*): Inveniuntur tamen aliæ leges complures, quæ eidem contradicere videntur. Utrasque recenset JO. GOTTL. LAURENTIUS, & glossatorum potissimum interpretatione introductum præjudicium, quasi fori privilegium militibus saltem in causis militaribus, neutiquam communibus, competat, fusius refellit §. *16. & seqq. der Abhand. von der Jurisd. über die Soldaten*). Eo vero magis opus fuit disquirere, in quibusnam causis militum communibus a foro communi ipso jure naturæ, sive statu eorum & natura rerum exigente, eximi debeant milites, aut possint saltem, vel penitus nequeant.

§. 1128.

Quænam actiones in quoquo foro competant. *Milites itaque actione personali conveniri nequeunt, nisi in foro militari; Reali vero etiam peti possunt in foro communi; Si nempe cognitio causæ ibidem fieri necesse sit.*

Cum enim actio personalis in jure dicatur, quæ ex jure ad rem oritur; Adeoque non nisi in personam detur (*per vulg.*): Actionem personalem personam ejus concernere, contra quem instituitur, apparet. Quamobrem cum in causis etiam communibus, si personam militum principaliter concernant, milites foro privilegiato gaudeant (§. 1127.), quod militare dicitur (§. 1122.): Patet, quod actione personali conveniri nequeant milites, nisi in foro militari. *Q. e. 1.*

Cum vero actio realis dicatur in jure, quæ ex jure in re oritur; Adeoque rem principaliter petat (*per vulg.*): Eandem in foro reali, quod nempe intuitu rei quis sortitur, institui posse claret. Quare cum forum militum reale commune quoque esse possit (§. 1125.): Patet, quod milites in foro communi actione reali quoque possint conveniri. *Q. e. 2.*

Cum autem milites in causis communibus foro communi tunc demum subsint, si illarum cognitio ibidem necessario debeat fieri (§. 1124.); Si vero hæc ibidem absolute necessaria non sit, in iisdem quoque foro privilegiato gaudeant (§. 1127.): Patet etiam, quod tunc demum conveniat, milites actione reali peti in foro communi, si cognitio causæ non nisi in eodem fieri possit. *Q. e. 3.*

Si

Si praxin ſpectes: Pro norma quidem haberi ſolet, ut actiones perſonales in foro militari; Reales vero in genere in communi foro contra milites inſtituantur. Imo nonnullibi etiam, veluti in terris Brunſuicenſibus & Auſtriacis conſtitutum eſt, ut in perſonalibus quibusdam fori privilegio non muniantur milites. Uti refert LAURENTIUS (§. 14. *loc. cit.*). Eo vero milites, ſi rem ſpectes, neque in omnibus realibus, nedum perſonalibus quibusvis, privari debere, ex demonſtratis intelligitur.

§. 1129.

Forum itaque *contractus circa milites non abtinet.*

Forum contractus non obtinet.

Forum enim contractus dicitur, cui quis propterea ſubjicitur, quoniam in eo loco contractum celebraverit; ſeu propter contractum in eo loco celebratum (*per defin.*). Quare cum actio, quæ datur ex contractu, perſonalis ſit (§. 6. *Tit.* 3. *Lib.* 3. *Jurisp. R. G. F. STRUV.*): In foro contractus non niſi actione perſonali agi poſſe, conſequitur. Cum vero actiones perſonales contra milites inſtituendæ ſint in foro militari (§. 1128.): Patet, quod in foro contractus milites nequeant conveniri.

§. 1130.

In delictis etiam communibus milites ſubeſſe jurisdictioni militari, adeoque foro privilegiato gaudere, convenit, niſi cognitio illorum certo demum quodam loco fieri poſſit aut debeat.

Delicta communia foro militari ſubſint.

Delicta enim communia, ſi a militibus committantur, ad cauſas eorum communes referuntur (§. 1101.). Cum vero ex delictis obligatio ad pœnam oriatur (*dem.* §. 1100. *n.* 3.); Pœna vero fiat, aut fieri ſaltem poſſit, in perſonam ejus, qui deliquit: Delictorum cognitio præſentiam perſonæ requirit in eo loco, ubi illa inſtituitur. Quare cum in iis cauſis communibus, quæ perſonam concernunt, vel ejusdem præſentiam requirere poſſent, cognitionem vero in certo quodam loco non requirunt, milites non niſi jurisdictioni militari ſubeſſe, adeoque foro privilegiato debeant gaudere (§. 1127.): Patet, quod conveniat, idem etiam privilegium ipſis concedi in delictis communibus, niſi cognitio illorum certo quodam loco fieri debeat neceſſario.

Quid in praxi quoad delicta militum communia ratione fori obtineat: Non omnes eadem ſententia feruntur: In levioribus quidem omnes conſentientes deprehenduntur, quod eorum cognitio & coërcitio ad jurisdictionem militarem pertineat. Quoad graviora vero foro communi eandem nituntur vindicare doctorum quam plurimi. Contra-

riam autem & juri naturali magis consentaneam sententiam cum aliis tuetur & ex principiis suis rem deducit laudatus LAURENTIUS (§. *16. & seqq. loc. cit.*). Quod, cum hujus loci non sit, indicasse saltem sufficiat.

§. 1131.

Foro delicti milites non subsunt.

Quare cum forum delicti dicatur, quod quis propter delictum in certo loco commissum sortitur (*per def.*); Milites vero in delictis etiam communibus foro privilegiato gaudeant (§. 1130.); Neque adeo foro cujusdam loci propterea subjiciantur, quod ibidem deliquerint: *Milites foro delicti non subsunt.*

§. 1132.

Quid in causis militum ecclesiasticis conveniat.

Causas militum ecclesiasticas jurisdictioni certi cujusdam loci, belli præsertim tempore, adstringi non convenit. Sed si adsint rationes singulares, cur eædem judici militari seculari non subjiciantur: Belli præsertim tempore judici peculiari jurisdictionem in milites ecclesiasticam mandari, expedit.

Causas enim ecclesiasticas personam concernere & ejus præsentiam plerumque requirere; Cognitionem earum vero non in certo solum loco necessario fieri posse & debere, constat (*per exper.*), & vel supponitur (*per hypoth.*). Quamobrem cum milites ratione personæ suæ jurisdictioni certi cujusdam loci adstringi non debeant (§. 1117.); Belli vero præsertim tempore militibus permitti nequeat, ut a mansione sua in alium locum trahantur (*per not.*): Statim patet, quod causas militum etiam ecclesiasticas jurisdictioni certi cujusdam loci saltem adstringi, belli præsertim tempore, non conveniat. *Q. e. 1.*

Cum vero adesse possint rationes, cur causas ecclesiasticas judici seculari decidendas relinqui non conveniat (*per hypoth.*): Hoc supposito, nec causæ militum ecclesiasticæ judici militari seculari subjici poterunt. Cum tamen easdem jurisdictioni certi cujusdam loci, adeoque foro ecclesiastico subesse propter qualitatem personæ militum præsertim belli tempore æque non conveniat (*per dem. n. 1.*); Sed propter hancce qualitatem peculiari jurisdictioni debeant submitti (§. 1120.): Patet, quod in eo casu, quo adsunt rationes, cur causas militum ecclesiasticas judici militari seculari subjici non conveniat, jurisdictionem in milites ecclesiasticam judici peculiari mandari expediat. *Q. e. 2.*

Quænam

Quænam sint causæ ecclesiasticæ, quid per jurisdictionem ecclesiasticam & secularem intelligatur, hic tanquam cuivis notissimum supponitur: Cum hujus loci non sit in notiones easdem ulterius inquirere, sed confusæ hic sufficere possint. Quænam vero sint rationes, cur causæ ecclesiasticæ tam apud Catholicos, quam Protestantes, judici seculari non submittantur, nos edocet Vir illustris CAR. AUG. BOEHMER (§. 1. (a) *Cap. 3. de Jure milit. eccles.*). Quod opusculum, uti præclaro suo auctori illud denominare lubuit, cum hancce materiam ex asse pertractet, satisfaciet iis, qui in eadem erudiri cupiunt. Nobis sufficere poterit, illam saltem in quantum ex ipso militum statu consequitur, attigisse. Hancce vero naturalem ejusdem theoriam iis, quæ ipso jure positivo statuta sunt, non admodum dissentientem esse, apparebit. Licet enim plerumque milites forum ecclesiasticum commune, quod apud Protestantes Consistorii nomine venit, agnoscere debeant: Non desunt tamen principum instituta, quibus belli præsertim tempore ad negotia militum ecclesiastica peculiare consistorium militare, quod & castrense dici solet, restringitur. *Quod cum status militiæ peculiaris non adeo patiatur, ut milites ad consistorium ordinarium semper alligentur, laudandum* deprædicat modo laudatus auctor (§. 3 *loc. cit.*). Præterea vero judici militari seculari nonnihil interdum etiam, quod forum ecclesiasticum proprio spectaret, relinqui solet. Uti ex Jure militari Brunsuicensi refert LAURENTIUS (§. 13. *in fine loc. cit.*).

§. 1133.

Cum in genere apud Protestantes judicia illa, quibus jurisdictio ecclesiastica competit, consistoria dicantur (*per hypoth.*): Judex ille, sive judicium, cui peculiaris in milites jurisdictio ecclesiastica mandatur, *Consistorium militare* sive *castrense* vocatur. *Consistorii castrensis definitio.*

Jus tale erigendi principibus vindicat V. I. BOEHMERUS (§. 3. *loc. cit*), & exempla Borussorum, Suecorum, Danorum & Tigurinorum affert (§. 4. *seqq.*).

§. 1134.

Judex militaris cum militibus esse & commorari debet, ut & locum mutare. *Judex militaris ubinam esse debeat.*

Cum enim judex militaris dicatur, cui peculiaris in milites jurisdictio competit (§. 1114.): Milites jurisdictioni ejusdem in genere subsunt. Si itaque judex militaris certo loco semper commoraretur, neque cum militibus esset, & locum mutaret: Milites jurisdictioni certi cujusdam loci etiam ratione personæ suæ adstringerentur. Quod cum fieri nequeat (§. 1117.): Patet, quod judex militaris cum militibus esse, commorari, & locum etiam mutare debeat.

§. 1135.

Jurisdictio militaris cui concedenda.

Jurisdictionem in milites peculiarem, sive militarem præfectis concedi, convenit.

Cum enim judici militum adeoque & militari competere debeat jus eosdem puniendi (§. 1106.); Cui vero jurisdictio in milites peculiaris competit, judex militaris fit (§. 1114.): Ei etiam, cui jurisdictio militaris conceditur, competere debet jus milites puniendi. Cum autem præfectis militum in hos imperium (§. 185.); Adeoque vi ejusdem jus competat ipsos puniendi (§. *198. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Imperio præfectorum utique conveniens videbitur, ut ipsis etiam jurisdictio in eos concedatur, ne ab aliis puniantur, si puniri debeant. Quamobrem cum & præfecti militum cum iisdem semper sint & commoventur (*per not.*); Hoc vero ad judicem militarem requiratur (§. 1134.): Patet, quod utique conveniat, jurisdictionem in milites præfectis eorum demandari.

Quod & ubique receptum & vel jure civili constitutum est, ut jurisdictio in milites competat eorum præfectis (*l. fin. princ. Cod. de Re mil.*). Non singulis autem præfectis jurisdictionem concedi, sed iis demum, quibus in classem quandam militum potiorem imperium competit, uti obtinet, ita convenire ostendi poterit, & inferius etiam de tribunis in specie demonstrabitur.

§. 1136.

Quousque.

Ab arbitrio superioris in civitate dependet, quousque jurisdictio militaris præfectis concessa procedere debeat.

Jurisdictio enim militaris involvit potestatem in causis militum quid statuendi (§. 1110.). Quare cum hæc potestas auctoritate publica, sive summi imperantis, qui superior in civitate est, competat (§. 1108.): Ab hujus etiam arbitrio dependere debet, quousque eam velit extendere, & adeo quousque jurisdictio præfectis militum concessa procedere debeat.

Cum itaque superior arbitrium suum non unico modo possit determinare; Jurisdictionis vero variæ sint species, sive gradus: Perperam in genere disquiritur, quænam jurisdictio præfectis competat, uti fit a SCHRöTERO (*m. 5 Sect. 6. Disp. de Auditor.*). Cum enim ejus concessio ab arbitrio superioris dependeat (*per dem.*): Eadem etiam in quavis civitate variare potest (§. 106.).

§. 1137.

§. 1137.

Quamobrem cum jurisdictio causis tantum civilibus & delictis levioribus adstringi; Vel etiam ad graviora, adeoque & pœnas capitales, infamiæ & corporis afflictivas graviores extendi possit; Inque priori casu inferior, in posteriori vero superior dicatur (*per def. & not.*); A principis autem pendeat arbitrio, quousque jurisdictio in milites debeat procedere (§. 1136.): *Præfectis militum jurisdictio in eosdem vel inferior saltem, vel superior etiam concedi potest.* *Superior aut inferior concedi potest.*

§. 1138.

Præfectis militum jurisdictionem superiorem illimitatam concedi non conveuit. *Superior illimitata non concedenda.*

Cum enim jurisdictio superior involvat etiam jus, tam pœnas infamiæ & corporis afflictivas graviores, quam ipsas capitales irrogandi (*def.* §. *1137.*): Eadem jus gladii involvit (§. *834. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Cum vero superior jus gladii summa religione debeat exercere (§. *838. loc. cit.*); Adeoque in pœna capitali irroganda suo stare judicio, non judicum (*Schol.* §. *841.*); Neque hinc pœna capitalis ante ejusdem ab ipso factam confirmationem facile irroganda sit (§. *cit.*): Jurisdictionem etiam superiorem eousque præfectis militum concedendam non esse apparet, ut pœnas capitales absque superioris confirmatione, in omni minimum casu, exequi possent. Et cum fama cum vita pari passu credatur ambulare; Per pœnas vero etiam corporis afflictivas graviores maximum inferatur præjudicium, quod plerumque tolli nequit: Quoad has etiam & pœnas infamiæ jurisdictionem præfectorum restringi conveniens videbitur. Major itaque jurisdictionis gradus concipi potest, quam qualem præfectis militum concedi convenit. Quare cum illimitatum non sit, quo majus concipi potest (§. *825. Ontol. WOLF.*): Patet, quod jurisdictio, quæ præfectis militum conceditur, superior licet sit, non tamen debeat esse illimitata.

Non facile itaque etiam præfectorum jurisdictio illimitata deprehendetur, nisi quod tribunis cohortium pedestrium imperialibus jus pœnas capitales absque confirmatione exequendi tribuatur; Uti ex BEHAIMIO refert LUDOVICI (§. *8. Cap. 1. der Einl. zum Kriegsproc.*).

§. 1139.

Si delictum a milite commissum tale & tantum sit, ut ad statuendum exemplum capitaliter & sine mora quidem puniri debeat: Executio *Quandonam indulgendum.*

pœnæ capitalis, etiam absque prævia confirmatione, præfectis militum, aut supremo saltem exercitus duci, concedenda est.

Cum pœnæ debeant esse motiva actionum non committendarum (§. 287. *Part. 1. Phil. pract. univ. WOLF.*): Finem eorum potissimum etiam esse constat, ut aliis metus incutiatur, quo a delinquendo deterreantur, adeoque exemplarem (§. 1062. *Part. 1. Jur. nat. ej.*). Cum itaque delictum tale possit esse, ut alii ad idem committendum facile queant allici, nisi ejusdem exemplum statuatur; Tantum vero etiam illud ponatur, ut capite plecti possit (*per hypoth.*): Finis pœnæ in hoc casu non obtineretur, nisi eadem in continenti executioni detur; Adeoque promta ejusdem executio necessaria est, si saltem finis pœnæ obtineri debeat. Cum vero milites in expeditione constituti, adeoque longius abesse possint a superiore: Executio pœnæ capitalis in continenti fieri, adeoque nec finis hujus obtineri posset, si illius antea confirmatio deberet accedere. Quare cum pœnæ capitalis irrogatio sine mora hic necessaria ponatur (*per dem.*); Ejus vero, quod necessarium est, contrarium impossibile sit (§. 279. *Ontol. WOLF.*): Patet, quod in casu dato executio pœnæ capitalis absque confirmatione concedenda sit.

In dubium hoc vocari poterit eo minus, quoniam in continenti occidi potest miles, si delictum, quod ab eo committitur, aliter nequeat coërceri (§. 966.). Hic enim nondum ponitur, quod pœna capitalis stante pede absque causæ cognitione & prævia sententia, sed solum, quod absque superioris confirmatione irrogetur.

§. 1140.

Judicii militaris definitio. Cum in genere judicium dicatur haberi, si jurisdictio actu exercetur; Ita ut judicium, in sensu nempe juris, sit ipsum jurisdictionis exercitium, sive modus, quo eadem exercetur (*per defin.*). Exercitium jurisdictionis militaris, sive modus, quo eadem exercetur, *Judicium militare* erit dicendum.

Cum judicium extra significatum, quem in Philosophia tuetur, in sensu juris interdum etiam sumi soleat vel pro loco judicii, vel pro ipsis personis, quibus jurisdictio exercenda simul competit, sive quæ judicium constituunt: Eo magis opus fuit, ut terminus iste accurata definitione circumscribatur, ne in ejusdem applicatione dubium resultet.

§. 1141.

In eo causæ militum tractantur. Quare cum jurisdictio militaris sit potestas, quæ in causis militum competit (§. 1110.); In judicio militari vero ipsa militaris jurisdictio

ctio exerceatur (§. 1140.): *In judicio militari causæ militum, &c,* cum hæ potissimum litigiosæ sint (*dem.* §. *1112. n. 2.*), *litigiosæ præsertim tractantur.*

§. 1142.

Cum ordo, qui observatur in decidenda causa litigiosa in judicium deducta, sive modus, quo causæ in judicio tractantur, processus dicatur (*per defin.*): Modus, quo causæ militum litigiosæ in judicio militari tractantur, *Processus militaris* dicitur. *Processus militaris definitio.*

§. 1143.

Cum itaque in judicio militari causæ militum tractentur (§. 1141.); Modus vero, quo hæ in illo tractantur, processus militaris dicatur (§. 1142.); Adeoque tam judicium militare, quam processus circa res militum versetur: *Prout causæ militum variant: Variare etiam potest tam judicium militare, quam processus militaris.* *Quomodo is, ut & judicium variet.*

§. 1144.

Causæ militum tam civiles, quam criminales esse possunt. *Quotuplices causæ militum.*

Cum enim causæ militum tam contractus, quam delicta esse possint (§. 1100.); Delicta vero tam privata, quam publica sive crimina esse constet (*§. 581. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Causæ militum circa contractus & delicta, tam privata, quam publica versantur. Quare cum causæ, quæ circa contractus vel delicta privata versantur, seu jura & obligationes ex iisdem concernunt, civiles; Quæ vero circa delicta publica, sive crimina, adeoque pœnas criminales irrogandas (*def.* §. *922.*) versantur, criminales dici soleant (*per defin.*): Patet, quod causæ militum tam civiles, quam criminales esse queant.

§. 1145.

Causæ militum communes tam civiles, quam criminales; Militares vero potissimum sunt criminales. *In specie tam communes, quam militares.*

Cum enim causæ militum communes tam contractus, quam delicta esse possint (§. 1101.); Hæc vero vel privata vel publica sint (§. *581. cit.*): Causis militum communes tam circa contractus & delicta privata, quam circa delicta publica sive crimina versari apparet. Quare cum causæ, quæ circa contractus aut delicta privata versantur, civiles; Quæ circa publica seu crimina, criminales dicantur (*def.* §. *1144.*):

 Patet,

Patet, quod causæ militum communes tam civiles, quam criminales esse queant. *Q. e. 1.*

Cum vero causæ militares potissimum delicta sint (§. 1101.), & quidem militaria (*dem. ibid. n. 2.*); Delicta militaria vero publica sint, sive crimina (*§.* 547.): Causas militares circa delicta publica sive crimina potissimum versari elucet. Quare cum causæ tales criminales dicantur (*per alleg. n. 1.*): Causas militares criminales esse potissimum patet. *Q. e. 2.*

Dari vero causas etiam militares, quæ & in sensu §. 1144. civiles dici possint, plane non negamus. Cum enim ex contractu militari jura & obligationes resultent (*per super.*): Eadem etiam controversa fieri posse facile intelligitur. Cum vero, si jus aut obligatio ex negotio quodam controversum fiat, causa dicatur litigiosa (*def. §. 1102.*): Si jus vel obligatio ex contractu militari reddatur controversum, hoc sine dubio ad causas civiles erit referendum. Cum vero tales non frequentes soleant esse, neque etiam in judicium deduci, sed brevi manu decidi; Causæ vero, quæ judicia militaria occupant, penitus fere sint criminales (*per dem.*): Militares etiam potissimum criminales esse, dici non repugnabit.

§. 1146.

Judicium militare quotuplex.

Judicium itaque *militare tam civile quam criminale esse potest.*

Judicium enim militare tot modis potest variare, quot causæ militum (§. 1143.). Quare cum causæ militum vel civiles esse possint, vel criminales (§. 1144.); Judicium vero, in quo causæ civiles tractantur, civile; In quo criminales, criminale dici soleat (*per defin.*): Patet, quod judicium militare vel civile vel criminale esse possit.

§. 1147.

Judicii milit. civilis & crimin. definitio.

Judicium itaque *militare*, in quo causæ militum civiles tractantur, *civile*; In quo criminales, *criminale* dicitur.

Judicium militare civile dici quidem solet germanico idiomate *das Kammerrecht oder Kammergericht* (*n. 1318. Juris milit. prud. BEYER.*); Uti criminale *das Malefizrecht* (*n. 1502. l. c.*). Quæ vero denominationes non ubique usitatæ sunt.

§. 1148.

Quænam causæ in utroque tractentur.

Hinc cum causæ militum criminales, tam communes quam militares esse possint; Civiles vero sint potissimum communes (§. 1145.): *In judicio militari criminali tam causæ militum communes quam militares tractantur; In civili vero potissimum communes.*

Cum

Cum vero negari plane nequeat, quod dentur causæ militares, quæ & civiles dici possint (*Schol.* §. *1145.*): In judicio etiam militari civili occurrere plane non posse causas militares, dicere non licebit. Cum vero nec in genere causæ militum civiles omnes in judicium soleant deduci (§. *9. Cap. 7.* LUDOVICI *Einl. zum Kriegsproc*); Sed brevi manu absque omnibus processus ambagibus decidi; Et causæ militares, si quæ dantur civiles, ejus sint præsertim conditionis, ut inter milites eorumque præfectos agantur (*per exp. & dem. ad* §. *1145.*); Quos in judicio secum committere propter subordinationem convenire non videtur: Patet, quod in judicio militari civili non facile, aut non adeo frequenter, occurrent causæ militares, adeoque dici non disconveniat, quod in eodem potissimum causæ communes tractentur.

§. 1149.

Processus militaris tam civilis quam criminalis esse potest. *Processus militaris quotuplex.*

Processus enim militaris tot modis potest variare, quot variant causæ militum (§. 1143.). Quare cum causæ militum tam civiles, quam criminales esse possint (§. 1144.); Processus vero, qui circa causas civiles instituitur, civilis; Qui vero circa causas criminales, criminalis dicatur (*per defin.*): Patet, quod processus militaris tam civilis, quam criminalis esse possit.

§. 1150.

Processus itaque *militaris*, qui circa causas militum civiles instituitur, *civilis*; Qui circa causas eorum criminales, sive crimina, *criminalis* dicitur. *Processus milit. civ. & crimin. definitio.*

Cum causæ criminales dicantur, quæ circa delicta publica sive crimina versantur (*def.* §. *1144.*): Facile patet, quod causæ militum criminales aliæ non sint, nisi crimina eorum; Adeoque, quod processus militaris dici possit, qui circa crimina ipsorum instituitur.

§. 1151.

Processus militaris civilis maxime causas militum communes; Criminalis vero tam communes, quam militares spectat. *Quasnam causas uteroque spectet.*

Causæ enim militum communes tam civiles, quam criminales; Militares vero potissimum saltem criminales sunt (§. 1145.); Quare cum processus militaris civilis dicatur, qui circa causas militum civiles; Criminalis, qui circa criminales instituitur (§. 1150.): Patet, quod hic tam circa causas militum communes, quam militares;

res; Ille vero utplurimum circa causas militum communes saltem versetur.

§. 1152.

Quæ ad processum milit. requirantur.

Processus militaris ad solennitates juris civilis non est adstringendus; Sed in eo plura non requiruntur, quam quæ natura causæ tractandæ & recta ratio exigit.

Cum enim solennitates juris dicantur circumstantiæ mere arbitrariæ, ad validitatem actus cujusdam jure civili requisitæ (*def.* §. *402.*); Ad processum vero inprimis solennitates plurimæ jure civili requirantur (*per hypoth.*): Quod milites litibus & negotiis implicarentur, si in processu militari omnes illæ solennitates deberent observari, facile perspicitur. Quare cum cavendum sit, ne illud fiat (§. 475.): Patet, quod processus militaris ad solennitates juris civilis non sit adstringendus. *Q. e. 1.*

Cum vero ea, quæ sunt juris naturæ; obtinere etiam debeant circa milites (§. 105.); Ea vero, quæ natura rei alicujus exigit, sint etiam juris naturæ (§. 2. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): In processu militari etiam ea, quæ natura causæ tractandæ & recta ratio exigit, observari debent. Et cum ea, quæ sunt juris civilis, in processu militari observanda non sint (*per dem. n. 1.*). Patet, quod in processu militari plura non requirantur, quam quæ natura causæ tractandæ & recta ratio exigit. *Q. e. 2.*

§. 1153.

Summarius sit.

Processus itaque militaris quam maxime debet esse summarius.

In processu enim militari neglectis solennitatibus juris civilis plura non debent observari, quam quæ natura causæ tractandæ & recta ratio exigit (§. 1152). Quamobrem cum processus, in quo neglectis solennitatibus juris civilis saltem ea observantur, quæ natura causæ tractandæ & recta ratio requirit, summarius dicatur (*per def.*): Patet, quod processus militaris quam maxime debeat esse summarius.

Hoc propterea potissimum esse, ne milites per processus ambages a servitiis suis diutius abstrahantur, ex iis, quæ ad § 475 & alibi demonstravimus, facile intelligitur. Processus summarius plerumque quidem solum de civili sumi solet; Adeoque & ad militarem, qui in causis civilibus obtinet, illud restringi solet, quod debeat esse summarius, uti fit cum aliis a Dno. GNüGE (§. *741. der Anl. zum Kriegsrechte*). Adesse

esse vero rationem, cur & a processu militari criminali ea rescindantur, quæ meræ solennitatis sunt, tam apparet, quam praxi etiam consentaneum deprehenditur. Qua de re propositio illa magis universaliter enuncianda, quam ad processum militarem in causis saltem civilibus adstringenda visa fuit.

§. 1154.

In processu militari adsunt duæ partes, quarum una contendit, jus sibi competere, quod altera denegat; Altera vero, a qua tributio juris petitur. *In eo duæ sunt partes.*

Processus enim militaris causam litigiosam supponit (§. 1142.). Causa vero litigiosa tunc dicitur, si negotium quoddam, aut jus, aut obligatio ex eodem sit controversum (*def.* §. 1102.). Cum itaque jus controversum dicatur, si duo vel plures eandem rem tanquam suam vel sibi debitam prætendant (*def. loc. cit.*); Adeoque si jus, vel in genere res quædam, controversum sit, adesse debeat unus, qui illud vel hanc sibi competere, contendit, & alter, qui idem negat, adeoque jus vel rem tribuere detrectat: Patet, quod in processu militari etiam adsint duæ partes, quarum una contendit, jus sibi competere, quod altera denegat, & alteram, a qua tributio juris illius denegati petitur.

§. 1155.

Quamobrem cum si partes de jure controvertant, actor dicatur, qui jus prætendit, quod pars adversa ipsi competere denegat; Reus autem, a quo tributio juris illius petitur (§. 980. *Part. 5. Jur. nat.* WOLF.); Si vero partes de jure controvertere dicantur, hoc de processu civili maxime intelligatur (*per hypoth.*); Et in processu militari adsint duæ partes, quarum una jus sibi competere contendit, quod ab altera denegatur, & a qua propterea ejusdem tributio petitur (§. 1154.): *In processu militari civili actor & reus adesse debet.* *In civili actor & reus.*

§. 1156.

In processu militari reus esse nequit, nisi miles; Actor vero tam paganus quam miles. *Reus non nisi miles est.*

Cum processus militaris dicatur modus, quo causæ militum litigiosæ in judicio militari tractantur (§. 1142.): Adeoque judicium militare, & hinc etiam jurisdictionem militarem supponat (§. 1140.)

(§. 1140.); Is vero, cui hæc competit, judex militaris dicatur (§. 1114. 1115.): Processus militaris judicem supponit, cui milites subsunt. Judici vero milites subesse debent propterea, quoniam fieri potest, ut jus alteri non tribuant, quod ipsi debetur, adeoque vi eo adigendi sint (*per dem.* §. 1104.). Propter eos itaque, qui jus aliis denegant, milites judici subjecti sunt, qui quidem eorum peculiaris esse debet (§. 1113) & militaris vocatur (§. 1114.). Processum itaque militarem institui solum contra milites, qui aliis jus suum denegant, & a quibus adeo tributio illius petitur, apparet. Quare cum in processu militari is, a quo tributio juris denegati petitur, reus dicatur (§. 1155.): Patet, quod in processu militari reus esse nequeat, nisi miles. *Q. e. 1.*

Cum vero per se intelligatur, militem tam militi alii, quam pagano jus denegare posse, quod ipsi competit; Et ut hoc tribuatur, processu militari effici debeat (*per dem. n. 1.*); Is vero, qui in processu militari contendit, ut jus sibi tribuatur, actor dicatur (§. 1155.): Patet, quod in eodem actor esse possit tam miles, quam paganus. *Q. e. 2.*

Cum eos etiam, qui milites proprie non sunt, sed hos tantum sequuntur, foro militum uti constet, & debere suo loco demonstretur: Videri posset, quasi & pagani in processu militari rei possent esse. Cum vero in eo casu ad milites referendi sint, qui hos sequuntur (§. 447). Illos non proprie paganos dici convenit. Nec est, quod per reconventionem actor constitui possit reus; Adeoque cum in processu militari paganus etiam actor esse queat (*per dem. n. 2.*): Idem reus per reconventionem constituatur. Actorem enim a reo in eodem judicio reconventione pulsari posse, expediti quidem juris positivi est; Ejusdem vero naturalis necessitas nondum supponitur; Neque adeo eadem ad processum militarem absolute requiritur (§. 1152.). Quodsi vero eadem etiam in hoc processu ponatur; Facile tamen patet, quod cum reus sit, qui actione quadam convenitur, talis proprie non sit, qui reconvenitur, sed actor potius reconventus dicendus. Ita ut cum dicatur, reum esse non posse, nisi militem, hoc idem sit, ac quod in foro militari conveniri nequeat, nisi miles. Uti §. seq. idem hoc modo enunciatur.

§. 1157.

Nec convenitur, nisi miles. *Coram judice militari sive in foro militari conveniri nequit, nisi miles.*

Cum

Cum enim is conveniri dicatur, a quo coram judice tributio juris, quod denegat, petitur (*per def.*); A reo vero itidem juris tributio & quidem in judicio petatur (*def.* §. *1055.*): Si quis conveniatur, eundem eo reum constitui, apparet. Processus vero militaris judicem militarem supponit (*per dem.* §. *1156.*). Et cum huic jurisdictio in milites competat (§. 1114.); Hæc vero intuitu ejus, qui eidem subest, forum dicatur (*def.* §. *1116.*): Processum militarem in foro militum, quod peculiare esse debet (§. 1116.), & militare dicitur (§. 1121.), institui simul intelligitur. Quare cum in processu militari reus esse nequeat, nisi miles (§. 1156.); Si quis vero conveniatur, is eo reus constituatur (*per dem.*): Patet, quod coram judice militari, sive in foro militari conveniri nequeat nisi miles.

Absque vero propositione §. 1156. demonstrata idem etiam deduci poterit hoc modo. Cum jurisdictio militaris sit ea, quæ in milites competit (§. 1106.): Eandem non nisi in milites competere apparet. Quare cum judex militaris dicatur, cui ea competit (§. 1114.): Idem jurisdictionem exercere nequit, nisi in milites; Neque alii jurisdictioni ipsius subsunt, quam milites. Et cum jurisdictio intuitu ejus, qui eidem subest, forum dicatur (*def.* §. *1116.*); Et in specie militare, cui milites subsunt peculiariter (§. 1121.): Foro militari etiam non subsunt nisi milites. Judici vero jus competere debet vi adigendi ad jus tribuendum eos, qui idem denegant (§. 1106.). Judex itaque militaris ad idem adigere nequit, nisi milites; Neque in foro militari alii possunt ad idem adigi, quam milites. Quare cum is conveniri dicatur, a quo coram judice tributio juris, quod denegat, petitur (*per defin.*); Adeoque ab eo judice sive in eo foro, coram vel in quo quis convenitur, adigi posse debeat ad jus tribuendum, quod denegat: Patet, quod coram judice militari, sive in foro militari conveniri nequeat, nisi miles.

Hoc modo magis adhuc removetur dubium, quod a reconventione peti posset. Cum enim hic dicatur, quod conveniri non possit, quam miles; Conveniri vero proprie non dicatur, qui reconventione petitur: Nec illud excludit, quod in foro militari reconventione pulsari queat alius, quam miles. Cum tamen idem sit, conveniri & reum esse (*per prius dem.*): Nihil etiam incongrui esse apparet, quod dicatur, in processu militari reum non esse nisi militem: Licet vel maxime in eodem paganus reconventione peti possit.

§. 1158.

In processu militari civili requiritur, ut actor factum, quo jus, quod prætendit, acquisitum esse debeat, & quod a reo negatur, narret, probet; Reus vero

Quæ in processu milit. civi-

li requirantur. *vero ad facti narrationem respondeat, utrum id pro vero habeat, nec ne, aut num saltem circumstantias quasdam neget, & quaenam contra ea quae admittit, excipiat, & haec adversus actorem negantem sufficienter probet.*

Utrumque enim ipso jure naturae tam in actore (§. *986. Part. 5. Jur. nat.* WOLF.), quam in reo requiritur (§. *987. ibid.*). Quare cum in processu militari opus sit iis, quae natura causae tractandae & recta ratio exigit (§. 1152.): In processu vero militari civili tam actor quam reus adsit (§. 1155.): Patet, quod in hoc processu eadem etiam utrique incumbant.

§. 1159.

Scriptis non agendum. *In processu militari civili scriptis agi non convenit.*

Scripta enim processium diffusiorem reddere constat. Et cum oretenus aeque ac scriptis agi possit in judicio (*per not.*): Naturam causae tractandae & rectam rationem non exigere, ut scriptis agatur, apparet; Sed potius naturae processus summarii hoc est contrarium. Quare cum ad processum militarem plura non requirantur, quam quae natura causae tractandae & recta ratio exigit (§. 1152.); Contra vero processus militaris quam maxime debeat esse summarius (§. 1153.); Processus summarius vero de civili potissimum intelligatur (*schol. ibid.*): Patet, quod in processu militari civili scriptis agendum non sit.

Dum scriptis agi non debere, asseritur: De partibus litigantibus hoc intelligendum esse, ne scilicet ea, quae ab ipsis proferenda sunt, scriptis tradant, facile perspicitur. A judice enim ea, quae a partibus proferuntur, scriptis consignari, utique convenit, & quod debeant, demonstrare facile licebit.

§. 1160.

Libello tamen locus est. *In processu militari civili locus tamen est libello: Licet idem necessario non requiratur.*

Cum libellus sit scriptura, qua mediante causa in judicium deducitur (*per defin.*); Scriptis vero in processu militari civili non sit agendum (§. 1159.): Libello nec locum concedi debere, videri posset. Cum vero per libellum causa demum in judicium deducatur (*per alleg.*); Adeoque per eundem processus saltem initium fiat: Hunce eo non fieri diffusiorem apparet. Quare cum in eo ratio ponatur, cur scriptis agi non debeat (*per dem.* §. *1159.*): Eadem quoad libellum cessat. Cum itaque cessante ratione sufficiente cesset etiam, quod propter eam est (§. *118. Ontol.* WOLF.): Patet, quod libello locus concedi debeat in processu militari civili. *Q. e. 1.*

Cum

Cum vero tam oretenus, quam ſcriptura, cauſa in judicium deduci poſſe conſtet: Ipſa cauſæ tractandæ natura libellum non exigit. Quare cum ea, quæ natura cauſæ non exigit, nec in proceſſu militari civili requirantur (§. 1152.): Patet, quod libellus non ſit neceſſitatis. *Q. e. d.*

Ut ſcriptis agi dici poſſit: Facile patet, quod hoc duos ſupponat, a quibus ſcripta mutua proferuntur. Cum vero libellus ſit ſcriptura, qua cauſa in judicium deducitur (*per ſup.*); Actoris autem ſit cauſam in judicium deducere: Actori etiam ſoli ſcripturam concedi intelligitur, neque adeo reo ſimul ſcriptura reciproca permittitur. Proprie itaque dici nequit, quod ſcriptis agatur, dum libellus actori conceditur. Neque adeo hoc antea demonſtratis repugnat.

§. 1161.

In proceſſu militari civili reus debet citari, ſive citatio rei requiritur. *Citatio rei requiritur.*

Cum in proceſſu militari civili reus debeat reſpondere ad ea, quæ profert actor (§. 1158.); Scriptis vero agi non liceat (§. 1159.): Ut reus oretenus reſpondeat, adeoque in judicio compareat, opus eſt. Quare cum mandatum de comparendo in judicio citatio dicatur (*per def.*): Patet, quod & in proceſſu militari civili reus debeat citari, ſive citatio rei requiratur.

Cum jurisdictio militaris præfectis, ut convenit, plerumque ſoleat committi (§. 1135.); His vero ſimul imperium in milites competat (§. 185.): Citatio militum præſertim gregariorum abſque ambagibus & vel per modum imperii peragitur. Et quod vel corporis prehenſione ſive realiter fieri poſſit, ſtatim ſubjungemus.

§. 1162.

Milites in proceſſu civili ſeu propter cauſas civiles incarcerari quoque poſſunt. *Incarceratio fieri poteſt.*

Cauſæ enim militum civiles eſſe quoque poſſunt delicta, privata licet (*per dem. §. 1145.*). Et cum proceſſus civilis circa cauſas civiles inſtituatur (§. 1150.): In eodem etiam delicta occurrere, adeoque milites delicti reos reddi poſſe apparet. Quare cum milites delicti rei propter imminentem pœnam carcere detinendi ſint (§. 910.): Patet, quod milites in proceſſu civili ſeu propter cauſas civiles incarcerari quoque poſſint.

§. 1163.

Milites itaque *realiter poſſunt etiam citari.* *Adeoque realis citatio.*

Cum enim milites in proceſſu civili ſeu propter cauſas civiles incarcerari quoque poſſint (§. 1162.); Incarceratus vero, ſi in judicio debeat

comparere, eo duci, adeoque corpore prehendi debeat: Milites etiam corporis prehensione in judicium posse duc apparet. Quamobrem cum citatio, quæ fit corporis prehensione, realis dici soleat (*per defin.*): Patet, quod & realiter citari possint milites.

Corruit itaque ea, quam consuetudine saltem introductam putat thesin ERN. FRID. SCHRöTER (§. 2. *Cap.* 3. *Sect.* 1. *Diss. de Jur. milit. sing.*), quod miles realiter citari non possit. Quodsi quidem realem citationem de antiqua illa in jus vocatione, quæ obtorto collo fiebat & vel privatis concedebatur, intelligas: Cum hæc hodie in genere non amplius liceat privatis; Nec in milites exerceri poterit. Cum autem citationem a judice fieri supponatur: In eo sensu militem realiter citari posse dubium esse nequit.

§. 1164.

Quænam ad proc milit. civ. sufficiant. Cum ad processum summarium, qui civilis supponitur, plus non requiratur, quam ut qualis qualis facti narratio fiat ab actore; Reus a judice citetur; Citatus respondeat; Probatio injungatur, & sine solenni attestationum disputatione statim sententia feratur (§. 1. *Tit.* 6. *Lib.* 4. *Jurispr. R G. F. STRUV.*); Processus vero militaris maxime debeat esse summarius (§. 1153.): *Ad processum militarem civilem ea, quæ jure civili ad summarium requiruntur, sufficiunt.*

§. 1165.

Quænam sint partes in processu criminali. *In processu militari criminali partes, inter quas causa agitur, sunt respublica & miles delinquens.*

In processu enim militari in genere duæ sunt partes, quarum una contendit, jus ipsi competere, & altera, a qua tributio juris petitur (§. 1154.). Processus vero criminalis circa crimina instituitur (§. 1150.). Quare cum delictis publicis sive criminibus ipsi reipublicæ damnum detur vel injuria inferatur (§. 581. *Part.* 8. *Jur. nat. WOLF.*); Processus vero militaris criminalis militem supponat (§. 1150.): In eodem rempublicam & militem delinquentem partes esse, quas inter res agitur, apparet.

Cum ex delicto jus ad pœnam nascatur ei, qui per illud læditur (*dem.* §. 1100.); Per delicta vero publica, utpote circa quæ processus militaris versatur, ipsa respublica lædatur (*per alleg.*): Reipublicæ jus ad pœnam competere, adeoque illam eam esse partem, apparet, quæ jus sibi competere contendit; Militem delinquentem vero eam, a qua tributio juris illius petitur vel potius, cum jus illud sit perfectum, exigitur.

§. 1166.

§. 1166.

Partes reipublicæ agere quis debet.

Cum vero respublica universa, tanquam persona moralis, agere nequeat (*quod per se patet*); Eadem vero in processu militari criminali partem unam constituat (§. 1165.) earum, quæ adesse debent (§. 1154.): ***In processu militari criminali præter militem delinquentem adesse debet quis, qui partes agat reipublicæ.***

§. 1167.

Judex ipse aut alius.

Cum judices reipublicæ causa constituti sint (§. *539. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); *In processu* vero *criminali* reipublicæ partes agere quis debeat (§. 1166.): In eodem ***judex ipse, reipublicæ partes agere, aut alius, qui hoc faciat, constitui debet.***

Quidnam expediat, & num adeo processus inquisitorius vel accusatorius debeat præferri: Hujus loci non est disquirere, ubi ad milites saltem ea applicantur, quæ in jure occurrunt. Paucis saltem postea indigitabimus, quisnam quoad milites præstare videatur.

§. 1168.

Qui accusator dicitur.

Quare cum si judex ipse partes agat reipublicæ, idem ex officio agere dicatur (*per def.*); Si autem in processu criminali constituatur alius, qui id agat, hic accusator dicatur (*per def.*): *In processu* vero *militari criminali* aut ipse judex, aut alius reipublicæ partes debeat agere (§. 1167.): In eodem ***judex aut ex officio debet agere, aut accusator constitui.***

§. 1169.

Processus militaris criminalis quotuplex.

Hinc porro cum processus criminalis in genere, in quo judex ex officio agit, inquisitorius, in quo vero accusator [illegible] vel constituitur, accusatorius dicatur (*per defin.*); In processu autem militari criminali judex vel ex officio agere, vel accusator constitui debeat (§. 1168.): ***Processus militaris criminalis quoque vel inquisitorius vel accusatorius est.***

De Processu inquisitorio in judiciis militaribus usitato sub præsidio Dni. HENR. BROKES dissertationem inauguralem habuit C. C. V. RÜCKERUS Jenæ 1748.

§. 1170.

Inquisitorium esse, convenit.

Cum processus militaris ad solennitates juris civilis non sit adstringendus (§. 1152.); Processus vero accusatorius plura requirat, quæ solennitatis fere tantum sunt, quam inquisitorius (*per hypoth.*): ***Processum militarem criminalem esse potius inquisitorium, quam accusatorium convenit.***

Cum in naturam utriusque processus hic non sit locus penitius inquirendi, sed illud ad doctrinam juris criminalis generalem pertineat: Nec in genere hic demonstrari poterit, quinam alteri præstet; Nec in specie etiam plene deduci, quinam judiciis militaribus magis conveniat. Per hypothesin itaque saltem ponimus, accusatorium solennitatibus abundare, quæ ad essentiam processus non pertinent. Atque illa posita saltem asserimus, quod inquisitorius conveniat.

§. 1171.

Mixtus esse potest.

Porro cum processus criminalis in genere partim inquisitorius, partim accusatorius esse possit, qui mixtus dicitur, in quo nempe judex ab initio ex officio agit, postea vero accusator constituitur (*per defin.*); Processus vero etiam militaris criminalis tam inquisitorius, quam accusatorius esse queat (§. 1169.): *Processus militaris criminalis ex inquisitorio & accusatorio mixtus etiam esse potest.*

Talis etiam plerumque esse solet, qui inter milites obtinet processus criminalis, ut ab initio judex ex officio inquirat in crimen, cujus miles arguitur, & si illud ab hoc negetur, eundem ejus convincere studeat; Postea vero solennitatis magis, quam necessitatis gratia plerumque constituatur accusator, qui contra rei defensorem processum ad finem usque perducat.

§. 1172.

Qui tamen maxime sit inquisitorius.

Cum vero processum militarem criminalem inquisitorium potius, quam accusatorium esse conveniat (§. 1170.); Idem autem ex utroque mixtus esse possit (§. 1171.): *Si processus militaris criminalis mixtus obtineat: Eundem tamen potissimum inquisitorium esse convenit.*

Judicis itaque militaris erit, eo eniti, ut processus criminalis, si mixtus sit, maxi[illegible] tamen partem inquisitorio, qui accusatorium præcedit, absolvatur, [illegible]sterior eo brevior reddi possit. Judicem propterea, præsertim militarem, eo magis sedulum decet esse in inquirendo, ut ambages, quibus processus accusatorius expositus est, eo facilius evitentur & declinentur.

§. 1173.

Quænam requirantur ad proc. milit. crimin.

Ad processum militarem criminalem plura non requiruntur ex processu criminali communi, quam quæ substantialia ejusdem sunt.

Substantialia enim dicuntur eæ rei cujusdam determinationes, quæ eidem constanter insunt, nec abesse possunt (§. 39. *Jur. seu l. nat.*); Adeoque tam essentialia, quam attributa (*schol. ad* §. *cit. &* 40.). Cum itaque essentialia rei essentiam ejusdem constituant (§. 143. *Ontol. WOLF.*); Attributa vero per essentialia determinentur (§. 146. *ibid.*): Substantialia sunt, quæ per essentiam & naturam rei determinantur. Et cum ea, quæ

quæ per essentiam & naturam rerum determinantur, juris naturæ sint (§. 2. *Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Quæ natura rerum sive recta ratio circa rem requirit, substantialia ejus sunt; Adeoque substantialia processus criminalis, quæ natura causæ in eo tractandæ & recta ratio exigit. Quare cum in processu militari plura non requirantur, quam quæ natura causæ tractandæ & recta ratio exigit (§. 1152.): Patet, quod ad processum militarem criminalem plura non requirantur ex processu criminali communi, quam quæ substantialia ejus sunt.

Quænam sint substantialia processus criminalis in genere, ad theoriam processus generalem pertinere, facile perspicitur. Quæ cum hic non traduntur; Nec illa recensere, sed supponere potius aut speciali tractationi reservare licebit. Quædam solum, quæ jam demonstrata inveniuntur, ad processum militarem applicabimus, & vel speciminis loco adducemus.

§. 1174.

Si miles, qui criminis alicujus arguitur, illud neget: Hoc probari, sive reus ejusdem convinci debet, antequam puniri possit. *Quidsi delictum negetur.*

Ipsius enim juris naturæ est, ut nemo puniatur, nisi delicto aut crimine sufficienter probato, aut nisi ejusdem convictus (§ 673. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*). Si vero miles criminis inculpetur, hoc processum militarem criminalem supponit (§. 1150.). Quare cum ea, quæ in processu criminali juris naturæ sunt, adeoque ad substantialia pertinent, obtinere etiam debeant in processu militari criminali (§. 1173): Patet etiam, quod si miles, qui criminis arguitur, illud neget, hoc probari, sive reus ejusdem convinci debeat, antequam puniri possit.

Doctrinam de probatione, qualis ipso jure naturæ debet esse comparata, tradidit Vir illustris L. B. de WOLF capite 5. tomi 5. egregii operis Juris naturæ.

§. 1175.

Probatio criminis, si illud negetur a milite ejusdem reo, in processu accusatorio incumbit accusatori; In inquisitorio vero judex ex officio in veritatem illius inquirere debet. *Cui probatio criminis incumbat.*

In processu enim militari criminali respublica pars ea est, quæ jus sibi competere contendit (§. 1165.). Cum itaque pars ea, quæ jus sibi competere contendit, quæ actor dici solet (§. *980. Part. 5. Jur. nat. WOLF.*), hoc probare debeat, si negetur (§. *986. loc. cit.*): Reipublicæ probationem criminis, quod a milite negatur, incumbere apparet. Quare cum in processu accusatorio reipublicæ partes agat accusator; In inquisitorio vero judex ipse (§. 1167. 1169.): Patet, quod in illo probatio

batio criminis a milite ejusdem reo negati incumbat accusatori, in hoc vero judex ex officio in ejusdem veritatem debeat inquirere.

§. 1176.

Reo defensio concedenda. Cum ipsius juris naturæ sit, ut reo criminis, antequam condemnetur, defensio concedatur (§. 675. *Part. 8. loc. cit.*); Ea vero, quæ juris naturæ sunt, in processu militari præsertim etiam criminali obtineant (§. 1173.): *Militi criminis reo, antequam condemnetur, defensio concedenda est.*

§. 1177.

Et defensor adjungendus. Cum vero in defensione ea sint proferenda, quæ reum criminis excusare, vel in totum, vel ex parte, possent (§. 675. *cit.*); Illam jurium peritiam requirere apparet. Quare cum hæc in milite supponi; Adeoque defensio ab eo ipso peragi nequeat: *Militi criminis reo, antequam condemnetur, defensionis suæ gratia adjungendus est alius, qui aut jurium ipsemet sit peritus, aut saltem eos, qui jura callent, consulere possit.*

§. 1178.

Præfectum convenit. *In delictis militaribus militibus eorum reis defensorem dari præfectum convenit.*

Delicta enim militaria actiones obligationi cuidam militari contrarias supponunt (§. 543.): Obligationes vero militares, cum milites iisdem teneantur, præsertim notæ esse debent militibus, & in specie præfectis, quorum imperio actiones illorum subjacent (§. 221.). Præfecti itaque militum nosse potissimum poterunt, an miles delictum militare vere commiserit, & quid forsan ejus excusationem facere posset. Quare cum in prolatione eorum, quæ reum criminis excusant, defensio consistat (*dem.* §. 1177.); Cognitio obligationum militarium vero singularis sit, quæ adeo nec cuivis, jurium alias perito, inest: Patet, quod in delictis militaribus defensorem constitui præfectum conveniat.

Cum tamen cognitio jurium generalis etiam ad defensionem rei requiratur, vel requiri saltem possit: A præfecto defensore constituto, qui officii sui partes adimplere voluerit, in consilium adhiberi juris peritum, præstabit, cui ea, quæ militaria sunt, saltem suppeditet: Ne forsan ex omissione quorundam, quæ in criminis excusationem possent adduci, reo præjudicium oriatur.

§. 1179.

§. 1179.

Cum in genere judicis sit, cognita causa, quæ in judicium deducitur, pronunciare, a cujusnam parte jus stet (§. 540. *Part.* 8. *Jur. nat. WOLF.*); Effatum vero judicis, quo declarat, quid in causa controversa justum sit, sententia dicatur (§. 543. *loc. cit.*): *Judex etiam militaris sententias ferre potest & debet.* *Sententiæ a judice militari ferendæ.*

§. 1180.

Sententia a judice militari prolata dicitur *militaris*. Cum itaque judicis militaris potestas non sit nisi in causis militum (§. 1107. 1157.); Hæ vero in judicio militari tractentur (§. 1141.): Sententia militaris definiri etiam poterit per eam, quæ in causis militum, vel in judicio militari fertur. *Quæ militares dicantur.*

§. 1181.

Cum sententia, quæ fertur in causa civili, civilis, quæ in causa criminali, criminalis dicatur (*per defin.*); Sententiæ vero militares in causis militum ferantur (§. 1180.); Et hæ vel civiles, vel criminales sint (§. 1144.): *Sententiæ quoque militares vel civiles vel criminales possunt esse*; *Et* cum *a judice militari* ferantur (§. 1180.): Ab eo *tam civiles quam criminales sententiæ ferri queunt.* *Et vel civiles vel criminales sunt.*

§. 1182.

Ad sententias militares ferendas opus est applicatione legum, quibus actiones militum determinantur, ad facta eorum, adeoque cognitione seu peritia legum earum. *Quænam requirant.*

Ad id enim, ut pronuncietur, quid in causa controversa justum sit, applicatione legum ad facta opus est (*dem.* §. 984. *Part.* 5. *Jur. nat. WOLF.*). Cum itaque effatum judicis de eo, quod in causa controversa justum sit, sententia dicatur (*alleg.* §. 1179.): Ad sententiam ferendam eadem applicatione opus etiam esse liquet. Sententiæ vero militares in causis militum feruntur (§. 1180.); Causæ vero militum jura acquisita & obligationes contractas involvunt (*dem.* §. 1098.); Adeoque facta militum supponunt (*dem.* §. 1097.). Facta militum vero ad actiones eorum pertinent (§. 153. *Part.* 2. *Phil. pract. univ. WOLF.*). Et actiones eorum lege quadam debent determinari (§. 85.). Quare cum ad sententiam ferendam opus sit applicatione legum ad facta (*per dem.*): Ad sententias militares ferendas opus esse applica-

tione legum earum, quibus actiones militum determinantur, ad facta eorum apparet. *Q. e. 1.*

Et cum ad applicationem legum ad facta legum earum peritia requiratur (§. 985. *Part. 5. cit.*); Ad sententias militares ferendas vero opus sit applicatione legum, quibus actiones militum determinantur, ad facta eorum (*dem. n. 1.*): Patet, quod ad easdem etiam peritia harum legum sit necessaria. *Q. e. 2.*

§. 1183.

Per eas causae dijudicantur.

Per sententias militares itaque causae militum controversae scilicet, sive litigiosae dijudicantur.

Per sententias enim militares leges, quibus actiones militum determinantur, ad facta eorum applicantur (§. 1182.). Et cum per sententiam pronuncietur, quid in causa controversa justum sit (*def.* §. 1179.): Per sententias militares pronunciatur, an actiones militum legibus ipsorum conformes sint nec ne; Adeoque actionibus eorum vel conformitas cum legibus tribuitur, vel removetur ab iisdem. Quamobrem cum actus iste mentis, quo aliquid a re diversum eidem vel tribuitur, vel ab ea removetur, judicium dicatur (§. 39. *Log. WOLF.*); Sententiae vero militares in causis militum ferantur (§. 1180.): Patet, quod hae per illas dijudicentur.

§. 1184.

Secundum quas leges hoc fiat.

Quare cum sententiae militares ferantur applicatione legum earum, quibus actiones militum determinantur, ad facta eorum (§. 1182.); Per sententias vero militares causae militum dijudicentur (§. 1183.): *Causae militum dijudicari debent secundum leges seu jura eadem, quibus actiones eorum determinantur.*

§. 1185.

Primario secundum militares.

Causae militum, & militares in specie, primario dijudicari debent secundum leges militares, sive jus militare.

Causae enim militum facta, adeoque actiones, militum supponunt (*dem.* §. 1182.); Et cum causae militum qua talium, militares dicantur (§. 1099.); Causae militares in specie actiones militum, qua talium, supponunt. Actiones militum qua talium vero determinantur legibus militaribus (§. 87.) sive jure militari (§. 89.). Quare cum causae militum dijudicari debeant secundum eas leges, quibus actiones eorum determi-

terminantur (§. 1184.); Patet, quod causæ militares secundum leges militares, seu jus militare, debeant dijudicari. *Q. e. 1.*

Legibus vero militaribus aliæ etiam militum actiones, quam qua talium, possunt determinari (§. 553.). Et cum eædem actiones legibus civilibus etiam determinatæ supponantur (*per hypoth.*): In hoc casu lex militaris cum civili collideretur. Quare cum in tali collisione illa vincat, & hæc cedat (§. 100.): Patet etiam, quod in hoc casu, si actiones militum, etiam non qua talium, legibus militaribus sint determinatæ, dijudicatio causæ ex iis ortæ secundum hasce fieri debeat, & quod adeo causæ militum in genere etiam secundum easdem primario sint dijudicandæ. *Q. e. 2.*

Exemplum est in delictis communibus. Pleraque enim eorum legibus militaribus notata sunt singularibus pœnis diversis, ab iis, quæ legibus communibus statuuntur, plane diversis, & ut convenit (§. 768.), gravioribus. Quod si itaque eveniat, ut miles tale delictum committat: Nullus dubitat, quin ea potius pœna, quæ legibus militaribus, quam quæ civilibus, in illud statuta est, in ipsum debeat animadverti.

§. 1186.

Cum jus militare detur etiam non scriptum (§. 94.), quod observantia militaris vocatur (§. 95.); Dijudicatio causarum militum primario vero fieri debeat secundum jus militare (§. 1185.); Jus scriptum tamen, quod expressa superioris voluntate nititur, prævalere debeat non scripto, quod saltem tacita (*def.* §. 84.): *Si lex militaris scripta non adsit: Dijudicatio causarum militum, in specie militarium, fieri debet secundum observantias militares.* *Et observantias militares.*

§. 1187.

Si neque leges scriptæ, neque observantiæ militares adsint: Causæ militum, præsertim etiam communes, dijudicari debent secundum leges civiles, sive jus civile. *Etiam jus civile.*

Quatenus enim milites sunt cives: Eatenus actiones eorum jure etiam civili determinantur (§. 78.). Quoniam itaque causæ militum secundum easdem leges dijudicari debent, quibus actiones eorum determinantur (§ 1184.): Causæ etiam militum dijudicari poterunt secundum leges illas civiles. Cum vero hisce actiones militum qua civium saltem determinentur (*per super.*); Causæ vero militum, qua civium, communes dicantur (§. 1099.): Patet, quod causæ militum, præsertim communes, secundum leges civiles sint dijudicandæ. *Q. e. 1.*

Cum autem causæ militum primario dijudicari debeant secundum leges militares, tam scriptas (§. 1185.), quam observantias (§. 1186.): Quamdiu adsunt leges sive observantiæ militares: Tamdiu dijudicatio secundum leges civiles fieri non poterit. Patet itaque etiam, quod hoc demum intelligendum sit, si leges militares scriptæ, & observantiæ deficiant. *Q. e. 2.*

§. 1188.

Aut analogiam juris. *Si actio quædam militum legibus expresse non determinetur: In decidendis causis militum, quæ eandem supponunt, ad analogiam juris recurrendum est.*

Cum principium dicatur id, quod in se continet rationem alterius (§. 866. *Ontol. WOLF.*): Principia juris rationem hujus sive legum in se continere, apparet. Si quid itaque principiis juris conveniat: Adest ratio, cur quid sit juris. Quodsi itaque actio quædam militum legibus expresse non sit determinata; Principiis vero juris conveniat, ut certo quodam modo determinetur: Ratio etiam adest, ut hoc fiat (§. 118. *loc. cit.*). Quamobrem cum in consensu cum principiis juris analogia ejusdem consistat (*def.* §. 399.); Dijudicatio vero causarum militum fieri debeat secundum eas leges, quibus actiones eorum determinantur (§. 1184.): Patet, quod in decidendis causis militum ad analogiam juris sit recurrendum, si quædam actio militum legibus expresse non determinetur.

§. 1189.

Et jus naturæ. *Si desint leges positivæ, tam militares, quam civiles, quibus actiones militum determinentur: Causæ militum, quæ has supponunt, secundum jus naturæ dijudicandæ sunt.*

Cum enim milites ad ea obligentur, quæ sunt juris naturæ (§. 122.): Actiones eorum jure etiam naturæ determinari, apparet. Quare cum causæ militum dijudicari debeant, secundum eas leges, quibus actiones eorum determinantur: Dijudicationem causarum militum fieri etiam posse & debere secundum jus naturæ patet. Cum tamen eadem primario fieri debeat secundum leges militares (§. 1185.), & si hæ deficiant, civiles (§. 1187.): Consequitur, quod secundum jus naturæ causæ militum tunc demum sint dijudicandæ, si desint leges positivæ, militares aut civiles, quibus actiones eæ determinantur, quas causæ supponunt.

§. 1190.

§. 1190.

Ad dijudicandas itaque causas militum & ferendas sententias militares non solum juris militaris, sed & civilis & naturalis prudentia sive scientia opus est. *Scientia totum jurium requiritur.*

Cum causæ militum per sententias militares dijudicentur (§. 1183.): Ad dijudicandas illas idem opus esse, quod ad hasce ferendas, intelligitur. Ad sententias vero militares ferendas opus est peritia legum earum, quibus actiones militum determinantur (§. 1182.). Quare cum per illas causæ militum dijudicentur (*per alleg.*): Ad easdem ferendas opus est peritia legum earum, quibus causæ militum dijudicantur. Causæ vero militum tam secundum leges militares (§. 1185.), quam civiles (§. 1187.) & naturales dijudicandæ veniunt (§. 1189.). Quare cum complexus legum jus dicatur (§. 89.); Patet, quod tam ad causas militum dijudicandas, quam sententias militares ferendas opus sit prudentia sive scientia juris non tantummodo militaris, sed civilis etiam & naturalis.

§. 1191.

Hinc cum judex militaris sententias, militares nempe (§. 1180.), ferre debeat (§. 1179.); Ad hoc vero opus sit juris tam militaris, quam civilis & naturalis prudentia sive scientia (§. 1190.), & applicatione horum jurium ad facta militum (§. 1182.): *Judex militaris aut ipse jus tam militare, quam civile & naturale callere & ad facta militum applicare posse debet; Aut alius eidem adjungi, qui scientia eorum & eadem applicandi polleat.* *Quis ea debeat pollere.*

§. 1192.

Si præfectis militum jurisdictio militaris deferatur: Ad eandem exercendam & processum militarem dirigendum adjungi ipsis debet persona, quæ leges calleat & easdem valeat applicare ad facta militum. *Præfectis persona adjungenda est.*

Cum per sententias militares in causis militum quid statuatur (§. 1180.); In potestate vero in causis militum statuendi jurisdictio militaris consistat (§. 1110.): Per sententiarum lationem hanc exerceri consequitur. Et cum ipsum jurisdictionis militaris exercitium constituat judicium militare (§. 1140); Modus vero, quo causæ militum in judicio militari tractantur, processus militaris dicatur (§. 1142.): Sententias militares etiam hunc supponere elucet. Quoniam vero processus militaris modum sive ordinem innuit, quo causæ in judicio militari ve-

niunt tractandæ (*per alleg.*); Adeoque plura involvat, quæ se invicem consequuntur (§.471. *Ontol WOLF.*); Qui jurisdictionem militarem voluerit exercere, curare debet, ut hæc omnia observentur; Adeoque, cum in hac cura directio processus consistat (*per defin*), processum militarem dirigere. Ad sententias itaque ferendas exercitio jurisdictionis & processus directione opus est. Quare cum ad illas jurium prudentia sive scientia (§.1190.), ut & applicatio legum ad facta requiratur (§. 1182.): Eædem etiam necessariæ sunt ad exercendam jurisdictionem & processum dirigendum. Licet vero milites leges militares callere obligentur (§. 137.): Juris tamen præsertim civilis, aut naturalis intimior prudentia sive scientia in iis supponi vel desiderari nequit. Quodsi itaque præfectis militum jurisdictio militaris committatur, uti convenit (§.1135.); Adeoque iidem judices militares eo constituantur (§.1114.): Ipsos tamen jurium ad exercendam jurisdictionem scitu necessariorum cognitione & habitu leges ad facta applicandi pollere, supponi nequit. Quamobrem cum si judex militaris ipsemet hac peritia destituatur, adjungi eidem debeat persona alia, quæ eadem polleat & leges applicare valeat (§. 1191.): Patet, quod præfectis militum ad exercendam jurisdictionem militarem & processum dirigendum adjungenda sit persona legum peritia & habitu easdem ad facta applicandi prædita.

§. 1193.

Auditoris definitio.

Persona, quæ judici militari ad exercendam jurisdictionem & processum dirigendum adjungitur, stilo militari ***Auditor***, sive ***Prætor militaris*** aut castrensis vocatur.

De Auditoribus dissertationem inauguralem inscripsit HENR. CHRISTI. SCHRöTER, quam habuit Altdorfi 1678. Cum per prætorem jam intelligatur persona, cui jurisdictio competit, seu quæ judex est; Talem vero non esse auditorem, statim ostensuri sumus: Nec prætoris militaris denominatio proprie eidem convenit, nisi de eo intelligatur, qui jurisdictionem alterius nomine saltem exercet.

§. 1194.

Non est judex militaris.

Auditor sive prætor militaris non est, seu dici nequit, judex militaris.

Auditor enim judici militari saltem adjungitur ad jurisdictionem exercendam (§. 1193.). Non itaque ipsimet hancce competere, sed ei, cui adjungitur, apparet. Quare cum is demum judex militaris dicatur, cui

cui jurisdictio in milites nempe peculiaris competit (§. 1114.): Patet, quod auditor non sit, neque dici possit judex militaris.

Fieri quidem hoc plerumque solet ab iis, qui notiones rerum non satis evolvunt. Sic v. gr. judices militares auditores esse, vel juris civilis auctoritate sustinere conatur H. C. SCHRÖTER (§. 1. *Sect.* 3. *Diss. de Audit.*) & auctor dissertationis (§. 1169.) allegatæ judices castrenses eos denominat (§. 5.). Recte itaque hoc reprehenditur a GUST. GEO. KOENIG (§. 2. *Cap.* 3. *Diss. de Foro militis obærati*). Qui tamen in eo ultra, quam par est, procedere videtur, quod auditores saltem actuarios & judicum ministros existimet. Cum enim infra demonstraturi simus, [illegible]toribus votum concedendum & intra adsessores judicii militaris eos e[illegible]erendos: Officium eorum illo actuarii nobilius esse, facile apparet. Quod & in eo casu largitur modo citatus KOENIG, & jus suffragii & adsessoris tribui ipsis posse, & apud quosdam actu tribui, ipse monet.

§. 1195.

Ut unicuique tribuno jurisdictio in cohortem suam concedatur, convenit. *Tribunis jurisdictio concedenda.*

Ut enim milites judici sive jurisdictioni peculiari submittantur, etiam est ex qualitate personæ eorum (§. 1120.); Ne scilicet, si ad certum quendam locum adstringerentur, eo a loco commorationis suæ avocarentur, & a servitiis suis abstraherentur (*dem.* §. 1117.). Licet itaque jurisdictionem in milites præfectis eorum concedi conveniat (§. 1135.): Ratio tamen adest, ut in plures milites uni non concedatur, quam qui una plerumque soleat commorari. Quare cum cohors classis sit militum (§. 188), quæ eorum tot continet, quot simul commorari plerumque jubentur (*per hypoth.*); Præfectus vero militum, qui cohorti præest, tribunus dicatur (§. 189): Patet quod conveniat, ut unicuique tribuno jurisdictio concedatur in suam cohortem.

Cum vero cohortes ex turmis vel agminibus aliquot; Hæc autem ex pluribus manipulis soleant constare (§. 188.); Adeoque fieri possit, ut turma vel agmen unum, vel aliquot saltem manipuli, vel unus etiam, in certum quendam locum ponantur: Tunc aut præfectis iis, quibus imperium turmæ aut agminis alicujus committitur, aut qui manipulis præsunt, jurisdictio exercenda etiam relinqui debet, vel causæ eorum ad præfecturam cohortis remittendæ erunt. Quorum prius in turmis & agminibus integris, posterius vero in manipulis solet observari, si separatim ponantur. Et cum manipuli, turmæ & agmina, quæ unam cohortem constituunt, non ita tamen a se invicem aut a præfectura cohortis soleant removeri, ut longius distent: Exinde non adeo magnum detrimentum rei militari metuendum est. Causas etiam, quæ moram ferunt

runt, usque ad conjunctionem manipulorum cum præfectura reservari non repugnabit. Nec aliud ipsam rei naturam pati, ex iis apparebit, quæ de centurionibus statim adjicientur.

§. 1196.

Non centurionibus. *Singulis centurionibus in manipulos suos jurisdictionem committi non convenit.*

Cum enim manipulis aliquot, vel uni saltem, etiam, commoratio in certo loco possit assignari (*schol.* §. 1195.); Præfectis vero tot militum, quot una collocari solent, jurisdictionem concedi conveniat (*dem.* §. *eod.*): Videri posset, quasi & singulis centurionibus, utpote qui manipulis præsunt (§. 189.), jurisdictio in hosce concedenda sit. Cum vero centuriones sint præfecti militum (§. *cit.*); Præfectis vero militum, si jurisdictio ipsis deferatur, ad illam exercendam persona quædam juris perita debeat adjungi (§. 1193.), quæ auditor dicitur (§. 1194.): Singulis etiam centurionibus auditores essent adjungendi. Cum vero manipulus classis militum infima sit (§. 188.); Adeoque in exercitu manipuli quam plurimi inveniantur (§. 191.): Auditorum numerus eo nimis augeretur. Cum vero hoc ex aliis rationibus, quæ hic supponuntur, non conveniat ((*per hypoth.*); Jurisdictio etiam in tam paucos milites, ex quibus manipulus constat, eos non satis occuparet: Patet, quod centurionibus jurisdictionem in manipulos suos concedi non conveniat.

Si quidem aliquibus manipulis, vel omnibus unius ejusdemque cohortis sive agminis unus saltem auditor adjungeretur: Videri posset, quasi tunc totum argumentum, quod ab auditorum pluralitate petitur, cessaret. Sed cum manipuli unius ejusdemque etiam cohortis ab invicem separari possint (*schol.* §. 1195.); Adeoque nec tunc singulis jurisdictio in eo loco exerceri possit, quo commorantur: Alterum rursus incommodum emergeret, cujus evitandi gratia cuivis centurioni jurisdictio concedenda videretur. Accedunt & aliæ rationes, quarum non minima est, quod ad exercendam jurisdictionem militarem constitui soleant judicia militaria, quæ ex pluribus personis convocantur. His itaque rite ordinandis numerus ille & gradus militum, quibus manipulus constat, par non esset. Negandum interea non est, aliqualem tamen jurisdictionem & centurionibus indulgeri, in iis nempe causis, quæ brevi manu & vel absque processus institutione decidi possunt. Quod cum auditoribus ad processum dirigendum præsertim etiam opus sit (§. 1194.); Hic vero nullo processu res indigere supponatur (*per hypoth.*): Conveniens etiam admodum videtur. Quodsi enim causæ militum breviter absque processu queant componi: Eo, uti debet (§. 475.), cavetur, ne iidem litibus & negotiis implicentur.

§. 1197.

§. 1197.

Centuriones, & præfecti cohortis vel manipuli alii, qui subalterni vocantur, jurisdictioni tribunorum debent subesse. *Cujus jurisdictioni subsint.*

Centuriones enim dicuntur præfecti, qui manipulo præsunt (§. 189.). Quare cum manipuli partes sint cohortis (§. 188.): Centuriones ad cohortem pertinere, vel cohortis appellatione simul comprehendi constat. De aliis cohortis vel manipuli præfectis, qui subalterni dicuntur, idem facile intelligitur. Cum itaque tribunis jurisdictionem in cohortem suam, uti convenit (§. 1195.), competere supponatur; Præterea vero centuriones & præfecti alii minores imperio tribunorum subsint (§. 205.); Ex imperio vero, quod præfectis competit, ratio etiam petatur jurisdictionis in eos, qui eidem subsunt (*dem. §. 1135.*): Patet, quod centuriones, & præfecti cohortis & manipuli alii, qui subalterni dicuntur, jurisdictioni tribunorum debeant subesse.

§. 1198.

Præfectis urbium jurisdictionem competere convenit in eos milites irregulares, qui præsidiis continuis destinati sunt; Non vero in milites regulares, qui saltem ad tempus præsidia agunt; Nisi in caussis, quæ præsidia speciatim spectant. *Præfectis urbium jurisdictio competat.*

Milites enim irregulares, qui præsidiis continuis alicubi peragendis destinati sunt, adeoque præsidiarii vocantur, defensioni urbis inservire constat (§. 251.). Quare cum præfectus urbi dicatur, qui huic ejus defendendæ gratia præest (*per defin*); Adeoque ab eo dependere debeant, quæ ad defensionem ejusdem faciunt. Milites etiam præsidiarios, sive qui perpetuis præsidiis destinantur, imperio præfecti subesse debere apparet. Cum itaque propter imperium, quod præfectis in milites competit, illis etiam jurisdictionem in eosdem concedi conveniat (*per dem. §. 1135.*): Patet etiam, quod præfectis urbium jurisdictio in milites irregulares, præsidiis perpetuis destinatos, committenda sit. *Q. e. 1.*

Cum vero & milites regulares urbi ad ejus defensionem possint imponi (*Schol. §. 254.*); Ea vero, quæ ad defensionem urbis requiruntur, a præfecto ejusdem debeant pendere (*per dem. n. 1.*): In iis etiam, quæ ad defensionem urbis faciunt, illos hujus imperio subesse debere apparet. Quare cum propter imperium præfectorum in

milites, iftis etiam jurisdictionem concedi conveniat (*per alleg.*); Propter defenfionem urbis vero præfidia agi dicantur (§. 251.): Patet quod & in milites regulares, qui præfidia agunt, urbis præfecto jurisdictio debeat competere in iis, quæ præfidia fpeciatim fpectant. *Q. e. 2.*

Quoniam autem milites regulares (§. 254.), adeoque in cohorte conftituti fupponuntur; In cohortem vero jurisdictio tribuno competat (§. 1195.): Eosdem jurisdictioni tribunorum jam fubeffe apparet. Quare cum manente imperio horum, non appareat ratio, cur eidem fubtrahantur in aliis caufis, quam quæ præfidia fpectant (*per dem.*): Non convenire apparet, ut jurisdictioni præfecti urbis, in qua præfidia agunt, in aliis caufis fubfint, quam quæ hæc concernunt. *Q. e. 3.*

§. 1199.

Cui in tribunos & duces.

Tribunos jurisdictioni ducum, vel cum hifce fimul jurisdictioni fummi ducis, five collegii cujusdam, cui duces adfident, fubeffe convenit.

Licet enim tribuni jurisdictione ipfimet polleant in cohortes fuas (§. 1195.); Cum tamen qua præfecti militum (§. 189.) ad milites in genere fint referendi (§. 186.); Hi vero judici (§. 1104.), & peculiari quidem debeant fubeffe (§. 1113.): Tribunos etiam, ut & duces, qui itidem præfecti militum funt (§. 189.), jurisdictioni cujusdam ipfosmet fubeffe debere apparet. Quare cum propter imperium, quod præfectis militum competit, ipfis etiam jurisdictionem concedi conveniat (*dem. §. 1135.*); Tribuni vero imperio ducum, aut cum his ducis fummi fubfint (§. 205.): Illos etiam jurisdictioni ducum, aut cum his fummi ducis fubjici, convenit. *Q. e. 1.*

Cum vero ad exercendam jurisdictionem ducibus tamen adjungi debeat faltem perfona jurium perita (§. 1192.); Ad res militares in genere ordinandas vero conftitui foleant collegia jurisperitorum, cui & duces adfident (*per hypoth.*): Quod vel tali collegio jurisperitorum jurisdictio in tribunos & belli duces concedi conveniat, apparet. *Q. e. 2.*

§. 1200.

Collegii bellici definitio.

Collegium, cui præter curam rerum bellicarum generalem, jurisdictio etiam in tribunos & belli duces committitur, *Collegium bellicum* vocari folet.

Hæc

Hæc quidem denominatio arbitraria, & non ubique eadem est. Cum vero corpora eorum, quibus in republica certa res administrandæ committuntur, in genere collegia dici soleant; Hic vero cura rerum bellicarum supponatur: Convenit saltem, ut collegium bellicum vocetur. Cui etiam germanica locutio, *der Kriegsrath, das Kriegsrathscollegium oder Kriegscollegium* respondet, quæ passim occurrere solet. Licet aliis locis aliter etiam appelletur.

§. 1201.

Collegio bellico tam duces, quam jurisperiti adsidere debent. *Quinam & assideant.*

Collegio enim bellico præter curam rerum militarium in genere jurisdictio in tribunos & belli duces etiam competit (§. 1200.); Cum vero jurisdictionem in tribunos competere conveniat ducibus, aut, ut & in hos, duci belli supremo (§. 1199.): Collegio bellico adsideant etiam duces, & vel dux belli supremus, apparet. *Q. e. 1.*

Cum vero ad exercendam jurisdictionem militarem opus etiam sit persona jurium perita (§. 1192.); Collegium vero ex pluribus personis constare notum sit: Ut collegio bellico jurisperiti etiam assideant, opus esse patet. *Q. e. 2.*

§. 1202.

Jurisperiti, qui collegio bellico adsident, *Consiliarii bellici* vocari solent. *Consiliarii bellici definitio.*

Cum in genere, qui collegio cuidam adsident, vocari soleant consiliarii, cum additamento a differentia collegiorum specifica desumto; Uti v. gr. consiliarii regiminis, vel cameræ: Apparet, quod & eos, qui collegio bellico præter duces adsident, consiliarios bellicos proprie dici conveniat. Cum vero tituli aliis etiam possint tribui, qui munere, quod exprimunt, non funguntur (§. 763. *Part. 8. Jur. nat.* WOLF.): Patet, quod & consiliarii bellici dici possint, qui collegio bellico non adsident, ut scilicet eo indicetur, ipsos quoad merita singularia iis æquiparari, qui munere funguntur (*loc. cit.*). Et cum titulorum tributio a superioris arbitrio dependeat; Consiliarii denominatio vero singularem præcellentiam indicet: Fieri etiam poterit, ut collegio bellico intersint, qui titulum eundem non præ se ferunt. Uti v. gr. sunt auditores superiores, vel generales, & adsessores. Quod etiam in aliis collegiis obtinere, experientia loquitur.

§. 1203.

Ut in tribunos & duces belli, si in expeditione constituantur, jurisdictio committatur duci belli supremo, pacis vero tempore collegio bellico, convenit. *Jurisdictio in tribunos pro tempore differt.*

Collegium enim bellicum certo cuidam loco adstrictum esse solet & supponitur (*per hypoth.*); Et illud quemadmodum collegia superiora in genere, in sede principis constitui, constat. Quare cum tribuni & duces belli, si in expeditione constituantur, locum sæpissime mutent, & longius interdum removeantur a loco consilii bellici; Propterea vero milites jurisdictioni certi loci adstringi nequeant (§. 1117.); Sed judex militaris cum militibus esse & locum mutare debeat (§. 1134.): Judicem etiam, cujus jurisdictioni subsint, cum ipsis in expeditione constitui debere apparet. Cum itaque milites, qui in expeditione constituuntur, universim sumti exercitum conficiant (§. 190.); Adeoque dux belli supremus, cum toti exercitui præsit (§. 193.), simul in expeditione versetur; Jurisdictio vero in tribunos & belli duces inferiores vel summo duci vel collegio bellico competere possit (§. 1099.): Ut eadem illi competat in expeditione convenit. *Q. e. 1.*

Cum vero extra expeditionis tempora non singulæ cohortes una, sed sparsim ponantur; Adeoque & tribuni, qui iisdem præsunt (§. 189.), diversis locis commorentur: Dux belli supremus nec omnibus præsens esse potest. Pacis itaque tempore cessat ratio, cur in expeditione tribunos ut & duces inferiores jurisdictioni ejusdem subesse conveniat (*per dem. n. 1.*). Contra vero cum pacis tempore tam dux belli summus, quam duces inferiores in sede principis plerumque soleant commorari; Tribuni etiam eo sæpius se conferre debeant (*per hyp. & exp.*): Ut forum suum ibidem sortiantur convenit. Illud vero non commune, sed peculiare esse debet (§. 1116.). Quare cum supponatur collegium bellicum ibidem esse constitutum, cui & belli duces, & vel supremus, adsident (§. 1201.); Tali vero collegio jurisdictio in tribunos & belli duces committi possit (§. 1199.); Patet, quod pacis tempore conveniat, ut eadem collegio bellico concedatur. *Q. e. 2.*

§. 1204.

Cui in præfectos urbium concedenda.

Jurisdictionem in præfectos urbium committi etiam collegio bellico convenit.

Præfectos urbium enim ex præfectis militum eminentioris gradus, veluti tribunis vel ipsis belli ducibus sumi constat. Cum vero imperium in milites illis competat (§. 1198.): Ad præfectos militum adhuc referri debent (§. 185.). Jurisdictioni itaque etiam non communi,

muni, ſed peculiari eos ſubeſſe convenit (§. 1113.). Cum itaque tribuni & belli duces jurisdictioni vel ducis ſummi vel collegii bellici ſubeſſe debeant (§. 1199.): Unum horum etiam circa præfectos urbium obtineat, neceſſe eſt. Cum vero evenire poſſit, ut dux belli in expeditione conſtituatur (*dem.* §. *1203. n. 1.*); Adeoque locum ſæpius mutet; Præfectis vero urbium non ſimul expeditionum neceſſitatem, ſed potius in præfecturæ ſuæ loco commorationem continuam incumbere, ſupponatur: A judice ſuo nimis diſtare poſſent, ſi ducis ſummi in expeditione conſtituti jurisdictioni ſubeſſe deberent. Præfectos itaque, urbium extra expeditionem conſtitutos eſſe apparet. Quare cum in hoc caſu conveniat, jurisdictionem in tribunos ſive belli duces committi collegio bellico (§. 1203.): In præfectos urbium etiam jurisdictionem huic concedi, convenire patet.

§. 1205.

Tribuni & urbium præfecti judices militares inferiores; Duces vero, ſive collegium bellicum, ſuperiores ſunt. ***Quinam judices militares inferiores & ſuperiores.***

Cum enim tam tribunis (§. 1195.), quam urbium præfectis (§. 1198.), jurisdictio in milites; Ducibus vero aut collegio bellico in tribunos, imo & duces (§. 1199.), ut & huic in urbium præfectos competat (§. 1204.); Judex vero militaris dicatur, cui jurisdictio in milites, peculiaris nempe, competit (§. 1114.): Tam tribunos, quam urbium præfectos, ut & duces belli & ipſum collegium bellicum judices militares eſſe apparet. Tribuni vero jurisdictioni ducum vel collegii bellici, ut & urbium præfecti, imo duces ipſi jurisdictioni hujus ſubſunt (*per alleg.*). Quare cum judex, qui jurisdictioni alterius ſubeſt, inferior; Is vero, cui in illum jurisdictio competit, ſuperior dicatur (*per def.*): Patet, quod tribuni & urbium præfecti judices militares inferiores; Duces vero & collegium bellicum ſuperiores ſint.

§. 1206.

Jurisdictio collegii bellici militarium ſuprema eſt. ***Quænam jurisdictio ſuprema?***

Cum enim duces belli præfectorum militum ſint ſupremi (§. 189.); Jurisdictio vero, quæ in milites exercetur, militaris dicatur (§. 1110.): Jurisdictionem militarem ſuperiorem non dari ea, quæ in duces belli exercetur, apparet. Quare cum eadem collegio bellico commiſſa ſupponatur (§. 1200.); Quo vero ſuperius non datur, illud ſummum

five fupremum dicatur *(per defin.)*: Patet, quod jurisdictio collegii bellici militarium fit fuprema.

§. 1207.

Quibusnam auditor adjungendus fit. *Si tribunis, præfectis urbium, belli ducibus & vel fupremo jurisdictio militaris committatur, ad eandem exercendam ipfis auditor adjungendus eft.*

Tribuni enim & belli duces (§. 189.), ut & dux belli fummus (§. 193.), præfecti militum funt; Præfectos autem urbium ad eosdem quoque referendos effe conftat *(dem. §. 1204.)*. Omnibus illis vero jurisdictio militaris poteft committi, & ut hoc fiat, convenit (§. 1195. 1198. 1199.). Quodfi vero præfectis militum jurisdictio militaris deferatur, ad illam exercendam & proceffum dirigendum adjungi debet perfona jurium perita (§. 1192.). Quare cum hæc perfona, quæ judici militari jurisdictionis exercendæ gratia adjungitur, auditor vocetur (§. 1193.): Patet, quod tam tribunis & urbium præfectis, quam belli ducibus & vel fummo, fi jurisdictio militaris ipfis committatur, adjungi debeat auditor.

§. 1208.

Auditorum fpecies. Cum itaque tribuno in cohortem (§. 1195.); urbis præfecto in præfidiarios, & in rebus, quæ præfidia concernunt (§. 1198.); belli ducibus vero in tribunos, & in illos duci fupremo jurisdictio committatur (§. 1199.); Omnibus illis vero, fi jurisdictio ipfis deferatur, auditor adjungendus fit (§. 1207.): Auditor, qui tribuno adjungitur, feu qui ad jurisdictionem in cohortem exercendam adhibetur, *Auditor cohortis;* Qui præfecto urbi adjungitur, feu ad exercendam jurisdictionem in præfidiarios & in rebus præfidii adhibetur, *Auditor præfidii;* Qui duci belli, five legato, cum huic jurisdictio in tribunos, adeoque præfectos fuperiores (§. 209.), competat, *Auditor fuperior;* Et denique, qui duci belli fummo adjungitur, cum hujus jurisdictio vel in alios belli duces fe exferat *(per allcg.)*, qui officiales generales dicuntur (§. 211.), *Auditor generalis* vocari folet.

* Germanico idiomate Auditores cohortis *Regimentsauditeurs*, præfidii *Garnifonsauditeurs*, fuperiores *Oberauditeurs* & generales *Generalauditeurs* vocantur. Datur quidem & alıud eorum genus, qui *Stabsauditeurs* audiunt. Hi, cum *der Stab* fub præfecturæ nomine veniat *(Schol. §. 211.)*; *Auditores præfecturæ* dici poffent. Cum vero facile appareat, non præfecturam cohortis (§. 210.), fed exercitus five generalem eo indigitari (§. 211.)

(§. 211.): Hæc vero ducem belli ſupponat (*ibid.*), cui adeo in tribunos ſaltem jurisdictio competit (§. 1199.): Ad genus auditorum ſuperiorum illos proprie referendos eſſe apparet; Licet, ſi praxin ſpectes, iisdem poſtponantur. Hoc vero inde eſt, quod duci plerumque addantur, cui imperium in modicum ſaltem militum corpus, vel nonnullos modo cohortes committitur; Superiores autem auditores, qui ita dicuntur, majori demum militum multitudini adjunguntur. Cum cohors voce a Gallis, ut videtur, recepta dici etiam ſoleat *Regimen*, & ab aliis legio (*Schol.* §. *188.*): Auditores cohortis dici etiam ſolent a nonnullis Auditores regiminis, uti a SCHRÖTERO (§. *1. Sect. 5. Diſſ. de Audit.*), aut legionarii. Quoniam autem ſignificatus vocis regiminis cohorti minime convenit (§. *218. Part. 7. Jur. nat.* WOLF.); Et hæc etiam perperam legio vocetur (*Schol. cit.*): Auditorum cohortis denominatio magis conveniens videtur.

§. 1209.

Cum jurisdictio tribunorum inferior ſit jurisdictione ducum; Hæc vero illa ducis ſupremi (§. *1205. & dem. ibid.*); Auditores vero cohortis tribunis, auditores ſuperiores ducibus, & generales duci ſummo ad jurisdictionem exercendam adjungantur (§. 1208.): *Auditores cohortis inferiores ſunt auditoribus ſuperioribus; Hi vero auditore generali.* *Quinam aliis inferiores.*

§. 1210.

Et cum jurisdictio præfectorum urbium ſit tantum in milites præſidiarios, irregulares nempe (§. 1198.): Inter eos, qui illi ſubſunt, non facile occurrent tribuni aut duces. Quod & per hypotheſin ponitur. Quare cum jurisdictio ducum ſit in tribunos, & ducis ſummi in ipſos duces (§. 1199); Jurisdictio ducum ſuperior eſt illa, qua urbium præfecti pollent. Cum itaque auditores præſidii ad exercendam jurisdictionem hiſce; Auditores ſuperiores & generales vero illis adjungantur (§. 1208.): *Auditores præſidii inferiores ſunt auditoribus ſuperioribus & magis adhuc generali.* *Quibus auditores præſidii.*

Cum urbium præfecti non ex tribunis ſolum, ſed vel ex ipſis belli ducibus ſumi ſoleant (*dem.* §. *1204*); Auditores præſidii vero iisdem adjungantur (§. 1208.): Fieri quidem poteſt, ut hi etiam belli duci adſint in exercenda jurisdictione. Quare cum auditores, qui ducibus adjunguntur, ſuperiores dicantur (§. 1208.): Videri poſſet, ac ſi auditores præſidii ad hos etiam eſſent referendi. Notandum vero eſt, quod licet præfectus urbis ſit e ducibus belli: Auditorem præſidii eidem non adjungi qua duci, ſed qua præfecto urbis ſaltem. Et cum hujus jurisdictio non ſit in tribunos (§. 1199.); Sed vel ipſe e tribunis eſſe poſſit (*per alleg.*): Non ad auditorum ſuperiorum, ſed auditorum cohortium potius

potius classem auditorem præsidii referri posse apparet. Negandum licet non sit, quod si præfectus urbis ducis qualitate radiet, auditori, qui ipsi adjungitur, præ cohortium auditoribus prærogativa quædam sit tribuenda.

§. 1211.

Auditores jurium sint periti.

Auditores juris sive legum tam militarium, quam civilium, imo & naturalium periti esse, eorumque scientia pollere debent.

Auditores enim ad exercendam jurisdictionem judici militari adjunguntur (§. 1193). Quare cum ad jurisdictionis exercitium faciat etiam sententiarum latio (*dem.* §. *1192.*): Auditorum officium etiam circa sententias ferendas versetur. Cum itaque ad ferendas sententias militares non solum juris militaris, sed & civilis & naturalis prudentia sive scientia opus sit (§. 1190.): Patet, quod auditores juris sive legum tam militarium quam civilium, imo & naturalium periti esse, eorumque scientia pollere debeant.

De aliis auditorum attributis vane & vel ad risum usque disquiritur, uti v. gr. a SCHRÖTERO (*Sect. 7. Diss. de Audit.*). Quo etiam pertinet quæstio: An auditor uxoratus esse debeat. De qua videri potest LUDOVICI (§ *23. Cap. der Einleit. zum Kriegsproc.*).

§. 1212.

Præsertim juris militum naturalis.

Auditores præsertim jus militum naturale sive universale scire debent.

Auditores enim etiam juris naturalis scientia debent pollere (§. 1211.). Cum vero hoc sit propter sententias ferendas (*dem. ibid.*); Per sententias vero, militares nempe, causæ militum dijudicentur (§. 1183.); Adeoque actiones militum hic supponantur (*dem.* §. *1182.*): Auditores scire præsertim debent, quid circa milites eorumque actiones ipsius juris naturalis sit. Quare cum ea pars juris naturæ, quæ tradit ea, quæ circa milites eorumque actiones præcipiuntur, prohibentur, vel permittuntur, Jus militum naturale seu universale dicatur (§. 113.): Patet, quod & hujus scientia auditores debeant pollere.

§. 1213.

Ut & artis ratiocinandi.

Auditores arte ratiocinandi & habitu demonstrandi pollere debent.

Ad sententias enim militares opus est applicatione legum ad facta militum (§. 1182.). Ex lege itaque atque facto sententia elicitur. Quare

Quare cum tam lex, quam factum, ut & sententia propositionem contineat (§. 41. *Log. WOLF.*): In sententiis ferendis ex duabus propositionibus tertiam elici debere apparet. Si vero ex duabus propositionibus terminum communem habentibus eliciamus tertiam, ratiocinari dicimur (§. 50. *loc. cit.*). Ad sententias itaque ferendas opus est ratiocinio. Quare cum auditorum officium etiam circa ferendas sententias versetur (*dem.* §. 1211.): Patet, quod auditores ratiocinari posse, adeoque arte ratiocinandi pollere debeant. *Q. e. 1.*

Cum vero facta & in specie delicta semper committantur sub circumstantiis (§. 567.): Non unico semper ratiocinio ad sententiam venire licere, facile perspicitur. Quare cum oratio, qua ratiocinium proponitur, syllogismus dicatur (§. 332. *loc. cit.*): Pluribus sæpius syllogismis inter se concatenatis opus est ad propositionem eam eruendam, quæ sententiam efficit. Cum autem ad sententias ferendas (§ 1190.), adeoque & in auditoribus scientia supponatur (§. 1211.); Scientia vero principia certa & immota requirat (§. 30. *Disc. præl. loc. cit.*): Præmissæ syllogismorum ad sententiam eliciendam necessariæ principia talia esse debent. Quamobrem cum illatio propositionis mediante syllogismorum concatenatorum serie ex principiis certis & immotis demonstratio dicatur (§. 498. *loc. cit.*); Scientia vero simul habitum ea, quæ affirmamus vel negamus, demonstrandi requirat (§. 594. *loc. cit.*): Patet, quod auditores etiam habitu demonstrandi debeant pollere. *Q. e. 2.*

Quod ad sententiam militarem ratiocinio & subinde pluribus opus sit, exemplo facile ostenditur. Ponamus ex. gr. militem desertorem. Hic habemus propositionem unam, quæ factum continet: *Cajus desertor est.* Habemus etiam propositionem aliam, quæ legem complectitur: *Desertor* hoc vel illo modo *puniendus est.* Et inde consequitur tertia, quæ sententiam efficit; *Cajus* hoc vel illo modo *puniendus est.* Cum vero non omnis miles desertor sit, qui pro eo haberi possit, veluti, qui ex alia, quam militiæ deserendæ causa discedit (§. 694): Ratiocinio præjudiciali antea opus est, quam dici possit, quod Cajus sit desertor. Et cum miles captus aliter puniatur, quam qui sponte revertitur (§ 993.): Antequam pronunciari possit, quo modo sit puniendus Cajus, opus est ratiocinio, quo determinetur, an pro desertore capto sive sponte reverso sit habendus. Tribus hic itaque ratiociniis sive syllogismis opus esse potest, antequam ad conclusionem, quæ sententiam constituit, perveniatur. Quorum primo eruitur, quod Cajus sit desertor; Secundo, quod sit desertor captus aut sponte reversus; Et tertio, quod itaque hoc vel illo modo sit puniendus. Ridebunt hoc sine dubio ii, qui syllogismos ad nugas eruditas vel scholasticas referunt, & eosdem infra inge-

nii sui dignitatem constitutos autumant. Perpendant vero hi alti supercilii homines, quod nec judicium de rebus simplicissimis ferre valeant, nisi ratiocinio utantur, & quod de ratiocinii vel judicii sui veritate tuti esse nequeant, nisi illud regularum syllogisticarum examen possit sustinere.

§. 1214.

Judiciorum militarium species.

Cum ipsum jurisdictionis militaris exercitium judicium militare dicatur (§. 1140.); Jurisdictio militaris vero tam tribunis (§. 1195.) & urbium præfectis (§. 1198.), quam belli ducibus & vel supremo concedatur (§. 1199.); Judicia militaria etiam differre, prout in iisdem jurisdictio tribunorum, præfectorum urbium vel ducum exercetur, apparet, Cum itaque tribunorum jurisdictio sit in cohortem (§. 1195.), præfectorum urbium in præsidiarios (§. 1198.), ducum in tribunos, adeoque præfectos superiores (§. 209.), & ducis summi in ipsos duces (§. 1199.), qui præfecti generales dicuntur (§. 211.): Judicium militare, quo tribuni cujusdam jurisdictio exercetur, *Judicium militare cohortis;* Quo urbis præfecti, *Judicium militare præsidiarium;* Quo ducis belli, *Judicium militare superius;* Et quo denique ipsius supremi belli ducis jurisdictio exercetur, *judicium militare generale* dici solet.

Patrio sermone has judiciorum militarium species *Regiments- Garnisons- Ober- und Generalkriegsgerichte* denominari constat.

§. 1215.

Quænam inferiora, aut superiora.

Cum tribuni & urbium præfecti sint judices militares inferiores; Duces vero superiores (§. 1205.); Et jurisdictio collegii bellici militarium suprema (§. 1206.): *Judicia militaria cohortium & præsidiaria inferiora; Judicia vero militaria superiora & generalia superiora sunt; Et collegium bellicum judicium militare supremum est* (§. 1214.).

§. 1216.

A quibusnam auditoribus quæque habeantur.

Similiter, cum in judiciis cohortium jurisdictio tribunorum, in præsidiariis præfectorum urbium, in superioribus ducum, in generali ducis summi jurisdictio exerceatur (§. 1214.); Ad exercendam vero jurisdictionem tribunis adjungatur auditor cohortis; Præfectis urbium auditor præsidii; Ducibus auditor superior; Et summo duci auditor generalis (§. 1108.): *Judicia militaria cohortium ab auditoribus cohortium; Præsidiaria ab auditoribus præsidii; Superiora ab auditoribus superioribus; Et generale denique ab auditore generali habentur.*

§. 1217.

§. 1217.

Judex militaris judicio militari vel ipsemet interesse debet, vel ab eo alius constitui, qui ejus nomine in eodem exerceat jurisdictionem. *An judex militaris ipse debeat interesse.*

Cum enim ipsum jurisdictionis militaris exercitium judicium militare dicatur (§. 1140.): In judicio militari jurisdictionem militarem exerceri apparet. Quare cum hæc judici militari competat (§. 1114.); Jura vero, adeoque & jurisdictio, in alios etiam possint transferri (§. 11. *Part. 3. Jur. nat.* WOLF.), vel per alios exerceri (§. 883. *Part. 8. loc. cit.*): Patet, quod judex militaris judicio militari vel ipsemet interesse, vel ab eo alius constitui debeat, qui ejus nomine jurisdictionem exerceat.

§. 1218.

Qui nomine judicis militaris in judicio militari jurisdictionem exercet, eidem *præsidere*, vel *Præses judicii militaris* dicitur. *Præsidis judicii militaris definitio.*

In judiciis militaribus, cohortium præsertim & præsidiariis, obtinere solet, ut non ipse judex, tribunus nempe vel urbi præfectus, jurisdictionem exerceat, sed quod alius, uti in illis supremus vigiliarum præfectus, *der Major*, & in his itidem supremus vigiliarum præsidii præfectus, *der Platzmajor*, præsideat.

§. 1219.

Jurisdictio præsidis judicii militaris non propria, sed mandata est. *Quæ sit ejus jurisdictio.*

Præses enim judicii militaris in eodem nomine judicis militaris (§. 1218.); Adeoque non suo sed alieno jurisdictionem exercet. Quare cum jurisdictio, quam quis jure & nomine alterius exercet, mandata; Quam vero quis nomine proprio exercet, propria dicatur (*per def.*): Patet, quod ea, quam præses judicii militaris exercet, non propria sit, sed mandata.

Cum potestas ea, in qua jurisdictio militaris consistit (§. 1110.), auctoritate summi imperantis competat (§. 1108.): Alio quoque respectu dici posset, quod nec ipsius judicis militaris jurisdictio propria, sed mandata saltem sit. Cum vero jurisdictio, quam quis immediate habet a republica, vel ejus rectore, propria tamen dicatur, licet ejus nomine exerceatur; Et ea demum mandata dicenda sit, quam quis exercet nomine alterius, cujus non est summa potestas; Prouti optime monet ULR. HUBERUS (§. 7. *Prælect. jur. civ. ad tit. ff. de Jurisd.*): Apparet, quod jurisdictio ipsius judicis militaris in sensu juris propria sit.

§. 1220.

Præter eum alii adhibendi.

Ut in judicio militari, præsertim criminali, præter præsidem ad dijudicandas causas militum adhibeantur etiam alii, convenit.

Cum enim in judicio militari causæ militum (§. 1140.), & in criminali quidem criminales tractari soleant (§. 1147.); Hæ vero circa crimina eorumque pœnas versentur (*def.* §. 1144.): In judicio militari crimina etiam militum, eorumque pœnæ, dijudicanda occurrunt. Cum vero crimina sive delicta publica gravioribus pœnis coërcenda sint (§. 627. *Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Pœnæ vero graviores vel corporis afflictivæ, vel infamiæ, vel capitales etiam esse possint (*per vulg.*): In judicio militari, præsertim criminali, de corpore, fama & ipsa vita militum agi potest. Hæc vero inter res arduas & maximi momenti debere referri, nemo dubitabit. Quare cum rebus tanti momenti, quanti sunt pœnæ capitales, uti non alieno stare judicio debeat superior (*Schol.* §. 841. *loc. cit.*), ita nec easdem unius judicio relinquere consultum sit: Patet, quod in judicio militari, præsertim criminali, ad causas militum dijudicandas præter præsidem alios etiam adhiberi conveniat.

§. 1221.

Adsessorum judicii criminalis definitio.

Personæ, quæ judicio militari præter præsidem intersunt, sive ad dijudicandas militum causas adhibentur, eidem *adsidere* seu *Adsessores judicii militaris* dicuntur.

§. 1222.

Quinam sumendi.

Adsessores judicii militaris ex ipsis militibus sumi convenit.

Plura enim dantur inter milites, quæ usu saltem obtinent, adeoque ad observantiam militarem spectant (§. 95.). Observantiæ vero militares principium etiam præbent causarum militum dijudicandarum (§. 1186.). Qui itaque causas militum dijudicare voluerit, observantias eorum nosse debet. Observantiæ vero militares ex usu addiscuntur (§. 146.). Nemini itaque easdem melius nosse datur, quam qui in ipsa militia versatur, adeoque militibus. Quare cum adsessores judicii militaris ad dijudicandas causas militum adhibeantur (§. 1221.): Patet quod conveniat, eosdem ex ipso militum numero sumi.

§. 1223.

Non sint perpetui.

Cum vero non adsit ratio, cur ex tanto militum numero, quantum v. gr. cohors efficit, hi potius, quam alii ad adsidendum judicio militari

tari semper adhibeantur; Milites vero ad ea, quæ per ipsos peragenda sunt, singuli certo demum sumantur ordine (*per hypoth.*): *Adsessores judicii militaris, qui ex militibus sumuntur, non perpetuos esse, sed secundum ordinem sumi, convenit.*

Sic etiam si singulis sensim contingat in judiciis adsidere: Causarum tractandarum cognitionem aliqualem eo acquirunt, & a delinquendo forsan eo facilius deterrentur, si condiscant, quam severe leges in delinquentes animadvertant. Cum vero adsessores propterea sumi ex militibus conveniat, quod hi observantias militares, ex usu utpote addiscendas, optime nosse possint (*dem.* §. *1222.*): Facile patet, quod non tyrones, sed milites in militia jamdum versati, sumendi sint. Et cum ad dijudicationem causarum adhibeantur (§. 1221); Stupidus vero ad quid dijudicandum non admodum sit aptus: Apparet, quod si stupidi ingenii miles deprehendatur, ut & tyrones, si vel maxime ipsos ordo tangat ad adsidendum judicio, prætereundi tamen sint.

§. 1224.

Ut milites adsessores judicii militaris non sint infra dignitatem ejus, cujus causa agitur, sive rei, convenit. *Nec infra dignitatem rei.*

Cum adsessores judicii militaris ad dijudicandas causas militum adhibeantur (§. 1221.): Eosdem ad jurisdictionem exercendam concurrere, facile perspicitur. Cum vero milites imperio præfectorum vel infimorum (§. 212.); Hi vero aliis majoribus ad summum usque ducem subsint (§. 224.); Eoque subordinatio constituatur (§. 227.): Si milites adsessores sumantur infra dignitatem ejus, cujus causa agitur, sive rei, evenire posset, ut jurisdictio exerceretur in eum, cujus tamen imperio subsunt. Quoniam autem jurisdictio potestatem involvit in eum, qui eidem subjicitur (*def.* §. *1109.*); Imperium vero itidem sit potestas (§. *200. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Jurisdictionem exercere in eum, cujus imperio quis subest, sibi invicem repugnare videtur. Subordinationi itaque nec convenit, ut milites adsessores sumantur infra dignitatem rei. Quare cum inter milites subordinatio quam maxime sit observanda (§. 228.): Patet, quod idem nec conveniat.

Hoc in praxi strictissime observatur, ut adsessores saltem eligantur ejus gradus, cujus est reus; Superioris vero etiam. Id quod cum propter imperium jurisdictionem etiam concedi conveniat (*dem.* § *1135.*), tantum abest, ut contrarii quid contineat, ut optime potius consentiat.

§ 1225.

Adsessoribus judicii militaris vota competere debent. *Votis gaudent.*

 Cum

Cum adſeſſores judicii militaris ad dijudicandas cauſas militum adhibeantur (§. 1221.); Dijudicatio vero cauſarum per ſententias fiat (§. 1183.): Quod ad ſententiam concurrant, apparet. In judicio itaque militari plurium conſenſu determinandum eſt, quænam ſententia feratur. Quare cum declaratio voluntatis ſuæ de eo, quod plurium conſenſu determinandum eſt, ſuffragium, aut vocabulo minus licet latino, maxime tamen uſitato, votum dicatur (§. *62. loc. cit.*): Patet, quod adſeſſoribus judicii militaris vota debeant competere.

§. 1226.

Duo quique non niſi uno Cum vero dijudicatio cauſarum militum non unius judicio ſit relinquenda (*dem. §. 1220.*); A militibus vero præterea exigi non poſſit, ut jura tam exacte calleant & ad facta valeant applicare; Adeoque in dijudicanda cauſa facile poſſit aberrare miles, ſi ſuo tantum ſtet judicio: *Convenit, ut militibus, ſi judicii militaris adſeſſores conſtituantur, non niſi duobus quibusque votum unum concedatur, ſuper quo ferendo inter ſe deliberent & conveniant.*

Uſu adeo ſolet eſſe receptum, ut adſeſſoribus inferioris gradus, gregariis præſertim, tribus demum aut quatuor, unum ſaltem relinquatur votum; Reliquis vero ſuperioris licet dignitatis, non tamen niſi duobus ſimul.

§. 1227.

Auditor ad adſeſſores referendus. *Auditor ad adſeſſores judicii militaris quoque referendus eſt.*

Auditor enim ad exercendam jurisdictionem judici militari adjungitur (§. 1193.); Adeoque officium ejus etiam circa ferendas ſententias verſatur (*dem.* §. *1211.*). Cum itaque jurisdictio militaris in judicio militari exerceatur (§. 1140.); Per ſententias vero militares cauſæ militum dijudicentur (§. 1183.): Auditorem in judicio militum ad cauſas militum dijudicandas adhiberi claret. Quare cum perſonæ, quæ præter præſidem judicio militari interſunt, ad cauſas militum nempe dijudicandas, adſeſſores judicii militaris dicantur (§. 1221.): Patet, quod talis etiam ſit auditor.

Minus recte itaque eundem actuarium, ſaltem haberi, monuimus & jam refellimus (*Schol. §. 1194.*).

§. 1228.

Voto gaudeat. Cum itaque adſeſſoribus judicii militaris votum competat (§. 1225.): *Auditori votum* quoque *concedendum eſt.*

Admodum

Admodum quidem super hac re disceptatur, an auditori nempe votum competat, aut competere debeat. Et si praxin spectes, apud omnes non idem observari videbitur. Apud quosdam enim, Suecos, Borussos & Saxones v. gr. auditores inferiores voto destitui, & illud saltem auditori generali, apud alios vero, uti Imperiales, liberum votum auditoribus etiam cohortis concedi; Et apud alios adhuc votum ipsis cum præside esse commune, memorant scriptores processus militaris, uti KNORRE (§. 15. Cap. V.) & LUDOVICI (§. 28. Cap. V.). Cum vero auditores singulari jurium peritia & habitu leges ad facta applicandi pollere supponantur (§. 1212. 1213); Adeoque de causis militum eo rectius judicare posse debeant: Voto eorum eo major fides est habenda. Et ratio potior adest, cur idem iisdem concedatur.

§. 1229.

Cum auditor judici militari ad jurisdictionem exercendam & pro- *Præsidi*
cessum dirigendum adjungatur (§. 1193.); Adeoque judex militaris *sint a late-*
in exercenda jurisdictione consilio ejus utatur; Præses vero nomine *re.*
judicis in judicio exerceat jurisdictionem (§. 1218.): *Auditor in judicio militari præsidi debet esse a latere.*

§. 1230.

Cum porro auditor ad exercendam jurisdictionem & processum di- *Adsessor*
rigendum constituatur (§. 1193.); Illa vero in judicio exerceatur *perpetuus*
(§. 1140.); Et per hunc causæ in judicio tractentur (§. 1147.); Au *est.*
ditorem omnibus judiciis militaribus interesse debere, facile patet. Quare cum propterea, quod in judicio militari ad dijudicandas caussas adhibeatur, inter adsessores referendus sit (§. 1227.): *Auditor adsessor judicii militaris perpetuus est.*

§. 1231.

Et cum auditor non supponatur alius imperio, quam ipsius judi- *Infra di-*
cis militaris, cui adjungitur, subesse (*per hypoth.*); In imperio ve- *gnitatem*
ro contineatur ratio, cur milites infra dignitatem rei non possint *rei potest*
constitui adsessores judicii militaris (*dem.* §. 1224.): Ratio hæc in au- *esse.*
ditore cessat. Quare cum isti posita ratione sufficiente ponatur, ita cessante ea cesset, quod propter eam est (§. 118. Ontol. WOLF.): *Auditor esse potest infra dignitatem ejus, cujus causa in judicio agitur, sive rei.*

Sic v. gr. in judicio militari cohortis agi potest causa centurionis vel præfecti cujusdam alterius, cujus dignitatem non attingit auditor cohortis. Præfecti vero militum adsessores constitui non poterunt, qui sunt infra eandem dignitatem.

§. 1232.

§. 1232.

Præſidi votum concedendum.

Præſidi judicii militaris votum præprimis concedendum eſt, & potius quidem adſeſſorum voto.

Præſes enim judicii militaris in eodem nomine judicis jurisdictionem exercet (§. 1218.). Cum itaque ad hujus exercitium etiam pertineat ſententiarum latio (*dem. §. 1192.*); Vota vero ad ſententias ferendas faciant (*dem. §. 1225.*): Patet, quod præſidi judicii militaris præprimis votum concedendum ſit. *Q. e. 1.*

Et cum judicis militaris proprie ſit ferre ſententias (§. 1179.); Præſes vero ejusdem vices in judicio militari ſuſtineat (*per alleg.*): Patet, quod votum præſidis potius eſſe debeat voto adſeſſorum. *Q. e. 2.*

§. 1233.

Ex votis ſententia concipienda.

Ex votis in judicio militari latis concipi debet ſententia militaris.

Per ſententias enim militares cauſæ militum dijudicantur (§. 1183.). Cum itaque in judicio militari præter præſidem alios etiam ad dijudicandas cauſas adhiberi conveniat (§. 1220.); In eodem conſenſu plurium determinandum eſt, quænam ſententia feratur. Cum itaque declaratio voluntatis cujusque de eo, quod plurium conſenſu determinandum eſt, votum dicatur (*loc. §. 1225. cit.*); Adeoque ex votis in judicio militari latis appareat, quænam cujusque ſit voluntas de ſententia ferenda & in quod plures conſentiant: Patet, quod ex votis in eodem latis concipi debeat ſententia militaris.

§. 1234.

A præſide & auditore.

Cum in judicio militari præſes vices ipſius judicis ſuſtineat (§. 1218.); Hujus vero proprie ſit ferre ſententias (§. 1179.); Per ſententias vero jurisdictio exerceatur (*dem. §. 1192.*); Et ad hanc exercendam & proceſſum dirigendum auditor adjungatur (§. 1193.): *Præſidis & auditoris eſt ex votis judicii militaris ſententiam concipere.*

Cum ſententiæ ad certam formam concipiendæ ſint; Auditor vero ea, quæ ad formam proceſſus pertinent, potius noſſe debeat, quam præſes: Auditoris etiam potiſſimum eſſe partes in concipienda ſententia, apparet.

§. 1235.

Secundum vota majora.

Si vota judicii militaris inter ſe non conſentiant, aut unanimia non ſint: Sententiæ militares ſecundum majora concipiendæ ſunt.

Cum

Cum enim ex votis in judicio militari latis sententiæ militares sint concipiendæ (§. 1233.); Per sententias vero militares causæ militum dijudicandæ sint (§. 1183.): Per vota judicii militaris concludi aliquid debere, apparet. Quare cum, si vota inter se contendant, seu unanimia haberi nequeant, majora concludant (§. 79. *Part. 7. Jur. nat. WOLF.*): Patet, quod & si vota judicii militaris inter se non consentiant, seu unanimia non sint, sententiæ militares concipi debeant secundum majora.

§. 1236.

Si vota judicii militaris paria sint: Efficiendum est, ut majora evadant. *Quæ efficienda, si paria sint.*

Licet enim per vota paria decisio negotii controversi fieri quoque possit, qui modus calculus Minervæ dicitur (§. 84. *loc. cit.*): Eidem tamen locus esse nequit, quoties concludendum quid est (§. 85. *ibid.*). Quamobrem cum per vota judicii militaris concludi aliquid debeat (*dem.* §. 1235.): Ad sententias militares concipiendas vota paria non sufficiunt. Quare cum eædem secundum majora concipi possint & debeant (§. *cit.*): Patet, quod si vota judicii militaris paria sint, efficiendum sit, ut evadant majora.

Supponitur, quod hoc fieri possit. Dantur enim præter calculum Minervæ alii quidem etiam modi, quibus in casu votorum parium ad exitum perveniatur (§. 97. *& seqq. loc. cit.*): Facile tamen ex eorum contemplatione apparet, quod omnino præstet, si majora effici possint.

§. 1237.

Ut præsidi judicii militaris votum decisivum concedatur, convenit. *Præsidi votum decisivum competat.*

Votum enim decisivum dicitur, quo vota paria in majora vertuntur (§. 102. *loc. cit.*). Cum itaque si vota judicii militaris paria sint, effici debeat, ut majora evadant (§. 1236.): Ut in judicio militari votum unum sit decisivum, convenit. Votum vero decisivum potius esse votis reliquis, apparet. Quare cum præsidi votum potius concedendum sit (§. 1232.): Patet etiam, quod conveniat, ut votum ipsius sit decisivum.

§. 1238.

Ut votum præsidis cum voto auditoris conjungatur, adeoque præsidi cum auditore votum commune sit, convenit. *Cum auditore commune.*

Cum votum præsidis decisivum esse conveniat (§. 1237.); Adeoque paria eo vertantur in majora (*per alleg. ibid.*); Secundum majora vero sententiæ militares concipiendæ sint (§. 1235.): In casu votorum parium

sententia ab ipsius voto pendet. Cum vero per sententias militares causæ militum dijudicentur (§. 1183.); Causarum in judicio militari dijudicatio vero non unius judicio relinquenda sit (*dem.* §. *1220.*): Patet, quod nec præsidi nec auditori votum peculiare concedendum sit. Quare cum auditoris voto major fides sit habenda (*schol.* §. *1228.*); Adeoque si cum voto præsidis, cum hoc decisivum sit, aliud debeat conjungi, adsit ratio, cur illud potius, quam aliud eidem adjungatur: Apparet quoque, quod conveniat, ut votum præsidis cum voto auditoris conjungatur, adeoque præsidi cum auditore votum sit commune.

Quod hoc quibusdam locis actu quoque obtineat, ad §. 1228. jam adduximus. Et apud nos in Hassia idem expediti juris militaris esse, constat.

§. 1

Quid, si vota majora reddi nequeant?

Si vota judicii militaris, nec voto decisivo majora reddi possint: Sententia concipienda est secundum ea, quibus paucissima adversantur.

Cum vota majora vota partis majoris consentientia supponant (§. *66. Part. 7. Jur. nat.* WOLF.); Facile vero intelligatur, quod fieri possit, ut vota partis majoris non consentiant, sed ea, quæ consentiunt, neque majorem, neque dimidiam partem efficiant: Vota neque majora neque paria esse poterunt. Quare cum votum decisivum vota paria supponat (§. *102. loc. cit.*): Nec in hoc casu voto decisivo majora effici possunt. Sententia itaque etiam militaris neque secundum majora, uti deberet (§. 1235.), concipi potest. Hinc cum in eo casu, quo vota majora haberi nequeunt, sequendum sit id, quod paucioribus displicet, seu cui paucissima vota adversantur (§. *95. loc. cit.*): Patet etiam, quod si vota judicii militaris nec voto decisivo majora reddi possint, sententia concipi debeat secundum ea, quibus paucissima contraria sunt.

Facile perspicitur, quod hoc obtineat in eo casu, quo vota in tres vel plures sententias abeunt diversas. Tunc enim fieri potest, ut neque majora, neque paria constituantur: Licet quædam numero plura possint esse aliis. Uti ex iis magis illustratur, quæ ad §. 95. citatum adducuntur.

§. 1240.

Appellatio a sententiis militaribus an liceat.

A sententiis militaribus appellationem concedi, in genere non repugnat; Restringi tamen convenit.

Cum enim sententiæ militares in causis militum ferantur (§. 1180.): Milites iisdem æque ac alii gravari possunt. Quare cum in genere si quis sententia judicis se gravatum existimet, ei permissum esse debeat, querelas suas ad superiorem deferre & ejusdem decisioni causam committere (§. *547. Part. 8. loc. cit.*); Milites vero deterioris conditionis esse

esse non debeant paganis (§. 392.): Idem etiam ipsis permitti debere, apparet. Cum vero talis a judice ad superiorem propter sententiam, qua gravatum quis se existimat, provocatio, ut ipse causam decidat, appellatio dicatur (§. 548. *loc. cit.*): Patet, quod in genere non repugnet, a sententiis militaribus appellationem concedi. *Q. e. 1.*

Cum autem per appellationem causas protrahi, per se pateat; Cavendum vero sit, ne milites litibus & negotiis nimis implicentur (§. 475.); Et in genere etiam non in qualibet causa permittenda sit appellatio (*schol.* §. 549. *loc. cit.*): A sententiis etiam militaribus appellationem indistincte non esse permittendam, apparet. Quare cum facile videatur, appellationem a sententiis militaribus eo restringi, si non in qualibet causa permittatur: Patet etiam, quod illud fieri conveniat. *Q. e. 2.*

§. 1241.

Appellatio a sententia judicii cohortis fieri debet ad judicium militare superius sive generale, si tale constitutum sit; Ab his vero, aut si neutrum adsit, ab illo etiam statim, ut & a judiciis præsidiariis, ad collegium bellicum; Ab hoc vero ad ipsum principem. ***Ad quem-nam fiat.***

Appellatio enim fit a judice inferiore ad superiorem (§. 548. *cit.*). Cum vero judex inferior dicatur, qui alterius jurisdictioni subest; Superior vero, cui in illum hæc competit (*def.* §. 1205.): Judicem, a quo fit appellatio, subesse debere jurisdictioni ejus, ad quem eadem suscipitur, apparet. Quare cum tribuni subsint jurisdictioni ducum, vel cum his ducis summi, sive, ut & urbium præfecti (§. 1204.), collegii cujusdam (§. 1199.), bellici nempe (§. 1200.); Jurisdictio hujus vero militarium suprema sit (§. 1206.), quæ adeo nemini nisi principi subest: A tribunis ad duces vel summum, si hisce jurisdictio sit concessa, aut cum his, ut & ab urbium præfectis ad collegium bellicum, ab hoc vero ad ipsum principem appellatio, si eadem liceat, fieri debet; Aut, cum judicium militare, quo tribuni jurisdictio exercetur, judicium cohortis dicatur; Quo ducis, superius: Quo supremi ducis, generale; Et quo urbis præfecti, præsidiarium (§. 1214.): A sententia judicii cohortis ad judicium superius aut generale, si tale constitutum sit; Alias vero, ut & ab his & præsidiariis, ad collegium bellicum; Ab hoc vero ad ipsum principem.

§. 1242.

A sententia militari, qua militi pœna levior fuit dictata, quæ ipsum militia non privat, appellationem concedi non convenit. ***Si pœna levior dictata, non licet.***

Cum

Cum enim milites puniendi carcere detinendi ſint (§. 910.); Et in cauſis etiam civilibus id fieri poſſit (§. 1162.): Facile apparet, quod miles, cui pœna, levior licet, dictata eſt, carcere detineatur. Incarceratum vero ſervitia præſtare non poſſe, per ſe patet. Cum vero per appellationem cauſa protrahatur (*dem.* §. *1240. n. 2.*); Adeoque miles, cujus cauſa eſt, diutius carcere detinendus ſit: Idem a ſervitiis ſuis appellatione diutius abſtraheretur. Quare cum præſtatio militiæ obligatio militum, & quidem militaris ſumma ſit (§. 131.); Ea vero permitti nequeant, quibus milites ab obligationibus ſuis detinerentur (§. 469.): Patet, quod à ſententia, qua levior ſaltem pœna militi dictatur, appellationem concedi non conveniat. *Q. e. 1.*

Cum vero miles, ſi pœna ipſi dictata fuerit, quæ militia ipſum privat, hanc paſſus ſervitia ulterius nequeat præſtare: Nec a ſervitiis abſtrahitur, carcere licet diutius detineatur. Ceſſat itaque ratio, quæ pro non permittenda appellatione fuit adducta (*dem. n. 1.*). Quare cum uti poſita ratione ſufficiente ponendum ſit, ita ea ceſſante ceſſet, quod propter eam eſt (*§. 118. Ontol. WOLF*): Patet, quod ſub pœna leviori intelligi debeat pœna, quæ militia ipſum non privat. *Q. e. 2.*

Cum ad carcere quendam detinendum adhiberi debeant milites alii, qui ipſum cuſtodiant: Facile apparet, quod fieri etiam poſſit, ut appellatione alii etiam diutius a ſervitiis abſtraherentur. Cum vero in quavis cohorte plerumque excubatio ad cuſtodiendos delinquentes ſoleat conſtitui, quæ excubatio præfecturæ, *die Stabswacht*, aut in expeditionibus excubatio, ſive cuſtodia vexillorum, ſive ſignorum, *die Fahnenwacht*, dicitur: Ratio ea ſemper non obtineret; Neque adeo pro principio demonſtrandi ſumi poteſt.

§. 1243.

Nec ſi ſtatim exequenda. *Si miles ſine mora puniendus ſit, pœna etiam capitali: Appellationi locus eſſe nequit.*

Cum enim per appellationem cauſa protrahatur (*dem.* §. *1240. n. 2.*): Pœnam ſine mora executioni dari non poſſe apparet, ſi a ſententia, qua ipſa fuit dictata, liceat appellare. Quare cum evenire poſſet, ut ad exemplum ſtatuendum miles ſine mora & vel capitaliter ſit puniendus (§. 1139.): Patet, quod in eo caſu appellationi locus non ſit concedendus.

§. 1244.

Quid tunc præcedat. *Licet miles in continenti ſine mora ſit puniendus: Judicio tamen prævio, & non absque ſententia, hoc fieri convenit.*

Quam-

Quamvis enim miles delinquens certis casibus in continenti vel a quovis possit occidi (§. 966.): Non tamen tunc proprie puniri dici potest; Sed hoc saltem medium est delictum impediendi vel coercendi, quod aliter averti nequit (*per dem. ibid.*). Qui casus cum hic non supponantur: Militem, qui sine mora licet, puniri debet, a judice puniendum esse apparet (§. 1106.). Ad jurisdictionem vero hoc pertinere, quæ in milites judici competit, itidem facile intelligitur (*dem.* § *1109.*). Si itaque miles in continenti licet puniendus sit: Jurisdictio exercenda est. Quare cum jurisdictionis exercitium judicium dicatur (§. 1140.), & ad eundem sententiarum latio etiam pertineat (*dem.* §. *1192.*): Patet, quod licet miles sine mora & in continenti sit puniendus, hoc tamen judicio & sententia præviis fieri debeat.

Quam certum etiam possit esse delictum & pœna, quam idem meretur: Aliquali tamen cognitione opus esse, negari non poterit.

§. 1245.

Judicii statarii definitio.

Judicium militare, quo pœna in continenti exequenda decernitur, *Judicium statarium* dici solet.

Denominationem hoc judicium statarium, quod germanice *Standrecht* dicitur, habet ab eo, quod stando habeatur ab iis, qui eidem intersunt. Quomodo & in quibus causis illud haberi soleat, explicant KNORRE (§. 17. *Cap.* 1.) & LUDOVICI (§. 3. *seq. Cap.* 7. *der Einl. zum Kriegsproc.*). Peculiarem de judicio statario dissertationem conscripsit BECKIUS.

§. 1246.

Quomodo peragendum.

Judicium statarium uno actu, & quam potest brevissime, debet absolvi.

Judicium enim statarium involvit pœnam in continenti sine mora exequendam (§. 1245.). Non itaque admittit ea, quæ in executione pœnæ moram nectere possent. Quare cum facile cuivis appareat, quod si judicium statarium non uno actu perageretur, pœna in continenti executioni dari nequeat: Patet etiam, quod illud uno actu & quam potest brevissime debeat absolvi.

§. 1247.

Quid requiratur.

Judicio statario locus esse nequit, nisi tam delictum, quam pœna sint certissima, & miles in flagranti deprehensus.

Ut enim miles pœna quadam affici possit: Certum esse debet, eundem delictum illud commisisse, in quod eadem statuta est (§. 943.). Tam itaque delictum, quam pœna, certum esse debet, antequam miles puniri

possit. Quodsi itaque delictum a reo negetur, nec hic ejusdem convictus sit: Delictum certum dici nequit. Cum vero delictum, si negetur a reo, probandum, sive reus ejusdem convincendus sit, antequam puniri possit (§. 1174.): Miles delictum negans, nec puniri poterit, antequam illud probatum, sive reus ejusdem convictus fuerit. Miles itaque in continenti puniri non poterit, nisi delictum fuerit certum. Et cum pœna in continenti imponi nequeat, si eadem dubia, adeoque antea discutiendum sit, quænam in eo casu obtineat (§. *943. cit.*): Simili modo patet, quod eadem certa esse debeat, si delicto cuidam in continenti imponatur. Quare cum judicium statarium involvat pœnam in continenti sine mora infligendam (§. 1245.): Patet, quod eidem locus esse nequeat, nisi tam delictum, quam pœna certissima sint. *Q. e. 1.*

Facile vero perspicitur, delictum certum esse, neque a reo posse negari, si in ipso committendo deprehendatur miles. Quamobrem cum quis in flagranti dicatur deprehendi, si in ipso delicto committendo capiatur (§. 686.): Patet, quod judicio statario locus esse possit, si miles in flagranti deprehendatur. *Q. e. 2.*

§. 1248.

In quibus delictis obtineat.

Judicio statario locus non est, nisi in iis delictis, quibus expeditio in hostem impediri, & toti exercitui damnum inferri posset, nisi incontinenti punirentur, & exemplum statueretur.

Cum enim judicium statarium pœnam in continenti exequendam supponat (§. 1245.): Eodem locus non est, nisi delictum absque mora debeat puniri. Quamobrem cum facile pateat, hoc non requiri, nisi exemplum statuendum sit, quo minus expeditio in hostem impediatur & toti exercitui damnum inferatur (*dem.* §. *1139.*): Apparet, quod nec in iis delictis, quibus hoc fieri posset, nisi in continenti plecterentur, & eo exemplum statueretur, judicio statario locus sit. Delicta talia sunt, desertio vel seditio in conspectu hostis, aut fuga ex acie.

§. 1249.

Quonam tempore.

Judicio statario locus non est, nisi in expeditionibus contra hostem, neutiquam in præsidiis aut hibernis.

Cum enim judicium statarium pœnam in continenti infligendam involvat (§. 1245.): Eodem etiam opus non est, nisi pœna in continenti imponenda sit. Quodsi itaque pœnæ inflictio moram ferat: Nec judicio statario locus est. Quare cum facile intelligatur, pœnæ impositionem tunc demum requiri, si hoste quasi præsente, adeoque in expeditione

tione (§. 393.), delictum committatur, ex quo damnum exercitui emergere possit (*dem.* §. *1248.*); In præsidiis vero & hibernis hostis periculum præsens adeo non sit, adeoque delictorum punitio moram magis ferat: Patet, quod judicio statario locus non sit, nisi in expeditionibus contra hostem, neutiquam in præsidiis aut hibernis.

§. 1250.

A sententia judicii statarii appellare non licet. *Appellationem non admittit.*

Cum enim per appellationem causa protrahatur (*dem.* §. *1240. n. 2.*); Sententia vero in judicio nempe criminali lata, pœna decernatur (§. 1181.): Pœnam sententia quadam decretam executioni statim dari non posse, si ab eadem appellare liceat, apparet. Quare cum pœna, quæ in judicio statario decernitur, statim sit exequenda (§. 1245.): Patet, quod a sententia ejusdem appellari nequeat.

§. 1251.

Sententias militares criminales, quibus pœna capitalis, infamiæ aut corporis afflictiva gravior dictatur, absque confirmatione superioris perfici non convenit, nisi in casibus moram non ferentibus. *Sententiæ criminales absque confirmatione non exequendæ.*

Cum jurisdictio superior dicatur, quæ circa pœnas capitales & alias graviores versatur (*def.* §. *1137.*); Et si pœnæ hæ absque superioris confirmatione peragi deberent, eandem esse illimitatam, appareat (*dem.* §. *1138.*); Si sententias militares criminales absque superioris confirmatione exequi liceret, jurisdictio superior illimitata concederetur. Quoniam vero eandem concedi non convenit, (§. 1138.) In genere etiam pœna capitali quis afficiendus non sit, nisi ea a superiore fuerit confirmata (§. *841. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*): Patet etiam, quod non conveniat, ut in genere sententiæ militares criminales executioni dentur, nisi confirmatæ a superiore. *Q. e. 1.*

Quodsi vero sine mora pœna absque confirmatione sumi non debeat: Eandem in continenti perfici non posse apparet. Cum vero fieri possit, ut ad exemplum statuendum pœna in continenti sine mora debeat ad executionem perduci (*per hypoth. & dem.* §. *1139.*); In eoque casu etiam permittendum sit, ut executio absque prævia confirmatione fiat (§. *cit.*): Patet etiam, quod casus moram non ferentes excipiendi sint. *Q. e. 2.*

§. 1252.

Quamobrem cum pœnæ, quæ judicio statario decernuntur, in continenti exequendæ sint (§. 1245.); Adeoque executio earum moram non ferat: *Sententiæ in judicio statario latæ absque superioris confirmatione exequendæ sunt* (§. 1251.). *In judicio statario latæ tamen.*

§. 1253.

§. 1253.

Nec tunc appellationi locus.

Si sententiæ militares a superiore debeant confirmari, antequam possint executioni dari: Ab iisdem appellationi locus non est.

Quodsi enim sententia a superiore confirmetur: Tunc idem est, ac si ab eo ipso fuerit lata. Si itaque a sententia confirmata appellaretur: Ab ipso superiore in civitate, sive principe appellatio fieri deberet. Cum autem appellatio fiat ad superiorem, eo nempe, a quo fit (*def.* §. *1249.*); Superiore vero in civitate sive principe superior alius non detur (*Quod per se patet, & vel per hypothesin supponitur*): Patet, quod si sententiæ militares a superiore confirmentur, antequam dentur executioni, ab iisdem appellationi non sit locus.

Quod supponi addatur, superiore in civitate superiorem alium non dari: Hoc propterea est, quod quæstio moveri soleat, an & in rebus militaribus ad judicia Imperii appellari possit. Cujus vero discussio hujus loci non est.

§. 1254.

Neque si pœna gravior dictata.

Cum itaque sententiæ militares criminales, quibus pœna capitalis, infamiæ aut corporis afflictiva gravior dictatur, ante confirmationem exequendæ non sint (§. 1251.); In hoc vero casu appellationi locus non sit (§. 1253.): *A sententiis militaribus criminalibus, quibus pœnæ graviores, capitalis scilicet, infamiæ, aut corporis afflictiva gravior, dictantur, appellationi non est locus.*

Cum per pœnas militum leviores intelligantur, quæ militia ipsos non privant, licet corporis afflictivæ esse possint (§. 1242.): Per graviores indigitantur tales, quæ ad minimum militiam tollunt. Quales sunt capitales, infamiæ & corporis afflictivæ majores.

§. 1255.

In genere non a sententia criminali.

Hinc cum tam a sententia militari, qua gravior (§. 1254.), quam qua levior pœna dictata fuit (§. 1242.), appellatio locum non habeat, vel eandem concedi non conveniat; Omnis vero sententia criminalis circa pœnam versetur (*alleg.* §. *1181.*): *A sententia militari criminali in genere appellatio locum non habet, sive saltem non convenit.*

§. 1256.

Judicium hastatum non convenit.

Judicium hastatum criminale, apud Germanos quondam usitatum, principiis juris naturæ non convenit.

Licet enim præfectis militum jurisdictionem concedi conveniat (§. 1137.): Ipsis tamen simul ad eam exercendam persona quædam jurium perita

perita adjungenda est (§. 1192.). Cum etiam jurisdictionem superiorem illimitatam ipsis concedere non conveniat (§. 1138); Nec sententiæ criminales absque prævia superioris confirmatione exequendæ sint (§. 1251.): Multo minus plebi militum concedendum est, ut ipsi liceat pro suo saltem arbitrio pœnam capitalem statuere & in continenti executioni dare. Quare cum per judicium hastatum apud Germanos olim usitatum, hoc factum fuerit, utpote, quo a plebe militum, variis licet adhibitis ceremoniis, pœna capitalis militi decernebatur, & in continenti per hastarum immissionem peragebatur (*per hypoth.*): Patet, quod judicium illud hastatum principiis juris naturæ non conveniat.

Germanis illud dicebatur, *das Spiessrecht*, & propter nimiam ejus duritiem factum etiam est, ut ab usu plane recesserit; Præsertim etiam, cum hastarum usus fuerit sublatus. Cum vero decurrere debuerit eodem damnatus per series hastatorum: Quæ per vires aut virgas adhuc obtinet decursio, inde forsan originem traxit, quæ etiam pœna *die Spiessruthen* dicitur. Uti innuere videtur BEYER (*n. 1503. Jur. milit prud.*), Modum, quo idem fuit peractum, ex SCHOTTELIO *de Sing. quib. & ant. in Germ. jur.* explicat KNORRE (*§. 18. Cap. 1.*) & magis adhuc LUDOVICI (*§. 7. Cap. 7. der Einleit. zum Kriegsproc.*).

§. 1257.

Cum ipso jure civili permittatur, ut judex suspectus recusari possit (*l. 16. Cod. de Judic.*); Militibus vero usus juris communis concedendus sit, quatenus per obligationes militares non limitatur (§. 370.): Militibus etiam jus hoc concedi debet, ut judicem tanquam suspectum possint recusare; Licet, ut illud restringatur, convenire possit. Cum vero nihilominus judici debeant subesse (§. 1104.), & peculiari quidem (§. 1113.): Ut judex alius ipsi constituatur, cui alias jurisdictio in eundem non competit, necesse est, qui extraordinarius dicitur (*per def.*). Et cum jurisdictio judicis per judicium exerceatur (§. 1140.): Judicium constitui debet extra ordinem, cui alias in eum, cujus causa agitur, jurisdictio nulla est. Judicium tale militare, quod extra ordinem constituitur in causa militis, jurisdictioni ejusdem alias non subjecti, *Judicium militare neutrum* dici solet, *ein unpartheyisches Kriegsrecht*. *Judicii militaris neutrius definitio.*

Cum concessio judicii talis neutrius ab arbitrio superioris utplurimum dependeat; Nec cuivis concedenda sit, qui ad illud provocat; Ipso vero jure civili definiatur, quid ad recusandum judicem requiratur: Hic saltem sufficiat, ea adduxisse, quæ ad notionem ejusdem eruendam faciunt.

§. 1258.

Jurisdictio voluntaria ab auditore exercenda.

Ut Auditoribus actus voluntariæ jurisdictionis, qui dicuntur, nomine licet judicis militaris, expediendi relinquantur, convenit.

Cum jurisdictio voluntaria dicatur, quæ in causis non litigiosis exercetur (§. 5. *Diss. CRAMER. de Jurisd. pror.*): Actus voluntariæ jurisdictionis ii sunt, qui causas non litigiosas concernunt. Cum itaque eosdem certis regulis jure civili soleant esse adstricti, ut validi evadant (*per hyp.*): Qui eos exercere voluerit, regulas istas jure civili ad validitatem eorum præscriptas nosse debet. Licet itaque causæ militum in judicio militari soleant tractari (§. 1141.); Cum tamen ejusdem adsessores præter auditorem ex militibus sumi soleant, uti convenit (§. 1222.); In militibus vero supponi nequeat cognitio regularum juris civilis; Auditor vero jurium peritia pollere debeat (§. 1211.): Adsessores reliqui præter auditorem nihil agerent; Adeoque ad actus voluntariæ jurisdictionis exercendos judicium militare perperam constitueretur. Et hinc etiam ad causas potissimum litigiosas illud restrictum est (§. 141. cit.): Cum tamen & actus jurisdictionis voluntariæ inter milites possint occurrere (*per hypoth.*): Patet, quod eorum expeditionem auditoribus relinqui convenire videatur. *Q. e. 1.*

Cum autem actus voluntariæ licet jurisdictionis ad jurisdictionem in genere pertineant (§. *6. loc. cit.*); Jurisdictio vero quoad milites judici eorum competat (§. 1109.); Auditores contra judices non sint (§. 1194.): Nec jurisdictionem suo nomine exercere poterunt, si ejusdem exercitium ipsis concedatur. Quare cum facile appareat, per actuum voluntariæ licet jurisdictionis expeditionem, jurisdictionem exerceri (*per dem.*): Patet etiam, quod actus iidem ab auditoribus non proprio, sed judicis nomine expediantur, si hoc ipsis concedatur. *Q. e. 2.*

Ad actus tales pertinent testamenta, hypothecæ, donationes, pacta dotalia, contractus in genere, alia, quæ ab auditoribus solis etiam plerumque solent expediri; Licet in quibusdam ipsis præfectus quidam, majoris auctoritatis gratia, soleat adjungi, veluti in inventarii confectione, subhastatione, testium ad requisitionem examine. Imo causæ etiam civiles leviores interdum absque judicii militaris constitutione ab auditore sub auctoritate præfecti judicis solent peragi, vel saltem usque ad sententiam definitivam perduci. Quæ vero, cum in iis multum arbitrio pro circumstantiis determinando tribuendum sit, jam hic ultra non deducimus, sed eadem saltem indigitasse, sufficiens videtur.

§. 1259.

§. 1259.

Actus voluntariæ jurisdictionis a milite coram alio quoque judice, quam militari, peragi possunt, si id ipsi videatur; Imo debent, si qualitas causarum illud requirat. **Et ab alio judice.**

Actus enim militum voluntariæ jurisdictionis causas tantum communes, nec militares esse, facile constat (*Schol.* §. *1258.*). Non itaque qualitas eorum requirit, ut peculiari judici subjiciantur (§.1120.). Cum vero nec necessario intuitu eorum certæ jurisdictioni subesse, sed saltem, si ipsis ita videatur, actus suos voluntarios ibidem possint peragere (*per hypoth.*): Jurisdictioni certi loci eo non adstringuntur; Neque etiam propterea personæ ipsorum qualitas requirit, ut peculiari judici subsint (§. 1116.). Quare cum jurisdictio militum peculiaris in qualitate vel causarum vel personæ eorum rationem suam habeat (§. 1120.): Hæc quoad actus voluntariæ jurisdictionis cessat. Contra vero cum ipso jure civili permittatur, ut actus hi ad quemvis judicem possint deferri (*l. 16. princ.* §. *1. ff. de adopt. &c.*): Deterioris forent conditionis milites paganis, nisi idem ipsis liceret. Quod cum fieri non debeat (§. 392.), sed potius usus juris communis ipsis æque debeat concedi, quatenus per obligationes militares non limitatur (§. 370.); Quod vero non fieri liquet (*per dem.*): Patet, quod actus voluntariæ jurisdictionis a milite, si ita ipsi videatur, coram alio quoque judice possint peragi. *Q. e. 1.*

Cum vero causarum quarundam qualitas requirere possit, ut actus jurisdictionis voluntariæ non nisi certo loco peragi queant (*per hypoth.*); In causis vero communibus, quales sunt actus jurisdictionis voluntariæ (*dem. n. 1.*), quarum cognitio non nisi certo loco fieri potest, milites etiam jurisdictioni ejusdem debeant subesse (§. 1123.): Patet, quod & actus voluntariæ jurisdictionis coram alio, quam militari, judice peragere debeant milites, si causarum qualitas id requirat. *Q. e. 2.*

Per fori enim privilegiati constitutionem militibus jus quidem tributum est, quod aliis non competit, ut nempe non nisi coram suo judice conveniri queant. Nondum vero inde consequitur, quod nec volentes judicis alius jurisdictionem agnoscere possent. Quod quidem, quantum ipsis liceat, mox videbimus. Quoad actus vero voluntariæ jurisdictionis, nihil impedimenti esse, ex demonstratis patet; Ut ex. gr. testamentum suum & alii judici offerant, vel contractum initum ab eodem confirmari sinant. Imo certarum causarum qualitas vel sua natura, vel ex legis constitutione requirere potest, ut certo loco peragantur. Qualis v. gr.

est hypothecæ constitutio: Cum alias creditori prospici tuto nequeat, nisi eadem in foro rei sitæ confirmetur. Quodsi itaque & miles hypothecam velit constituere: Id fiat in eo loco, quo res sita est, necesse videbitur. Ea itaque, quæ de foro militum privilegiato supra fuere demonstrata, jurisdictionem contentiosam potissimum supponere apparet.

§. 1260.

Jurisdictio contentiosa prorogari nequit.

Milites jurisdictionem contentiosam in alium judicem prorogare nequeunt; Seu, quod idem est, *alterius judicis jurisdictionem in causis litigiosis in se non prorogare.*

Quod enim milites peculiari jurisdictioni subsint, præsertim propterea est, ne a servitiis suis detrahantur (*dem. §. 1120.*). Quare cum milites ad servitia militaria nempe præstanda obligentur (§. 182.), & quidem reipublicæ sive ejusdem rectoris (§. 132.); Huic vero ex ista obligatione jus resultet (*§. 23. Part. 1. Jur. nat. WOLF.*): Jus etiam reipublicæ sive rectoris ejusdem in eo versatur, ut milites jurisdictioni peculiari subsint. In proroganda itaque jurisdictione militari non de solo militum, sed & alterius jure agitur. Quamobrem cum jurisdictio tunc demum in alium judicem prorogari possit, si de proprio solum jure agatur (§. 17. *Diss. de CRAMER. de Jurisd. prorog.*): Patet, quod milites jurisdictionem judicis alterius in se nequeant prorogare.

Vir perillustris L. B. de CRAMER idem deducit (*§. 38. loc. cit.*), ex alio licet principio, quod nempe, si quis jurisdictioni alicujus judicis intuitu muneris vel dignitatis suæ subjectus sit, alius judicis jurisdictionem in se prorogare nequeat (*§. 37. ibid.*); Et ejusdem rationem reddit, quod ejus quoque, a quo munus vel dignitas dependet, & reliquorum ejusdem ordinis intersit, ut dignitas in suo valore permaneat, neve munus impediatur, vel auctoritas ejus labefactetur (*dem. ibid.*). Eam vero etiam, qua usi fumus, rationem agnoscit, quod nempe utilitatis publicæ causa forum eorum privilegiatum introductum sit, ut præcaveatur, ne a signis avocentur, vel in munere suo strepitu forensi milites impediantur (*§. 39. loc. cit.*). Nobis autem hoc potissimum principio propterea utendum visum fuit, quoniam idem antea demonstraverimus. Hinc militibus volentibus etiam jurisdictionis prorogationem concedendam non esse, doctores iuris militaris statuere monet LUDOVICI (*§. 2. Cap. 2. der Einl. zum Kriegspr.*), & vel legibus positivis ipsam prohiberi memorat KNORRE (*§. 10. Cap. 2. des Kriegspr.*).

§. 1261.

Quando prorogari dici nequeat.

Quodsi milites propter quasdam causas jurisdictioni judicis alterius, quam militaris, subjecti sint: Jurisdictionem militarem eo prorogari, dici nequit.

Cum

Cum enim fieri possit, ut milites propter causarum quarundam qualitatem alii judici, quam militari, debeant subesse (§. 1123.): Judici eidem jurisdictionem in isto causarum, militum etiam, genere competere, adeoque judicem competentem eum esse, apparet (§. 9. *Diss. CRAM. alleg.*). Quamobrem cum jurisdictionis prorogationem in judicem alias incompetentem fieri intelligatur (§. 11. *ibid.*): Patet, quod in illis causis jurisdictio militaris prorogari dici nequeat.

Tales causæ v. gr. sunt ecclesiasticæ, in quibus milites jurisdictionem consistorii, quod dicitur, utplurimum debent agnoscere. Licet aliud belli præsertim tempore convenire deduxerimus (§. 1132.).

§. 1262.

Jurisdictionem militarem in causis inter paganos etiam prorogari, repugnare non videtur. *In causis inter paganos potest.*

In judice enim, cui jurisdictio prorogatur, requiritur saltem jurisdictio in simili causa concessa (§. 34. *Diss. de Jurisd. pror. cit.*). Quamobrem cum judici militari jurisdictio in causis etiam communibus competat (§. 1127.), quæ adeo & paganorum sunt (§. 1099.); Adeoque judici militari jurisdictio in similibus causis, quam quæ sunt paganorum, competat: Patet etiam, quod non repugnet, ut jurisdictio in causis inter paganos prorogetur.

Ex eodem fere principio contrarium adstruere videtur perillustris allegatæ dissertationis auctor (§ 36.), quod nempe jurisdictio in causis diversi generis prorogari nequeat (§ 35.). Cum vero causæ, in quibus jurisdictio militaris versatur, non militares solum, sed & communes (§. 1127.); Hæ vero & reliquorum civium, sive paganorum sint (§. 1099.): Apparet, quod judici militari jurisdictio etiam competat in causis, quæ ejusdem generis sunt cum causis paganorum; Neque adeo principiis hactenus stabilitis convenienter aliter liceat sentire, quam quod jurisdictio militaris in paganos etiam prorogari possit; Dummodo hoc fiat in causa, circa quam illa versatur. Quodsi vero jurisdictio ad solas causas militares, sive militum proprias adstringeretur: Tunc utique in paganos prorogari non posset, utpote quorum nullæ sunt causæ militares.

§. 1263.

Miles, si contra paganum agat, sequi debet ejusdem forum. *Miles actor forum rei sequitur.*

Cum enim actor dicatur, qui contendit jus sibi competere, quod alter denegat (§. 980. *Part. 5. Jur. nat. WOLF.*): Si miles contra paganum agat, hunc illi jus suum non tribuere aut denegare, aut illud militi saltem videri, apparet. Cum vero propterea judices in ci-

vitate sint constituendi, ut cuique jus suum tribuatur (*dem. §. 539. Part. 8. loc. cit.*), & si quis præstare nolit, quod debet, a judice eo vi sit adigendus (§. *540. ibid.*): Si contra paganum agatur, hoc fieri debere a judice apparet, cujus jurisdictioni subjectus est. Quare cum jurisdictio intuitu ejus, qui eidem subest, forum hujus dicatur (*def. §. 1116.*); Paganus vero jurisdictioni judicis militaris non sit subjectus, neque adeo conveniri possit in foro militari (§. 1157.): Patet, quod miles etiam, si contra paganum agat, forum hujus sequi debeat.

Alio etiam modo idem demonstrari poterit, quo magis adhuc apparet, illud fori militum privilegio non repugnare. Quodsi enim miles contra paganum agat, causam communem supponi apparet (§. 1099.). Cum vero quisque si tribuere nolit, quod debet, a judice suo vi sit adigendus (*per antea dem.*); Adeoque ab eo, cujus jurisdictioni est subjectus: Si miles contra paganum agat, causæ cognitio fieri nequit nisi ab eo judice, cujus jurisdictioni hic subest. Quare cum in causis communibus, quarum cognitio fieri nequit, nisi certo loco, milites ejusdem jurisdictioni debeant subjici (§. 1123.): Patet, quod non repugnet, eosdem etiam sequi debere forum pagani, contra quem agunt.

Cum supra etiam demonstraverimus, quod in judicio militari reus esse nequeat, nisi miles (§. 1156.), neque adeo paganus: Ex eo etiam demonstratio peti possit.

§. 1264.

Eo jurisdictio non prorogatur

Eo, quod miles actor forum pagani sequi debeat, jurisdictio militaris proprie non prorogatur; Licet vel maxime miles & ibidem reconveniri possit.

In causis enim paganorum judicem competentem esse eum, cujus jurisdictioni subsunt, satis claret (*alleg. §. 1261.*). Quodsi itaque miles contra paganum coram eodem agat: Jurisdictio non defertur in judicem alias competentem. Quare cum jurisdictionis prorogatio in judicem alias incompetentem fieri intelligatur (*per eadem*): Patet, quod eo jurisdictio militaris non prorogetur. *Q. e. i.*

Et cum supponatur, eidem judici, coram quo paganus pulsatur, in causa reconventionis etiam jurisdictionem competere (*per hypoth.*); In hac etiam pro judice competente habendus est. Licet itaque miles coram eodem reconveniri etiam possit (*per hypoth.*): Eo tamen juris-

jurisdictionem militarem non prorogari, eodem quo antea modo (*n. 1.*), apparet.

Quousque vero reconventio contra milites in foro paganorum permittenda sit, statim subjiciemus.

§. 1265.

Reconventionem contra milites in foro paganorum concedi non convenit, nisi in causa connexa. *Reconventio quousque concedenda.*

Quodsi enim causa, propter quam miles reconvenitur, connexa sit cum causa conventionis: Illius cognitionem fieri non posse, vel saltem non tam facile, quam ab eo judice, qui posteriorem cognoscit, apparet. Hancce vero causam communem, non militarem, supponere constat (*dem. § 1263.*). Quare cum in causis communibus, quarum cognitio fieri nequit, nisi certo loco, milites etiam ejusdem jurisdictioni submitti debeant (§. 1123.): Patet, quod in causis connexis milites in foro paganorum reconveniri posse, conveniat. *Q. e. 1.*

Cum vero in causis communibus, quæ cognitionem in certo demum loco necessario non requirunt, milites etiam non nisi judici militari subesse debeant (§. 1127.); Causarum vero, quæ cum causa conventionis connexæ non sunt, cognitio æque in foro militari fieri possit, & supponatur (*per hypoth.*): Patet, quod reconventionem contra milites in foro paganorum concedi non conveniat, nisi in causa connexa. *Q. e. 2.*

Principiis itaque hisce ex ipsa rei natura desumtis magis convenit dispositio juris Saxonici, quam communis, utpote quod teste SCHAUMBURGIO reconventionem non admittit, nisi in causis connexis (§. 6. *Cap. 4. Sect. 2. Lib. 1. Princ. prax. jud.*).

§. 1266.

Qui miles fit, lite alibi jam capta; Seu, si miles, antequam talis factus est, alibi jam fuerit conventus; Foro privilegiato in ea causa non gaudet; Sed litem ibi, quo capta fuit, prosequi debet. *Lis ante militiam cœpta ibi prosequenda.*

Cum enim nonnisi causa cognita sententia ferri debeat (*§. 543. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Adeoque judex, ad quem causa ejus cognoscendæ gratia in judicium deducitur, sententiam etiam in eadem ferre debeat (§. 40. *loc. cit.*): Facile perspicitur, quod ipsius juris naturæ sit, causam coram eo judice ad finem perduci, coram quo cœpta fuit. Cum vero hoc fieri nequeat, si miles foro privilegiato

giato gaudere deberet in ea causa, quæ jam ante militiam in judicium fuit deducta (*Quod per se patet*): Elucet etiam, quod si miles, antequam talis factus est, alibi jam fuerit conventus, foro privilegiato in ea causa non gaudeat, sed litem debeat prosequi, ubi cœpta fuit.

Idem quoad praxin sentiunt doctores juris, veluti LUDOVICI (§. *12. Cap. des Kriegspr.*), KOENIG (§. *5. Cap. 3. Diss. de Foro conc. mil. obær.*), & alii, auctoritate juris civilis suffulti (*l. 7. ff. de Judiciis*). Et multo magis hoc intelligitur, si quis litis vitandæ aut protrahendæ causa miles factus fuerit. Qui propterea etiam exauctorari potuit aut debuit (*l. 4. §. 8. ff. de Re milit. & l. 1. §. 1. Cod. Qui milit. poss.*).

§. 1267.

Delictum ante militiam ubi puniendum.

Si miles ante militiam deliquerit, & metu pœnæ hanc fuerit amplexus: Ad judicem ordinarium remittendus est.

Cum enim delictum ante militiam commissum supponatur (*per hypoth.*): Illud a milite commissum non est. Licet itaque delicta etiam causæ militum esse possint (§. 1100.); Delicta militum tamen supponi apparet; Neque adeo delictum ante militiam ab eo commissum, qui postea miles factus est, ad causas militum proprie referri potest. Quare cum jurisdictio militaris non nisi in causis militum competat (§. 1110.); Apparet, quod eidem etiam delictum ante militiam commissum non subsit. Cum vero delicta punienda sint (*dem.* §. *761.*); Neque adeo miles, qui ante militiam deliquit & metu pœnæ hanc amplexus est, impunitus manere debeat: Patet, quod ad judicem ordinarium remittendus sit.

Ita ex principiis simplicissimis derivatur, quod ipso jure civili constitutum est (*l. 16. ff. de Re milit.*) & in quo doctores fere consentiunt. Perperam itaque est, ut judices militares in eo difficultatem moveant: Cum ipsa naturalis ratio id postulare videatur.

§. 1268.

Miles delinquens a quovis capiendus.

Miles delinquens a quolibet magistratu capi posse debet; Captus vero judici militari extradendus est.

Cum enim fieri possit, ut judex militaris non adsit, si miles delinquat; Miles delinquens vero metu pœnæ fugam facile susciperet, nisi caperetur: Idem effugere posset, nisi ab alio, quam judice militari capi posset. Cum vero delicta militum præsertim sint punienda (§. 761.); Nec adeo impunita relinqui debeant; Hoc vero fieri posset, si per omissam capturam ipsis occasio fugiendi præbeatur:

Patet,

Patet, quod cuilibet magiſtratui, imo cuivis in genere, captura militum delinquentium concedi debeat. *Q. e. 1.*

Cum vero delictum a milite commiſſum ſupponatur; In delictis vero communibus etiam milites judici militari ſubſint, niſi cognitio eorum certo demum loco fieri poſſit, aut debeat (§. 1130.); Quod vero hic non ſupponitur: Patet etiam, quod miles delinquens ab alio judice captus militari extradendus ſit. *Q. e. 2.*

Ipſo etiam jure civili hoc conſtitutum eſt (*l. 1. Cod. de Exhib. & transm. reis*). Exceptio vero fit, ſi miles gravius delictum commune commiſerit. Tunc enim ibi plecti debet, ubi deliquit (*l. 3. princ. ff. de Re milit. & l. ult. ff. de Accuſat.*). Quod vero juris naturæ eſſe non videtur, niſi quatenus cognitio ejusdem forſan non niſi certo loco fieri poſſit (§. *1130. alleg.*).

§. 1269.

Si inter militem & paganum querelæ reciprocæ moveantur: Ut ad eas decidendas judicium quoddam ex militari partim, & communi componatur, convenit. *Querelæ mutuæ ubi decidendæ.*

Quodſi enim inter militem & paganum querelæ reciprocæ exiſtant: Tam hic quam ille reus dicendus eſt (*def. §. 1155.*). Cum vero in foro militari reus eſſe nequeat, niſi miles (§. 1156.); Reus paganus vero in ſuo foro etiam a milite conveniendus ſit (§. 1263.): Querelæ iſtæ mutuæ neque jurisdictioni militari, neque communi, ſoli ſubſunt. Cum vero tam judicis militaris, quam communis, in iis quædam ſint partes (*per dem.*); Decidendæ vero eædem veniant (*per hypoth.*): Patet, quod ad eas decidendas judicium quoddam partim ex militari, & partim ex civili conſtitui conveniat.

§. 1270.

Judicium, quod ad decidendas querelas inter militem & paganum reciprocas ex militari partim & communi conſtituitur, *Judicium mixtum* dici ſolet. *Judicii mixti definitio.*

Hoc ita fieri plerumque ſuevit, ut judici ordinario auditor vel præfectus etiam ſaltem adjungatur. Id quod etiam nonnunquam conceditur in cauſis, quæ proprie ſolum judici communi ſubjacent, ad præcavendum, ne militi ullum inde emergat præjudicium. Tunc vero ſententiam a poſteriori ſolo ferri facile videtur.

§. 1271.

Milites ad testimonium dicendum obligantur.

Milites ad testimonium in causis etiam paganorum dicendum obligantur, & vel inviti cogi possunt; Non tamen nisi coram judice militari; Nec volentes alibi possunt.

Cum enim naturaliter ad testimonium dicendum obligemur (§. 1059. *Part. 5. Jur. nat. WOLF.*); Et in statu civili quidem perfecte (*Schol. ad eund.*); Milites vero statum civilem supponant (§. 18.): Milites etiam perfecta obligatione ad testimonium dicendum teneri, apparet. Quare cum, qui perfecte obligatur ad quid faciendum, cogi possit, si facere nolit (§. 236. *Part. 1. Phil. pract. univ. ej.*): Licet in statu naturali quis ad testimonium dicendum invitus compelli nequeat (§. 1059.); Milites tamen vel invitos ad idem cogi posse patet. *Q. e. 1.*

Cum itaque milites ad testimonium dicendum vel cogi possint (*dem. n. 1.*); Jus vero milites cogendi competat eorum judici (§. 1106.): Huic etiam competere debet jus milites ad testimonium dicendum cogendi. Quare cum milites peculiari judici subesse debeant (§. 1113.), qui militaris dicitur (§. 1114.): Patet, quod ad testimonium dicendum cogi non possint nisi coram judice militari. *Q. e. 2.*

Quoniam igitur testimonium coram judice militari dicendum est (*dem. n. 2.*); Judex vero militaris sit, cui jurisdictio in milites, quæ militaris dicitur (§. 1110.), competit (§. 1114.): Testimonii dictio a militibus jurisdictioni militari subest. Et cum ad eandem milites vel inviti cogi possint (*dem. n. 1.*): Illam non ad actus voluntariæ jurisdictionis, sed contentiosam potius pertinere, intelligitur. Quare cum milites jurisdictionem contentiosam in alium judicem nequeant prorogare (§. 1260.); Licet actus voluntariæ jurisdictionis coram alio possint peragere (§. 1259.): Patet, quod milites nec volentes testimonium alibi dicere possint. *Q. e. 3.*

Cujus quidem posterioris ratio ipso jure romano redditur, *ne milites avocentur a signis & muneribus* (*l. 3 §. fin ff. de Testibus*). Judicem vero militarem permittere posse, ut coram alio judice testimonium dicant, si e re esse videatur, dubium esse nequit. Sic v. gr. si miles jam cum venia sit in aliquo loco: Eidem permitti, ut testimonium ibidem dicat, quam propterea a venia revocetur, præstare concipitur. Ceterum quoniam milites inter eos referuntur, qui inviti testimonium dicere non coguntur (*l. 8. ibid.*): A SCHROETERO hinc infertur, quod milites inviti ad idem cogi nequeant (§. 3. *Cap. 3. Sect. 1. Diss. de Jur. mil. sing.*). Cum vero in d. l. addatur, *vel qui cum magistratu absunt, vel qui-*

bus venire non licet: Satis inde apparere videtur, id saltem coarctringendum esse, ut ad testimonium dicendum aliorsum evocari nequeant. Ipsemet itaque exceptiones & limitationes quasdam affert. Quibus vero opus non est: Cum generaliter jam fuerit demonstratum, milites ad testimonium dicendum, coram judice militari nempe, cogi posse.

§. 1272.

Militi, qui ab hoste revertitur, & se captum fuisse refert, credendum est, nisi & quousque de contrario constet, aut probabiles magis rationes in contrarium adsint. *Militi, captum se dicenti, credendum.*

Quodsi enim miles, qui ab hoste revertitur, captus ab eo non sit: Eundem transfugam esse debere, facile apparet (*def. §. 591.*). Quare cum in transfugas vel pœna capitalis statuatur (§. 972.): Miles, qui ab hoste revertitur, ea vel alia saltem graviori puniendus esset, si captus non fuerit ab hoste, sed sponte ad eum transgressus: Cum vero nemo puniri possit, nisi delicto aut crimine sufficienter probato, seu nisi ejusdem convictus (*§. 673. Part. 8. Jur. nat. WOLF.*); Rationes vero in contrarium extare, unde transfugium probari, vel ejusdem convinci possit, qui captum se dicit, hic non supponatur (*per hypoth.*): Patet, quod militi, qui ab hoste revertitur, & captum se fuisse refert, credendum sit, nisi & quousque de contrario constet, aut saltem rationes probabiles in contrarium adsint.

Idem fere jure romano constitutum est, ut nempe militi credatur, si bonus miles antea fuerit æstimatus; Non vero, si remansor, aut negligens suorum, aut segnis fuerit (*l. 3. §. 12. & l. 5. §. 6. ff. de Re milit.*). Quæ restrictiones idem fere involvunt, ac si rationes probabiles in contrarium non adsint. Apparet vero facile, quod veritas eo non constituatur. Milites enim, qui captum tantummodo se dicit, testis in propria causa est, ex qua incommodum sentire posset, si nempe pro transfuga haberetur. Quare cum ipso jure naturæ nemo in tali propria causa testis esse queat (*§. 1048. Part. 5. Jur. nat. WOLF.*): Nec miles poterit, qui captum se dicit, ad effectum scilicet probationis. Perperam itaque inter exemplum probationis plenæ per unum testem hoc refert CASP. HEINR. HORNIUS (*th. 27. Cap. 2. Diss. de Prob. plena per un. test. p. 50*); Et non est, ut exinde peculiare militum privilegium eliciatur, quod ipsis nempe in judiciis major fides habeatur, quam plebejis & rusticis; Uti fit a SCROETERO (*§. 4. Cap. 3. Sect. 1. Diss. de Jur. mil. sing.*).

§. 1273.

Quod milites post sententiam exceptiones peremtorias adhuc opponere possint, privilegium est juris saltem positivi; Quod vero cessat, si per procuratorem litigent. *Exceptiones post sententiam admittendæ.*

Cum enim regulariter exceptiones peremtoriæ ante sententiam saltem adhuc, non vero post eandem opponi possint (*l. 2. Cod. Sent. resc. non poss.*); Militibus vero hoc peculiariter sit concessum (*l. 1. Cod. de Jur. & facti ignor.*): Militibus in eo jus est tributum, quod aliis, paganis scilicet, non convenit. Quare cum concessio juris cuidam facta, quo alii carent, privilegium dicatur (*§. 853. Part. 8. J. N. W.*): Patet, quod in eo privilegium ponendum sit. *Q. e. 1.*

Quoniam autem ratio ejusdem in ignorantia militum, quoad jura ponitur (*l. 1. alleg.*); Naturaliter vero militibus ignorantia juris non succurrat, nisi in expeditione constitutis (§. 398.): Jure etiam naturali illud ipsis proprie concedendum non esset, nisi in expeditione constituantur. Cum vero idem jure civili in genere tribuatur (*per alleg.*): Patet, quod privilegium illud juris saltem sit positivi. *Q. e. 2.*

Et cum fieri possit, ut milites per procuratorem litigent (*per hypoth.*); Procuratorem vero talem sumere possint & debeant, qui jura callet: Ignorantia juris cessat, si milites per procuratorem litigent. Quamobrem cum ratio privilegii ejusdem in imperitia militum ponatur (*per alleg. n. 2.*); Cessante vero ratione sufficiente cesset etiam, quod propter eam est (*§. 118. Ontol. WOLF.*): Patet etiam, quod in eo casu privilegium illud debeat cessare, si per procuratorem litigent. *Q. e. 3.*

§. 1274.

Stipendia propter sententiam non retinenda.

Propter executionem sententiæ militibus stipendia retinenda non sunt, nisi quatenus forsan ad eorum sustentationem tota non requiruntur.

Quodsi enim stipendia militibus retinerentur, sustentatione carere facile possent (*dem. §. 778.*). Cum vero absque hac milites nec esse, nec ministerium belli præstare queant (*dem. §. 339.*): Patet, quod & nec propter executionem sententiæ militibus stipendia retinenda sint. *Q. e. 1.*

Si vero stipendia militum tanta sint, quanta ad eorum sustentationem non requiruntur: Tunc milites sustentationis periculum non inire, licet ea parte stipendiorum priventur, quæ ad eandem opus non est, facile perspicitur. In eo itaque casu cessat ratio, cur propter executionem sententiæ stipendia retinenda non sint (*dem. n. 1.*). Cum itaque cessante ratione sufficiente cessare quoque debeat, quod propter

propter eam est (*§. 118. alleg.*): Patet, quod in executionem sententiæ stipendia militibus retineri non repugnet, quatenus forsan ad sustentationem tota non requiruntur. *Q. e. 2.*

Stipendiorum retentionem ipsum etiam inhibet jus civile (*l. 4. Cod. de Exec. rei jud.*).

§. 1275.

In specie gregariis & præfectis inferioribus.

Hinc cum militibus gregariis, & præfectis eorum inferioribus stipendia tam tenuia soleant præberi, ut ad eorum sustentationem necessariam vix sufficiant (*dem. §. 779.*); Præfectis vero superioribus, eminentioris præsertim dignitatis, tanta, ut ad sustentationem necessariam tota non requirantur, sed uberiori saltem, & vel splendori inserviant (*dem. §. 780.*); Militibus vero stipendia eatenus tantum possint retineri, quatenus ad sustentationem eorum non requiruntur (§. 1274.): *Militibus gregariis & præfectis eorum inferioribus solutionis sive sententiæ exequendæ gratia stipendia plane non, superioribus vero non nisi eatenus retineri possunt, quatenus ad sustentationem eorum necessario non requiruntur.*

Hinc etiam constitui solet pro circumstantiis, ut præfectis militum tertia saltem, vel ad summum dimidia stipendiorum pars ad solutionem debitorum detrahatur.

§. 1276.

Militibus beneficium competentiæ competere debet.

Beneficium competentiæ competit.

Militibus enim propter executionem sententiæ sive solutionem debitorum, stipendia retineri nequeunt, nisi quatenus forsan ad sustentationem tota non requiruntur (§. 1274.). Solvere itaque ulterius non tenentur, quam quatenus salva eorum sustentatione facere possunt. Quare cum beneficium competentiæ dicatur, vi cujus debitor ad solutionem condemnatus plus solvere non tenetur, quam salva ipsius sustentatione facere potest (*per def.*): Patet etiam, quod illud militibus debeat competere.

Definitionem hujus beneficii sumere licuit ex *l. 173. princ. ff de Reg. jur. & l. 19. §. fin. de Re jud.* Et militibus etiam specialiter hoc beneficium jure civili concessum est (*l. 6. pr. & l. 18. ff. de Re jud.*). Quod licet aliis pluribus etiam competat: Non tamen indistincte omnibus concessum videtur (*l. 16. & 21. eod*); Adeoque eatenus etiam privilegiis militum, quæ ipsis jure civili contingere, accensendum erit. Necessarium vero, adeoque simul juris naturalis idem esse, modo evicimus. Rationem ejusdem in eo quidem ponit SCHROETERUS, quia du-

rum & inhumanum esset, militem, qui pro republica capitis pericula subit, ita urgere, ut nihil ipsi superesset (§. *1. Cap. 4. Sect. 1. Diss. de Jur. mil. sing.*). Quæ vero extrinseca saltem est, & veteranis potius, quam militibus convenire videtur: Cum hi potiori & intrinseca suffulciantur.

§. 1277.

Propter debita carcere non detinendi.

Milites propter debitorum solutionem in carcerem non sunt conjiciendi, nisi de fuga sint suspecti, aut in pœnam id fiat.

Quodsi enim milites carceri includantur, eos servitia præstare non posse facile intelligitur. Et cum carceris inclusio ad solutionem debitorum proprie nihil faciat; Alia vero suppetant media, quibus solutio obtineri possit, aut extare saltem supponantur: Ratio necessaria non adest, cur propter debitorum solutionem milites in carcerem conjiciantur, vel saltem non supponitur. Quare cum milites a servitiis suis non sint abstrahendi (§. 391.); Nec ratio necessaria supponatur, cur in carcerem mittentur (*per dem.*): Patet etiam, quod propter debitorum solutionem id fieri non debeat. *Q. e. 1.*

Fugam vero militis propter debitorum solutionem cum militiæ simul desertione fieri, liquet. Quamobrem cum ipsius reipublicæ intersit, ne milites deserant (§. 147.); Hoc vero præcaveatur, si miles de fuga suspectus carceri immittatur; Jure etiam civili non concedatur, ut sub specie privilegii alii defraudentur (*l. 2. Cod. de Privil. scholar.*): Patet, quod & propter debitorum solutionem in carcerem possit conjici miles, si de fuga sit suspectus. *Q. e. 2.*

Et cum milites in pœnam etiam carcere detineri possint (§. 903.): Si propter debitorum solutionem, quam præstare non possunt, pœnam mereantur, in carcerem eosdem conjici quoque posse, dubium esse nequit. *Q. e. 3.*

Ad milites in expeditione constitutos idem saltem restringit KOENIG (§. *4. Cap. 4. Diss. de Foro conc. mil obær.*). Et negandum non est, quod in his ratio potior, adhuc adsit: Licet eadem, eo, quo factum est, modo limitata, generalis videatur.

§. 1278.

Neque arma aut alia.

Arma & alia, quæ ad usum belli necessaria sunt, militibus propter solutionem debitorum, detineri nequeunt.

Cum enim milites ad bellum destinentur (§. 14): Si arma aut alia, quæ ad usum belli necessaria sunt, ipsis detinerentur, servitia mili-

militaria præstare, neque adeo obligationibus suis satisfacere possent (§. 182.). Quare cum ipsius reipublicæ intersit, ut obligationibus suis satisfaciant (§. 140.): Patet, quod & arma aut alia, ad usum belli necessaria, militibus detineri nequeant.

§. 1279.

Voluntarii foro quoque militari frui debent. *Voluntariorum forum.*

Forum enim militare ad privilegia militum pertinet (§. 1122.) Et cum ratio ejusdem in ipsa militia sive statu eorum contineatur (§. 1120.); Adeoque qua talibus concedendum sit (§. 83.): Forum militare privilegium militare est. Quare cum voluntariis etiam privilegia militaria competere debeant (§. 522.), quæ nempe in ipsa militia rationem suam habent (§. 523.): Patet, quod iidem foro quoque militari debeant gaudere.

Quod jus civile idem non statuat, & undenam illud sit, monuimus jam ad §. 522.

§. 1280.

Milites provinciales, si ad servitia militaria adhibeantur, foro etiam militari gaudere debent; Extra hunc vero casum, foro communi utuntur. *Quale sit militum provincialium.*

Quodsi enim milites provinciales actu serviant, privilegia militaria ipsis debent competere (§. 521.). Cum itaque ad hæc forum militare quoque sit referendum (*dem. §. 1279.*): Patet, quod si servitia militaria actu præstant, foro militari debeant gaudere. *Q. e. 1.*

Cum vero extra hunc casum ad milites referendi non sint (§. 259.); Foro vero militari milites, qua tales, gaudeant (§. 1121.): Patet, quod nec extra servitiorum præstationem eodem frui possint, sed foro communi uti debeant. *Q. e. 2.*

Cum milites provinciales casui necessitatis saltem reserventur (§. 255.): Et hinc extra huncce aliis negotiis, opificiis vel agricultura occupentur; Neque etiam una commorentur, sed per totam provinciam dispergantur: A negotiis suis abstraherentur, si ad certum forum militare adstricti essent. Ut itaque judici cujusque loci, quo degunt, subsint, magis convenit. Cum vero præfecti militum provincialium ex militibus sumi, & stipendiis ali soleant (*per hypoth.*); Adeoque aliis negotiis ipsos implicari opus non sit; Præterea talis sint dignitatis, ut judici cujusque loci subesse non conveniat: Ratione non destituitur, ut foro privilegiato etiam extra casum servitiorum fruantur.

§. 1281.

§. 1281.

In delictis militaribus. Quare cum delictum militare dicatur, quod a milite, qua tali committitur (§. 543.); Milites vero provinciales ad milites referendi non sint, nisi actu serviant (§. 359.): Nec eosdem etiam delicta militaria committere posse, quam si servitia præstent, apparet. Quare cum in hoc casu foro militari gaudeant (§. 1280.): *Milites provinciales in delictis militaribus foro militari utuntur.*

§. 1282.

Præfectis jurisdictio concedenda. Cum in genere conveniat jurisdictionem militarem præfectis militum concedi (§. 1225.); Milites vero provinciales, si actu serviant, jurisdictioni militari subesse debeant (§. 1280.): *Jurisdictionem in milites provinciales, si actu serviant, præfectis eorum concedi, convenit.*

§. 1283.

Auxiliatores militum foro horum gaudent. *Qui quocunque modo militibus auxilia præbent, & propterea eosdem, vel in expeditionem, sequuntur, foro militari gaudere debent, sive jurisdictioni militari subsunt.*

Quodsi enim foro militari non gauderent: Ab alio judice possent in jus vocari. Quod cum, præsertim si in expeditione constituantur, incommodum foret: Commodum eorum in eo versatur, ut foro militari subsint. Quare cum ii, qui militibus auxilia præbent, & propterea hosce vel in expeditionem comitari debent, ad milites referendi sint, quoties de eorum commodo agitur (§. 447.): Milites vero foro militari gaudeant (§. 1121.): Patet, quod & iidem hocce gaudere debeant. *Q. e. 1.*

Cum vero forum ratione unius jurisdictionem in altero (*Schol.* §. 116.), adeoque forum militare jurisdictionem militarem supponat: Patet, quod, ut foro militari fruantur, jurisdictioni etiam militari debeant subesse. *Q. e. 2.*

Auxiliis etiam necessariis milites egerent, si qui eadem præstant, aliorsum in jus possent vocari.

§. 1284.

Quinam in specie. Hinc cum *concionatores bellici, auditores, chirurgi & vel lixæ; Ut & famuli eorum & præfectorum militum, aliique*, militibus auxilia præbeant, ac propterea hos in expeditionem sequi debeant (§. 449.): Hi omnes *privilegio fori militaris fruuntur.*

Cum ad fori privilegium pertineat etiam, ut ad testimonium dicendum alibi cogi non possint milites (§ 1271.): Patet, quod & hoc auxiliatoribus eorum concedi debeat. Uti de mercatoribus victualium idem jure civili

civili expresse statuitur (*l. 19. ff. de Testibus*). Cujus rationem adducit SCHROETER (*§. 3. Cap. 3. Sect. 1. Diss. de Jur. mil. sing.*).

§. 1285.

Uxores etiam & liberi militum, in patria potestate adhuc constituti, foro militum privilegiato gaudere debent, quatenus hosce sequuntur. *Ut & uxores & liberi.*

Uxoribus enim militum, si hos in expeditionem sequantur, privilegia eorum competere debeat (§. 451.). Quare cum ad hæc privilegium fori quoque sit referendum (§. 1122.): Uxores militum eodem etiam gaudere, quatenus hos sequuntur, apparet. *Q. e. 1.*

Et cum liberi in patria potestate adhuc constituti imperio parentum subsint (*§. 662. Part. 7. Jur. nat. WOLF.*); Quod in jure actiones eorum dirigendi consistit (§. *661. loc. cit.*): Liberos cum parentibus esse debere constat. Quamobrem cum propterea uxores militum, quod hos sequantur, privilegio fori gaudeant (*dem. n. 1.*): Idem etiam liberis convenire patet.

§. 1286.

Si miles a militia quocunque modo solvatur: Privilegium fori cessat. *Quando forum militare cessat*

Si enim miles a militia quocunque modo solvatur, miles esse desinit. Milites vero, quamprimum tales esse desinunt, privilegia sua amittunt (§. 530.). Quare cum ad privilegia militum referendum etiam sit, ut foro peculiari gaudeant (§. 1122.): Patet, quod privilegium hoc fori debeat cessare, quamprimum miles a militia solvitur.

Cum in genere deduxerimus modos, quibus milites privilegia sua amittant (§. 531. *seqq.*): Iisdem etiam hoc fori privilegium finiri apparet.

§. 1287.

Veterani foro militari non gaudent, nisi quatenus servitiis quibusdam adhuc adhibentur. *Veterani eo excidunt.*

Veterani a militia dimissi sunt (§. 460.). Quare cum a militia solvatur, qui dimittitur (§. 297.): Veterani a militia soluti sunt. Cum itaque fori privilegium cesset, si miles a militia solvatur (§. 1286.): Patet, quod veterani illud amittant, neque adeo eo amplius gaudeant. *Q. e. 1.*

Si vero veterani servitiis quibuscunque militaribus adhuc adhibeantur: Illi ad milites, irregulares licet (§. 254.), quodam modo referendi sunt. Quales v. gr. sunt defensionarii, qui castello cuidam custodiendo imponuntur (§. 255.). Quare cum militibus fori privilegium competat (§. 1122): Convenit, ut in hoc casu veterani quoque eo gaudeant. *Q. e. 2.*

§. 1288.

Ut & viduæ & liberi defunctorum.

Viduæ & liberi militum defunctorum ad forum commune recidere debent.

Quod enim uxores & liberi militum foro militari gaudeant, hoc saltem est propterea, quod hosce sequantur (§. 1285.). Quodsi itaque milites moriantur: Cessat ratio, cur uxores & liberi privilegio illo utantur. Quare cum cessante ratione sufficiente cessare debeat, quod propter eam est (§. 118. *Ontol. WOLF.*) Patet, quod viduæ & liberi militum defunctorum foro privilegiato amplius gaudere nequeant; Adeoque ad forum commune recidant.

§. 1289.

Lis super hereditate ubi decidenda.

Si super hereditate militis defuncti lis oriatur: Eandem coram judice militari decidi, convenit.

Licet enim privilegia militum morte eorum exspirent, nec in heredes transeant (§. 535.): Privilegium fori morte militis statim finitur, nec in heredes ejus transmittitur. Quoniam vero ponitur, quod lis oriatur super hereditate militis defuncti (*per hypoth.*); Neque adeo constet, quinam ejus heredes sint: Nec lis eadem in heredum foro potest decidi. Necesse itaque est, ut ventiletur in eo foro, quo defunctus usus fuit. Quare cum miles defunctus foro militari fuerit gavisus (§. 1122.): Patet, quod in eodem etiam seu coram judice militari lis super hereditate militis orta debeat decidi.

Plura quidem addi potuerint, quæ ad materiam de foro militum & processu militari spectarent, & vel illustrationi eorum, quæ ex ipso jure naturæ demonstrata fuere, inservirent. Cum vero ea, quæ deduximus, speciminí sufficere possint: Capiti & toti tractationi finem imponimus.

Capitis sexti & totius operis finis.



INDEX



INDEX

RERUM PRAECIPUARUM,

in quo numeri paragraphos denotant.

A.

 dat

Murci.

Sub-

F I N I S.



ERRATA.

In Præfat. pag. 2. lin. 8. *nemine* l. *nomine.* & pag. 7. l. 19. *conquatere* l. *quatere* aut *concutere.*

Pag. 7. lin. 13. loco *intrinsecæ* lege *intrinseca.* p. 9. l. 18. *-scribi* l. *-duci.* p. 26. l. 34 dele *se.* p. 27. l. 21. *Confet* l. *Confert.* p. 42. l. 14. *determinatur* l. *determinetur.* p. 43. l. 5. & 6. *mili-tum* l. *civi-um.* & lin. 36. *proprie* l. *propriæ.* p. 51. l. 14. post verba: *Leges etiam* addatur *militares.* p. 53. l. 27. *Hinc* l. *Hunc.* p. 55. l. 29. *injusto* l. *injuste.* p. 56. l. 21. *illam* l. *illos.* p. 61. l. 30. *solet* l. *soleat.* p. 66. l. 34. *debeat* l. *debet.* p. 70. l. 2. *duci* l. *duce.* p. 76. l. 35. *cognosci* l. *cognoscere.* & l. 41. *illi* l. *illius.* p. 77. l. 32. *imperia* l. *imperio.* p 80. l. 17. post verb. *Quare* add. *cum.* p. 88. l. 15. (§. 265.) lege (§ 255.). p. 91. l. 6. *quæ* l. *quædam*, & *con veniat* l. *e-veniat.* p. 93. l. 16. *divergerentur* l. *diverterentur*, vel potius *divagarentur.* p. 96. l. 8. a fine *de eorum* l *de necessitate eorum.* p. 108. l. 18. *hosti* l. *hostis.* p. 110. l. 4 *mutatio* l. *deminutio.* p. 112. l. 22. *alias* l. *alios.* p. 113. l. 7. *obligationibus istis teneantur* l. *juribus istis fruantur.* p. 116. l. 11. dele *eo.* p. 121. l. 25. *injuriæ* l. *injurias.* p. 126. l. 5. *pecunia* l. *pecuniam.* p. 145. l. 29. *æstimatur* l. *æstimantur.* p. 160. l. 31. *arbitrariæ* l. *arbitrariis.* & l. 39. *juris* l. *jure.* p. 161. l 26 *testetur.* l. *testetur;* p. 171. l. 8. *quem* l. *quam.* p. 177. l 9. *tueuntur* l. *tuentur.* p. 185. l. 3. *supponitur* l. *supponatur*, & lin. ult. *obligationibus* l. *obligationibus vero.* p. 195. l. 23. *admittetur* l. *admittatur.* p. 198. l. 33. *uetrabantur* l. *detrabantur.* p. 199. l. 4. a fine *influunt* l. *influant.* p. 205. l. 12. *pæ-* l. *pa-.* p. 206. l. 8. *dimitatur* l. *dimittatur.* p. 211. l. 17. *sunt* l. *sint.* p. 216. l. 12. *restringantur* l. *restringuntur.* p. 219. l. 21. *Voce* l. *Vere.* p. 225. l. 7. & 8. dele *sal-tem.* p. 232. l. 20. *eodem* l. *eosdem.* p. 243 l. 13. *deferendi* l. *deferendo.* p. 248. l. 31. *imperii* l. *imperio.* p. 249. l. 7. a fine *facere* l. *facile.* p. 258. l. 15. *cjusdem* l. *ejusdem.* p. 261. l. 14. *ipsi* l. *ipse.* p. 263. l. 7 *quæ* l. *quo.* p. 271. l 10. & 11. in marg. *alicubi* l. *alibi.* & l. 1. & 4. a fine *divergat* l *divertat* p. 277. l. 15. *deseruit* l. *deseruerit.* p. 281. l. 4 *committat* l. *committit.* p. 285. l. 12. 22. & 26. & aliis locis *divergit* & *d[illegible]gat* l. potius *divertit* & *divertat.* p. 287. l. 1. in marg. *Ante* l. *Quando.* p. 291. l. ult in marg. *fit* l. *est.* p. 299. l. 13. *nequeunt* l. *nequeant.* p. 307 l. 10. a fine *absolvant* l. *exsolvant.* p. 315. l. 9. *sed illa* l. *& illa.* p. 316. l. 13. *apparet.* l. *apparet:* p. 321. l. 3 *vocatur* l. *vocetur.* p. 326. l. 3. *soleant* l. *solent.* p. 335. l. 7. *Immediata* l. *Vel immediata.* p 338. l. 20. *sive aliquo facto* l. *sine aliquo facto.* p. 340. l. 14. *infamia militi* l *infamiam militi.* p. 344. l. 10. a fine *Quia* l. *Quin.* p. 352. l. 21. *partialis* l *partiali.* p. 357 364. l. 353 - 360. p. 360. l. 10. ;*Cum* l. ,*cum.* p 361. § 892. l. 6. a fine *Iat* l. *Ita.* p. 371. l. 7. a fine *sunt* l. *sint.* p. 375. l. 19. *infligi non convenit* l. *infligi convenit.* p. 376. l. 12. *sint* l. *sunt* p. 382. l 10 post verb. *recedendi* add. *potestatem:* & l. 6. a fine *Pæno* l. *Pæna.* p. 386. l. 8. a fine *in ipsa lege* l. *in delictum ipsa lege.* p. 390. l. 26.



l. 26 dele *in.* p. 406. l. 12. a fine *discedet* l. *discedat.* p. 415. l. 12. *privatam* l. *privatum.* p. 421. l. 14. *degenerat* l. *degeneret.* p. 425. l. 4. a fine *Adeo* l. *Adeoque.* p. 427. l. 10 a fine *es* l. *eas.* p. 429. l. 4. a fine *dicatur* l. *hæc dicatur.* p. 432. l. 19. & 20. in unam ducendæ sunt & pro *loc. cit.*). l. *loc. cit.*): p. 438. l. 8. dele *potius.* p. 444. l. 4. a fine *famæ* l. *fama.* & l. 3. *cum militi* l. *cum si militi.* p. 447. l. 21. *particulis* l. *particularis.* p. 448. l. 4. in marg. *Quomodo* l. *Quando.* p. 449. l. 10. *ipsibus* l. *ipsi.* p. 451. l. 27. & 38 *possit* l. *posset.* p. 462. l. 2. & 4. *contentiosis* l. potius *litigiosis.* & l. 2. a fine *videtur* l. *videatur.* p. 468. l. 20. *cognitio* l. *cognitionem.* p. 471. l. 22. *proprio* l. *proprie.* p. 472. l. 14. *commoventur* l. *commorentur.* p. 473. l. 11. *concidi* l. *concedi.* p. 474. l. 5. *eorum* l. *earum.* p. 481. l. ult. *& quod a reo negatur, narret, probet;* l. *narret, & quod a reo negatur, probet;* p. 491. l. 14. dele *diversis.* p. 495 l. 26. *soleat* l. *solent.* p. 497. l. ult. *imperiam* l. *imperium.* p. 499. l. 3. *certa* l. *certæ.* p. 504. l. 12. *versetur* l. *versatur.* p. 505. l. 9. a fine *miles* l. *desertor.* p. 524. l. 14. *rectoris* l. *rectori.* p. 526 l. 7. a fine *competentem* l. *incompetentem.* p. 531. l. 28. *Milites* l. *Miles.* & l. 33. *exemplum* l. *exempla.* p. 534. l. 17. *mittentur* l. *mitterentur.* p. 537. l. 8. *debeat* l. *debent.*

His & aliis, quæ præsertim quoad distinctionum signa occurrent, propter auctoris absentiam veniam concedat L. B.



